




Annotationes piae ac doctae in Evangelio[m] Joannis,

<https://hdl.handle.net/1874/428260>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**


More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board


108
Pl. N^o. 2



2
bb


Pl. N^o 1






Kast 108


Pl. N N^o.





170
ANNOTA

TIONES PIAE AC DOCTAE
in Euangelij IOANNIS, D. Ioanne
Oecolampadio autore, denuò iam,
& multo quàm antea dili-
gentius æditæ.



2. 8°/50

Kant 108

N 2

Cum gratia & priuilegio Cæsareo.

BASILEAE, ANNO

M. D. XXXV.



A. N. T. A.

THESE PAGES ARE
RESERVED FOR THE
USE OF THE
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF
TORONTO

Cambridge University Press

PUBLISHED BY

M. B. S. C.



REVERENDISS▶ PA

TRI ET DOMINO THELA

monio Limpergio, Theologo syncerissi
mo, doctori uerbi Dei apud Basi
leam, Osualdus Myconius
Lucernanus S.



DOCTIS uiris est inter homi
nes hæc, ut nosti, præroga
tium, uirorum pijslime, do
ctissimeq̃, ut etiam defuncti
uiuunt: lucubrationes enim, quas relin
quunt, cum manibus terunt, adeò præ
sentes eos reddunt, ut à uiuis nihil, aut pa
rum uideantur habere discriminis. Col
loquuntur enim, hortant, monent, con
solant, docent non minus efficaciter in
terdum, quàm si omnia facerent coram,
& in oculis. Mortuus est iam pridem D.
Oecolampadius, uir per quã doctus, &
pius: at relictis nobis ingenij fœtus, tam
eum repræsentant, ut diligentius inspi
cienti nihil minus quàm obierit: tam præ
sens est ore, multijuga doctrina, peritia
linguarum, grauitate, pietate, zelo in re
bus dei, seueritate cōtra flagitia, comita

EPISTOLA

te in alliciendo ad pietatem, alijsq; uirtutibus innumeris, quibus uir ille sine cōtrouersia floruit. Reliquit multa, quæ fontibus hausit alienis, siue his græcanicis, siue hebraicis. Reliquit & quibus suo Marte nouam, atq; adeò uenerandã speciem induit. Reliquit commentarios in Prophetas aliquot, partim extantes, partim ad prælum iam paratos. In Iob quoque scripsit admodum docte, necnon in epistolã Pauli ad Rom. multo pijsime. Et hæc quidem lucem aspiciunt. Supererat in euangelium Ioannis pia simul ac utilis enarratio, quam diutius latere, uel ob hoc indignũ putauimus, ne deesset uerè pietatis candidatis, quod ingenti cū usu delectaret. Non potest enim nõ esse utile cūprimis, quod natiuo sensu Ioannem exprimit, theologum talem ac tantum, quantus nullus omnium, qui dilectionem dei, & maiestatem Christi, tum et potentem eius uirtutem super nos, literis exposuerunt. Nec potest non delectare, cōscientias præsertim laborantes, & oneratas, quod res tam excellentes,
 diuinas

DEDICATORIA.

diuinas inquam, ut à spiritu dei plenè
 hominibus simpliciter, & clarè, summa
 tamen interim & incōprehensibili qua-
 dam dignitate sunt traditæ, pari simplici-
 tate declarat. Cōmentarius enim hic, Io-
 annis sensa tam aperte, tãq̃ uere demon-
 strat, quàm nullus antehac (uenia sit di-
 cto) scriptus in hūc euangelistam alius.
 Vnde legentibus quidem usus non faci-
 le dicendus, cognitio puta dei, quod ad
 ineffabilem eius erga nos dilectionē at-
 tinet, qua filium suum unigenitū in car-
 nem demisit, ut ita pro nobis miseris ius-
 titiæ suæ satisfaceret, aditumq̃ pararet
 in cœlum (qui ad id usq̃ temporis nul-
 lus fuerat) omnibus, qui firma fide nite-
 rentur in nomē ipsius. Ex hac cognitio-
 ne, si quis recte per gratiam spiritus cœ-
 lestis fuerit usus, illud certissime proue-
 niet, ut expensa dilectionis magnitudi-
 ne, totus huc propendeat, qua ratiōe ca-
 uere, ne ingrati macula contaminetur,
 ualeat. Is uero dum sursum, deorsum co-
 gitando uoluitur, redamare deum, pri-
 mus, & solus honor in summū illud bo-

EPISTOLA

num obueniet, sic hominē disponens,
ut omnia siue bona, siue aduersa, libēter
obeat, in mandatis eius nimis uolēs am-
bulet, fretus interim illius benignitate,
quicquid est extra ipsum, omnino pro ni-
hilo ducat. Talis tum facile renunciabit
cerimonijs in ecclesia Romana, tanquā
iustitiæ operibus usq; adhuc usurpatis,
sciens nihil hic fieri gratum oculis domi-
ni. Negliget facile sanctiones patrum,
quibus cœlū hactenus putatū est adape-
riri, ut quę ferē uel de ceremonijs, uel de
propria iustitia decernant. Contemnet
adhuc facilius mundum cum sua pom-
pa, cum conuicijs, cum minis & suppli-
cijs in ueros dei cultores, ut qui totus in
malo constitutus, à deo reiectus, malum
bonum, & bonū malum dicitans, ha-
bensq; operibus pessimis, etiā si speciem
ferant boni, uendicatus, cōdemnationi
addictus sit. Sed alium uideamus usum,
naturam, & uim uerbi dei, quod factum
est caro: multo clarius tum etiam miseri-
cordiæ, benignitatis, amoris eiusdē ad-
mirandam excellentiā lector intelliget,
effica

DEDICATORIA.

efficaciam passionis uidebit, potentiam
 capiet resurrectionis. Amplitudine nan-
 que illius, maiestateq; circa diuinitatem
 qua nihil à patre distat penitus, perspe-
 cta, certior efficitur de uirtute perfecta
 passionis eius in carne pro peccatis mū-
 di susceptæ, quam hodie negant palam,
 qui salutis meritum operum iustitiæ tri-
 buūt. Quid, quod Christū cognoscer lu-
 cem esse mundi, prælucentem in uitam
 æternam, à qua nisi fuerit accensus ani-
 mus hominis, meras tenebras esse, quan-
 tumuis in rebus prophanis lucere uidea-
 tur: Item per hunc unū & solum ad pa-
 trem aditum patere, quippe qui est uia,
 ueritas, & uita. Sed & illud, quod homo
 dum est insertus illius corpori, poterit
 omnia: uerum recisum, ad nihil esse uti-
 lem, nisi ut comburatur. Cibum quoq;
 carnem esse domini, potūq; sanguinem
 eius satiantē in sempiternum, modò su-
 mantur ad præscriptum ipsius, nempe
 per fidem. His recte captis, euanesceat
 mox, quod de uiribus hominis in rebus
 diuinis est hæctenus disputatū: meritum

EPISTOLA

nullū erit, libertas arbitrii deperijt, sub-
 latum est dubium de reali manducatio-
 ne corporis domini, sumptioneque natu-
 ralis sanguinis eius. Præter hæc autem,
 quod ad cōditionem humanæ pertinet
 naturę mutandā, hoc est ad exuendū ve-
 terem hominem cū factis suis, & induen-
 dum nouum, qui renouatur ad agnitio-
 nem & imaginem eius, qui condidit il-
 lum, exhibebit hic se regenerationis ne-
 cessitas: nam nisi renati fuerimus e sus-
 pernīs, nō poterimus uidere regnū dei:
 tum & illa quonā modo fiat, nempe per
 aquam cœlestem, & spiritum sanctum.
 Ex quo iterum facile uidemus, quæ ui-
 res homini supersint ad ea cōparanda,
 quæ perducunt ad deum. De clauibus,
 quibus de magnæ cōcertationes hodie,
 de officio item episcoporum, nihil uspiam
 dilucidius. Illæ nancq; cum adaperiant fo-
 res in ecclesiam dei, quid aliud esse pos-
 sunt, quā uerbum euangelij? Quare
 alia quoq; peccata soluntur & ligant,
 quā uerbo domini? id quod est clauis
 his peculiare. Tum episcoporum mu-
 nus, am

DEDICATORIA.

nus, an aliud est, quàm pabulū scripturæ de domino seruatore diligenter, & perpetuò dispēsare? Vnde pastores, nō dominos gregis perspicimus. Quam ob rem uideant, qui principes hic remulentos, libidinosos, pecuniæ corrafores agunt, nō dispensatores mysteriorū dei, quo modo sibi olim conueniat cum domino, cui ratio bene, uel male custoditi gregis danda est. Extinguitur hic ignis ille purgatorius, quē sinxerunt nō æqui iudices satisfactiōis dominicæ, fiduciaq; in sanguinem Christi. Atq; adeò Missæ sacrificiū aboletur, cum hoc iam careat fundamento suo: Missa nēpe non ad inferos penetravit, uel ecclesię romanę testimonio, dum canit, in inferno nullam esse redemptionem, sed in purgatoriū. Hoc autē in nihilum redactio, quomodo non corrueret, quod est inædificatū? Sed ut finis aliquando, reperiet pius lector de libertate Christiana multo aliter, quàm paucis ab hinc annis & doctū sit quibusdam, & acceptum non sine graui pietatis iactura, eam uidelicet ad cōscien

EPISTOLA

tiam ex euangelij uerbo, nō ad licentiā
 carnis pertinere. De humilitatis itē præ-
 cellentia, quam Christus præstitit multis
 quidem modis, in primis tamen dum pe-
 des lauit in exemplum discipulis. De so-
 latio, quod erit ē lupernis, omnibus qui
 persecutionē passuri sunt propter deū;
 deq; innumeris alijs, quibus contra falsę
 religionis impotentiam mire pius corro-
 borabitur animus. Hęc omnia sic habet
 commentarius, non quidem ut sua, sed
 ut ex Ioannis traditione, quę spiritus est
 domini, simpliciore clarioreq; stylo de-
 prompta. Talia dum interdum diligen-
 tius mecum ipse considero, mirari soleo
 quid causę sit, cur qui Papę regnū tuen-
 tur hodie docti, & excellentes uiri, non
 ea perpēdant religiosius. Imò quid mul-
 ti ex his, postquam iam perpenderunt,
 nō potius stent à cognita ueritate, quàm
 à turpi mendacio, atq; id cōtra iudicium
 cōscientiæ. Nescio si fortassis in hoc sint,
 quemadmodum Italus quidā mihi no-
 tus, uir apprime doctus, sacerdos & mi-
 nister episcopi, quem impræsentiariū no-
 minare

DEDICATORIA.

minare non libet. Is enim dum ante annos aliquot familiarius colloqueret cū Zuinglio de literis bonis, & demum etiā de fide Christi Zuinglius disputa-
ret exactius pro domini spiritu, quo plenus erat homo ille, cœpit palām confite-
ri, se hactenus Christum pro fictitio filio dei habuisse: credidisse autem ita propo-
situm, quo dogmata quæ tribuuntur illi magis forent authentica, retinerentur q̄ fa-
cilis homines in officio. Necesse uide-
tur enim uel sic sentiant, uel cōtemnant adhuc fœdus et ipsum, & dogmata eius.
Legunt diuina illa tum apud Ioannem, tū apud alios, & fatent esse uera, nihilo-
minus decreta patrū & consuetudinem ecclesie Romanæ præferunt. Quod si re-
cte factū, nescio certe qualisnam fuerit Christus magister à patre nobis tātope-
re commendatus. Tum & illud quid ue-
lit: Ad quem autem respiciā, nisi ad pau-
perculum, & contritū spiritu, & tremen-
tem sermones meos? Persuasus eram,
Christum unum audiendū esse: & deū
oculos miserationis sue directos in eum

EPISTOLA

habere, qui tremore quodā uenerabundo sermones eius exciperet, cum aliud occurrunt illi, tanquam sit, quod deo, & filio dei præferri debeat, uel saltem haberi par. Nouimus & nos auctoritatem ecclesiæ, sed eius quæ sine dubio sponsa est Christi. Nouimus & patres, & ueneramur, sed eo modo quo debemus, ut poſte homines. Nec aliter uolunt ipſimet omnes, qui uere piſ fuerūt unquā. Quæ propter uideretur cōſultum, ſi docti de quibus loquimur, auctoritati ſcripturæ concedentes, nō præhaberent quæ ſunt hominum, id enim pertineret cū ad publicam tranquillitatem, tum ad gloriam dei nō ſine magno decore nominis Chriſtiani, & cū animarum ſanctiſſimo emolumento. Quæ dico, tu facile pro ſingulari tua prudentia, & ſpiritu largiter dato conſiderare potes, ut qui per dei gratiam ex ſtrepitu pontificali ereptus, humilis uerbi miniſter, paruo contentus, nunc effectus ſis. Ioannem itaque cum commentario mittendū ad te duximus ideo, quod nouerim, quinam ſit animus tibi

DEDICATORIA. TIV

tibi erga spiritū Oecolampadij, tum ut intelligas, non in postremis esse te, cuius nomini, quod in me est, equidem uelim propter egregium exemplum esse prouisum. Igitur accipe quod damus benigniter, & diuinis contēplationibus frue re. De exceptore ne dubium sit, Ioannes Gastius is est. Quod addo, ne diligentia & pietatis laude priuetur; nisi enim per illam excepisset, & per hanc dedisset in publicū, quod pio docuit Oecolampadius ore, tanto carendum esset iam thesauro. Vale per dominū, in usum

Reip. Christi. Basileæ, anno

M. D. XXXIII.

VITA SANCTI IOANNIS
per diuum Hieronymum.



IOANNES apostolus, quem Iesus amauit plurimum, filius Zebedaei, frater Iacobi apostoli, quem Herodes post passionem domini decollauerat, nouissimus omnium scripsit Euangelium, rogatus ab Asiae episcopis, aduersus Cerinthum, aliosq; hereticos: & maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. Vnde & compulsus est diuinam eius natiuitatem edicere. Sed & aliam causam huius scripturae ferunt: quod cum legisset Matthaei, Marci, & Lucae uolumina, probauerit quidem textum historiae, & uera eos dixisse firmauerit, sed unius tantum anni, in quo & passus est post carcerem, Ioannis historiam texuisse. Praetermissio itaque anno cuius acta à tribus exposita fuerant, superioris temporis antequam Ioannes clauderetur in carcerem, gesta narrauit: sicut manifestum esse poterit ijs, qui diligenter quatuor Euangeliorum uolumina legerint. Quae res etiam *διὰ τὸν ἰσχυρὸν* quae uidetur Ioannis esse cum ceteris, tollit. Scripsit autem & unam epistolam, cuius exordium est: Quod fuit ab initio, quod audiimus & uidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostrae contrectauerunt de uerbo uita. quae ab uniuersis ecclesiasticis & eruditis uiris probatur. Reliquae

VITA S. IOANNIS.

*que autem duæ, quarum principium est: Senior electæ
 dominæ & natis eius. & sequentis: Senior Caio charissi-
 mo, quem ego diligo in ueritate: Ioannis presbyteri asse-
 runtur, cuius & hodie alterum sepulchrum apud Ephe-
 sum ostenditur: & nonnulli putant duas memorias eius-
 dem Ioannis Euangelistæ esse: super qua re cum per ora-
 dinem ad Papiam auditorem eius uentum fuerit, disse-
 remus. Quartodecimo igitur anno, secundam post Ne-
 ronem persecutionem mouente Domitiano, in Patmos
 insulam relegatus, scripsit Apocalypsim, quam inter-
 pretatur Iustinus martyr, & Irenæus. Interfecto au-
 tem Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem
 à Senatu rescissis, sub Pertinace principe redit Ephe-
 sum, ibiq; usque ad Traianum principem perseuerans,
 totas Asiæ fundauit, rexitq; ecclesias: & cōfectus senio,
 sexagesimo octauo post passionem domini anno
 mortuus, iuxta eandem urbem
 sepultus est.*

IN EVANGELIVM

IOANNIS ANNOTATIONES,

à studioſo quodam ex ore IO. OECO

LAMPADII conſcriptæ.



VE MAD MODVM
matronæ honeſtiores, for-
moſitate natiua contentæ,
ceruſſam, ſtubium, & ſucos
minime curant: Ita & qui
ſynceriores res diuinas no-
bis tradiderunt, non exter-
no uerborum lenocinio ſua uenditarunt, ſed ueritatis
euidentiâ, & ſpiritus ſancti efficacia, auditores ſibi con-
ciliarunt. Eapropter neq; nobis operoſa & phalera-
ta præſatione opus fuerit: relinquamus id negocij ijs,
qui ſuſpectæ autoritatis ſcriptores enarrant. Nemo
enim eſt qui ignorat, diuina & ſumma noſtræ ſalutis
myſteria ab Euangeliftis conſcripta: nemo cui uel pa-
rum cordis eſt, & uel ullum ſapientiæ deſiderium, qui
non diuina ſitiat & requirat. Quæ igitur protreptici
calcaris apud ſponte currentes neceſſitas? Et ſi qua ne-
ceſſitas reliqua, illam uel plauſibilis & breuis titulus
exploret. Legimus enim:

EVANGELIVM.] Ex uoce ſonat bonũ ac
letum nunciũ: atq; ita ingreſſurus mentis noſtræ do-

mum, pacem præmittit. Quid lætius pace annunciari
 potest, maxime bello perpetuo uexatis ac fatigatis?
 imò sine pace nullum est Euangelium. Utuntur autem
 frè scriptores Ecclesiastici Euangelium pro euangeli-
 ca historia: unde & Euangeliographi Euangelistæ ap-
 pellati. Aliàs solent usurpare pro celebri prædicatione
 & annunciatione gratiæ & redemptionis, quam ha-
 bemus per Christum. Gal. 1. Notum uobis facio fratres
 Euangelium quod euangelizatū est à me, quia non est
 secundum hominem. Item 2. Cor. 11. Gratis Euangelium
 Dei uobis annunciaui. At nõ est res cõtentione digna,
 ut Euangelistam appellemus Paulum, quum epistolas,
 non historias scripserit. Sudatur item de discrimine le-
 gis & Euangelij, quæ uoces amphibolæ sunt, & excu-
 tiendæ primum, ne superuacuo litigio & muliebri ri-
 xæ occasio detur. Vfus uocat ea quæ à Mose & Pro-
 phetis scripta sunt, legem, etiamsi promissionibus de
 Christo scateant: & Euangelium, quæ ab Euangelistis
 conscripta, etiam si lex quoq; commemoretur, ut non
 raro apud alios Euangelistas est uidere. Non irascen-
 dum, bonum pro malo reddendum, inimicos ut amicos
 habendos, & diligendos: utiq; leges sunt, & hisce hi-
 storijs inseruntur. Sic de Manichæis dicimus, quod le-
 gem non acceperint, euangelium recipiant: contra de
 Iudæis. Sic etiam amphibologia est in nouo & ue-
 teri testamento, lex noua & lex uetus. Vfus enim
 habet

habet pro scripturis, & neutra uiuificat per se: litera enim est. Sanè Apostolus serè aliter in epistola ad Ro. & Heb. accipit. Noua lex est, quando spiritus corda fide purificat, & imperio Dei sequacia facit. Vetus uero pactum, si quidem citra spiritus uiuificationem lex apprehendatur. Itaq; tantundem est dicere, Euangelium secundum Ioannem, hoc est, historia euangelica. Eadem ratio est de lege & Euangelio, etsi soleant ita confundi nomina. Scimus iuxta modum loquendi, ea quæ à Mo se scripta & Prophetis, legem, & ab Apostolis, Euangelia uocitari. Sed si quis argumentari uelit, Euangelium esse nunciu salutis, inueniet illud etiã in lege. Ita e contrario, si quis dixerit, Lex non saluat, si quis secludat spiritum, sed fide utiq; saluamur, non per impletionem legis mandati, sed per spiritum ipsum, qui illa omnia in nobis agit.

Secundum Ioannem.] Ioannes multis nominibus nobis iure comendatus est, quandoquidem ipse Christo multo familiarior, & ad arcana fuit admissus, quibus alij abiecti fuerant. Vidit dominum in horto sudantem, in monte Thabor glorificatum, testimonium accepit dilectum esse, ideo arcana reuelauit ei. Cæterum ipso suo nomine gratiam adfert Iohanan, Deus gratificatus est, gratiam exhibuit. Communiter gratiam Dei exponunt. Sed relinquamus ista. Certum est Ioannem ex præcipuis discipulis fuisse. Marcus scribit & Christum im-

Filij tonitruū posuisse eis nomina Βοαρρηγυῖς, id est, filij tonitruū: quare dicti. quod gloriam Dei maiori efficacia docturi essent, allaturiq; cœlestem doctrinam. Igitur uel talis pollicitatio sufficit, ut libenter in hoc libro uersetur. Hæc scripta sunt, ut credamus, Ioan. ult. neq; ob eā causam, ut euidas aliquanto argutior, superbior, & inflatior: sed ut melior, humilior, & beator, credendo scilicet in Iesum Christum filium Dei, qua fide aeternā uitam acquirere potes. Diceret quis: Nōne hæc eadem ab alijs Euangelistis satis conscripta antea fuere? Sunt qui putant alios Euangelistas admodum fuisse parcos in laudibus Christi, & tardius prædicasse Christum filium Dei: quos uoluerim miracula Dei exactius perpẽdere: nam ita singula conscripta sunt, ut non possis Christum purum hominem esse dicere: nihilominus uidentur illa testius esse scripta. In prima epistola Ioannis testatur,

3. & 4. ca. tur, quomodo iam irruerant & uenerant Antichristi: iam iacta quedam hæreses semina, mempe Cerinthus, Carpocrates, Hebionite falsam doctrinam docere incipiebant, à petra enim exciderant, uolentes Christum esse purum hominem, & non esse uerum Deum.

Mahometus. Non pestilentior hæresis, quàm negare Christum filium esse Dei, ut Iudæi. Et Mahometus, licet multa honesta de Christo dicat, non tamen audire potest esse filium Dei. In quo errauit Arius? Nestorius? In hoc, nempe in Christo filio Dei: et si uocabulum admitterent, sed

rem explodebant, & glossemate diluebant, dicentes esse filium adoptiuū, sicut cæteri sancti: spiritum Dei perfectiori modo in Christo fuisse quàm in cæteris. In unione aut̄ hoc erat eis planè aduersum. Quia igitur diuus Ioannes uidebat exoriri tantas hereses, admonitus spiritu sancto, fortassis etiam instigantibus alijs, suū hoc euangelium in utilitatem ecclesie scripsit, & apertius tractauit quàm cæteri Euangelistæ. Sunt qui aiunt cæteris esse Ioannem obscuriorem: quorum sententiæ nequaquã accesserim. Simplex oratio, & uerba satis simplicia, aperta & manifesta: uolebat erroribus occurrere. Quod si enigmate egisset, quam doctrinã & utilitatē haberemus in scriptura illa? Dicitur ab ethnicis philosophis Barbarus, ut in Eusebio. Augustinus etiã meminit. Amelius qui æqualis Plotino, ambo Platonici, is pleraq; dicta Ioannis citat, sed mirū in modū admiratur Barbarum, quia non erat natione Græcus, & nitor sermonis non respondebat græcanicæ eloquentiæ. Atquã si artificium spiritus spectaueris, longè aliam eloquentiam inuenieris, quàm in eloquentissimis quibusdam. In miraculis pulchro schematismo attentos facit auditores: quod si quis attenderit, etiam in Prophetis intelliget nihil esse absq; ordine dictum. Non opus ueritati tanta rhetoricatione: per se potens est ad persuadendum. Habetis igitur quid mouerit beatum apostolum ad scribendum euangelium suum. Sunt qui

Quare Ioannes scripsit.

Cyrl. tom. 3. fol. 72.

dicant Ioannē spectasse ad ea quæ cæteri reliquissent,
 ἡ ἀλειπο ut essent ἀλειπο μὲν: sed uidemus Ioannem ali-
 μὲν, ab a qua solere aliorum repetere maiori emphasi, ut for-
 uis relictæ. tius legentium animis instillentur. Hoc maxime egit,
 ne error iste radices ageret inter ethnicos de Christo,
 ut cap. 18. Hoc scientes ingrediamur nunc: sed ante
 distinctionem libri uideamus.

Videntur miracula ista confusus esse digesta, sed
 omnia suum habent ordinem. Principio in genere di-
 cit de diuinitate Christi & humanitate, postea totam
 uitam scribendo persequitur. Incipit sicut & Marcus
 de baptismo: unde quædam præmittit de baptismo
 Ioannis, inde de doctrina, inde quatuor ὁδοὶ πηγῶν
 id est peregrinationes: quater uenit Hierusalem, factis
 miraculis redijt uel in Galileam, uel uiciniam Iudææ.
 Postremo proponitur passio & resurrectio Christi.
 Ita inuenietis illum librum esse distinctum, sed ubique
 gloriam Christi surgere & crescere. Nam obseruare
 licet ultima miracula esse magis mira: ita resurrectio
 Christi magis commendatur, unde spes nostra magis
 confirmatur.

Ante omnia in genere negotium suum tractat diui-
 nitatem & humanitatem indicando. Decebat primo
 diuinitatem Christi indicare, & diuinam naturam con-
 templari in seipsa, deinde eandem in creaturis, quæ per
 Christum conditæ sunt & conseruantur. Ad hæc etiam
 testimo

testimonia Ioannes affert, illum ipsum esse promissionem à Deo, patribus expectatam: & sic humanitatem Christi nobis commendat. Habebat enim orationem contra illos, qui sua tempestate contendebant Christum esse purum hominem, & antea non fuisse. Ille error statim subnatus est, & perniciosus. Ideo dicit Christum esse eternum, patri coequalem, eiusdem uirtutis & maiestatis. illud ex primo uersu habebitis.

CAPVT I.



IN principio erat [†]sermo ille, [†]uerbum. & sermo erat apud Deum, et Deus erat sermo ille. Hic erat in principio apud Deum.

Admodum sublime exordium est, sed attemperauit se nostro captui. Planè deficiunt nobis omnibus modis uerba ad explicanda ea que diuine nature sunt. Si dixeris Christum filium, si dixeris uerbum, splendorem, lucem, & quecunq; tandem tribuere Christo possumus, minus dixeris quam illius dignitas requirit: sed ignoscit Deus nostre infirmitati. Mens autem Ioannis est, uelle insinuare Christum esse filium Dei. Dicit igitur:

In principio.] Vocat uerbum, sermonem. Non melatet quosdam uelle plus tribuere proprietati Hebraici sermonis, quod uerbum negocium significet: quasi diceret: De quo nunc agitur, uerbum hoc erat in principio

Cap. I ANNOT. IOAN. OECOL.

pio. Sed relinquamus illos, quū postea dicitur: Verbum
 2. Cor. 4. caro factum est. & in alijs locis, Christum sapientiam,
 uirtutem Dei, imaginem Dei. Videamus quomodo uo-
 luerit pure Christum significare.

Hebræi & Hebionita, uerè pauperes mente, mox
 offenduntur, quia crassam opinionem imaginantur,
 qualis apud nos mortales est. Vt illa imaginatio tollat-
 tur, & nihil crassum sentiatur, uocat Verbum: nihil im-
 puri est in uerbo. Sed nolite mox recurrere ad exter-
 num uerbum prolatum, sed ut quam purissime intelli-
 gatis, accipite internum, quod est consilium. Mens pa-
 rit consilium, sapientiam &c. Quisquis igitur poterit
 secum cōprehendere, quomodo uerbum, consiliū &c.
 procedat à mente, is statim uidebit in diuinitate, quan-
 do Deo ascribitur filius, nihil crassum esse, ut Iudæi im-
 properant nobis, quasi pessime de Deo sentiamus. Igi-
 tur quando Iesum uocamus uerbum, uel etiam sermonē,
 dicimus imaginē Dei, ut ad Colos. & Hebr. & in lib.
 Sap. appellatur, quia ipse character, expressa effigies
 patris, omnia in filio quæ in patre, in isto puro uerbo.

Vtitur illo uerbo Ioannes, ut progressionem à pa-
 tre nobis commendet quam purissime, ne quis somniet
 crassum quidpiam. Et ne in alium errorem incidas,
 quasi putes esse cognationem, qualis est in hominibus.
 Habebis passim in scriptura Christum esse filium Dei,
 & inuenies eum natura filium patris, naturalem ema-
 nationem

nationem esse. Vnde sapienter nomine Verbi usus est: alioqui potuisset dicere, Filius in principio: & crassos istos offendisset multum. Sed de Verbo datur cogitare aliquid sanctius. Id est, non dabis mihi aliquod tempus ubi non fuerit filius. Ariani unū Erat, ponebant. Eusebius libro primo Trip. histo. cap. 12. Erat aliquando, quando non erat.

LECTIO II.

QVAE diuus Ioannes nos docere vult, satis indicatum est, scilicet ut cognoscamus Christū esse filium Dei uiuū. Itaq; operæ preciiū fuit initio generali quodam modo hoc ipsum docere: nam ita solent etiam alij scriptores rem quam tractaturi sunt, principio polliceri.

In principio.] Audistis causam quare sermonē uoluit nominare, quā filium dei: ut statim aboleret crassam opinionem quorundam de Christo, quia uirtus & potentia est patris. Ne putemus prolatitiū uerbum esse quod statim perit: sciamus esse consiliū & sapientiam Dei. Iam nō est nouum sic appellari filium Dei. In psalmo: Verbo domini creati sunt coeli & c. ubi planē per spiritum oris & uerbum, diuinam sapientiam recte intelligimus. Ita in initio libri, quando Moses conditionē rerum scribit, nō inducit simpliciter Deum loquentem quod condiderit: sed, Dixit Deus, fiat lux & c. & sumi

Psal. 33

lia multa: quo modo utiq; insinuatur, omnia quæ condidit Deus, sua sapientia condidisse, quæ sapientia uerbū Dei est. In alijs locis: Misit uerbum suū, & sanauit eos. Prouerb. 8. Per ipsum reges regnant: antequam fundamenta &c.

Erat.) Id est, æternū erat illud uerbum. Non potes indicare aliquod tempus, quo non fuerit.

Et sermo.) Sapientia illa erat coëterna Deo. Ne sic intelligamus, quasi uerbum locū occupet. Deus sp̄ritus est, & mens maxime pura: ideo creaturarum est loco esse, non Dei. Infra: Ego in patre sum, & pater in me est. Ita intelligamus discrimen personarum in diuinitate. Non est uerbum temporum, quod in tempore incipiat.

Et Deus.) Id est, ne quid minus sentias de uerbo q̄ de Deo ipso: omnia quæ sunt deitatis, illa in uerbo etiā sunt, maiestate, potentia, diuinitate, beatitudine &c. Sed ne putes illum in ulla re minorem, dicit: Deus erat uerbum. Non possumus ponere plures Deos, sed unū, ne ex uarietate personarum uelis arguere uarietatem naturarum, & ita inducere multos Deos. Verbum est Deus: hic est coëternus Deo patri. Neq; humane imbecillitati necessariū est omnia ista arcana rimari: longe satius fuerit ut omnem fiduciam in Deum proijciamus, & tanquam dominum metuamus. Id studendum maxime nobis est, ut proficiamus in fide, quā in ijs
que

quæ captū nostrum transcendūt de lassari absq; fructu.

Hæc euidenter dicta sunt apud omnes fideles, ut nemo contrà mutire possit. Si dico, Deum non esse absq; sapientia: si Deus æternus, etiam sapientia. Deinde si uoluerò argumentari: Si est sapientia apud Deum, iam non alia ratio mentis diuinæ. Nihil possumus ponere in Deo quod sit minus Deo ipso: Ita in filio, uoluntate eius. Apud fidelem illa non egent ulteriore probatione. Ioannes autem ideo facit, ut tollat stultas imaginationes quorundam.

Omnia per illum facta sunt, & absq; illo factum est nihil, quod factum est.

Descendit nunc ad cognitionem Dei uespertinam, ut uocant, qua in suis creaturis cognoscitur. Satis si sciamus Deum incomprehensibilem. Iam ex creaturis cognoscimus, quæ partim ob hæc factæ sunt, ut inde cognoscamus conditorē. Rom. 1. Ex uisibilibus istis &c. In illis autem cognoscimus Dei potentiam, sapientiam & bonitatem. Nam is qui cælum & terram ex nihilo condidit, necessariò omnipotens est. Qui ita sapienter omnia condidit, ut nihil non suo ordine ueniat & institutum sit, necesse ut is conditor sit sapientissimus. Ista etiam quæ nobis uidentur esse inordinata, decentissimū ordinem seruant. Deinde bonitatem & misericordiam Dei licet cognoscere. Non enim contentus est Deus in

Cap. I ANNOT. IOAN. OECOL.

sua natura esse felicissimus, sed suam bonitatem creaturis comunicauit, ut omnia quæ per ipsum condita sunt, haberent aliquo modo suæ bonitatis participationem.

Omnia.] Per uerbum scilicet, sicut patre cognoscimus esse conditorem cæli & terre &c. siue uisibilia & inuisibilia. Ad Col. & Ephe. Alla omnia sumpserunt suam originem à Deo patre: sed per uerbum eius, per sapientiam, per consilium condidit. Sciamus autem Deum non usum esse uerbo suo uel filio tanquam instrumento uel organo, sicut quidam ineptierunt: quum non possent negare, omnia per ipsum facta esse &c. dicebant per Platonicum ipsum, ut per summam creaturam. Ita Platonicum uerbum de uerbo. admiserunt, & minus tribuunt uerbo quam Deo ipso. Non ita igitur, sed æqualis potentie est cum patre, in ipso est potentia paterna, ita nihil absque ipso condidit Deus. Esa. cap. 9. iuxta LXX. Consiliarius Dei. Ita in conditione hominis dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem nostram. Ad quem locutus est illic Deus? Scriptura commendat pluralem numerum, quod communi filio locutus est. Si organum solum Dei, iam impotentiam Deo ascriberemus. Vnde pessimus error est Iudeorum quorundam & Platonicorum, quasi Deus non omnia per ipsum condiderit.

Hebraicus. Quod factum est.] Is modus loquendi non est rarus apud Hebræos, ut eandem rem bis affirmet. Prius, omnia facta. Iam, nihil non quod factum. Et per negationem

tionem contrarij, infertur maxima confirmatio, & est confirmatio prioris dicti. Ita etiam dicitur: Omnes uidi, & nullus erat quem non uidi. Ne quis uelit glossare, Omnes condidit, quos condidit. Ita dicit: Nihil secluso, omnia fecit.

ὁ γέγονεν, ad nihil referendum est. Aliqui nihil factum dicunt, nempe peccatum: de peccato autem hic non est sermo. Proponit Christum tanquam qui autor sit cum patre omnium rerum. Ita Christo tribuit omnia conseruari. Nihil enim est, si Deus manum suam subducit, quod per se subsistere possit. Sicut omnia à Deo originem habent suam, ita conseruationem. Psal. Auer-
Omnia conseruari Deo.
 tente te faciem tuam, cōmouebuntur. Et Act. In ipso sumus. Similiter ca. 5. Pater meus operatur, & ego operor. Deus qui mundum condidit, etiam seruat. Igitur quocumq; retuleris oculos, poteris inuenire uirtutem Christi, in auibus, herbis, pluuijs, astris: ut propheta & Psalmista, subinde solent diuinam uirtutem ostendere, non solum quod initio illa condidit, sed etiam hodie conseruat ista.

In illo uita erat.

ὁ ζωὴν, per illum. In, ponitur more Hebræorū pro per. Prius omnia per illum facta, nunc uita est, & etiam hodie uita. Indicat Christum fontem uitæ, omnis subsistentiæ, omnium uirium, ut citra eius auxilium nihil possimus: & tantum possianus, quantum diuinitus

conceditur, suo de spiritualibus donis, siue de alijs uiribus loquamur: per illum enim communicata est uita omnibus creaturis, imò etiam datur uita. In hoc quoque dicit Christum esse uiuificantem. Neque contentus est in illo, dicit:

Et uita erat lux hominum.

Inter cæteras creaturas, hominem Deus singulari priuilegio honorauit: nam condidit illum ad suam imaginem, dedit interim lumen agnoscendi bonum. Quicquid luminis est, à patre luminum proficiscitur. Vnde hoc Christo recte debemus, quia omnia condidit, & omnia conseruat: declarat eius sapientiam. Sed quod ita se nobis qui nihil meruimus, cõmunicat, hoc meræ misericordie donũ est. Si nihil aliud haberemus, quàm quod solem mittit, recte misericors uocaretur. Sed non solum externa concedit, sed ipsam etiam uitam & sapientiam, quibus homo cæteris creaturis præstat. De angelis non opus hic facere mentionẽ, quia docet Christum filium esse Dei. Hoc planè humiliare nos deberet, ut magno desiderio ad hunc fontẽ properaremus.

exortio.
in singulari
numero.

Et lux in tenebris lucet, & tenebræ ipsam (lucem) non comprehenderunt.

Hæc est sententia: Deus sepe sua misericordia humanum genus uisitare dignatus est, & uoluit homines illustrare

illustrare, mittens suos Prophetas: sed homines auer-
 runt facies suas, & lucem istam non comprehenderunt.
 Condidit quidem humanum genus rectum, sed Adam
 statim cecidit. Deinde saepe dignatus est Deus nos inui-
 sere sua misericordia, sed tenebrae, id est homines, lucem
 contempserunt. Ipsi filij tenebrarum, tenebrae dicun-
 tur: quod multo euidentius dictum est, quam si dixisset,
 lucem misit. Voluit docere ignorantes: sed ea erat ho-
 minum ingratitude, ut se auerterent à sua doctrina.
 Lucem appellauit & seipsum. Aderat suis Prophe-
 tis, & loquebatur per illos. Et uidemus nunc, quomo-
 do ordine quodam ueniat ad natiuitatem Christi, iux-
 ta carnem. Condidit Deus hominem cum caeteris crea-
 turis: cum peccasset, uisitauit per Prophetas suos: sed
 ea erat hominis ingratitude, ut agnoscere noluerit:
 Totus mundus in tenebris, gentes toti tenebrae &
 ignorantes Dei. Iudaei Prophetas occiderunt, & caete-
 ra. Ita simplicissime intelligo. Alij dicunt humanam
 rationem non esse capacem diuini luminis, ita uires
 humanae appellari tenebras. Non reijcio istorum opi-
 nionem: sed uidetur potius huc spectasse, ut commen-
 det nobis diuinam misericordiam, & ut peculiare fue-
 rit Deo humanum genus ita instituire. Vnde non est
 mirum, si ille qui locutus est in Prophetis, iam ipse lo-
 quatur, ut Hebraeorum primo, quod consonat cum hoc
 loco Euangelij.

Cap. I ANNOT. IOAN. OECOL.

Comprehendebant.] Etiam sic legere potes, præteritum imperfectum & præsens pro eodem apud Hebræos, Lux lucebat. Miserum igitur erat humanum genus, & obnoxium multis malis, ueniente plenitudine temporū, quo Deus filium promissum dedit, summum hoc beneficium non agnoscere.

Erat (uel fuit) homo missus à Deo, nomen illi Ioannes. Hic uenit in testimonium ut testet̃ de lumine, ut omnes credant per illum.

Sicut Deus olim Prophetas misit, & misit lucem in tenebras: ita etiam quum iam ipse esset uenturus, ne repente uideretur uenisse, ut in Malachia: Ecce ego angelum &c. misit Ioannem, qui indicaret eum iam adesse: homo tantæ dignitatis, ut omnes faterentur eum esse diuinum uirum, ille missus est à Deo.

De lumine.] Id est, de Christo, & gratia quæ per Christum futura esset. Alij per ipsum Ioannem, ut ipse esset minister: nos per Christum: sed utrunq; potest dici. Ita obseruandus erit nobis ordo diuinæ benignitatis, quod olim per Prophetas, nunc per Ioannem, apparuit Patriarchis, locutus per Prophetas, lucem suam impartitus est mundo: sed impij semper auersarunt lucem hanc. Sic etiam misso Ioanne iterum exhortatus est nos Deus. Is uenit ut prædicaret pœnitentiam & testimonium

simoniū perhiberet de Christo. Deum appellare possumus lucem, ut Ioan. 9. Sum lux mundi. Vnde uere de Christo accipimus. Sed agnoscamus quomodo illam lucem nobis communicet.

Vt omnes.) Pararent se ad regnum Dei. Hoc officium Ioannis.

Ille non erat ipsa lux, sed ut testimonium perhibeat de luce. Erat lux uera illa (scilicet quam ipse prædicabat) quæ illuminat omnem hominem uenientem in mundum.

Ioannes non ille in quo salus. Ioannes non docebat corda, sicut uerbum Dei uiuificum, sicut ipse Christus, qui baptizat igne & spiritu: Ille unicus magister, ideo uera lux est. Alioqui possumus dicere, sicut sol lucet, ita Deus illustrat animas. Aliæ doctrinæ nõ possunt uere irradiare mentes hominum.

Omnem hominem.) Christus suam doctrinam fecit manifestam toti orbi, qui hic sunt: & ex omni genere hominum aliqui illustrati sunt: lucem suam spargit super homines, ut supra: Lux in tenebris lucet. Christus uenit in mundum promissus præcipue Iudæis, qui populus peculiaris erant: etsi tanta eorum ingratitude, nihilominus Deus statuit per filium suum saluum facere humanum genus.

Horrescunt sacræ literæ plerisque, quia absque spiri-
 tu dei ad illas accedunt, & arbitrantur male co-
 herere: quia in re non oportebat sacras literas incusare,
 quum per suam ignauia peccent, quum priora non intelli-
 gamus, & ad posteriora celeri cursu transinamus. Ita etiam
 hoc loco plerisque, euenit: nam dum non satis expendunt
 quid sibi uelit, dum legimus, Lux in tenebris lucet & c.
 facile laxant ora sua in blasphemiam, quasi ea quæ per
 se ipsos non intelligunt, parum erudite coniuncta sint.
 Audistis satis nuper. Discimus immensam Dei misericor-
 dia, quæ nullo non tempore aliquot prophetas misit:
 sed interim semper inuenta fuit magna ingratitude eor-
 um, qui se auerterunt à luce, & sua malitia in tenebris
 manserunt, & ita tenebræ appellati sunt. Ex illa miseri-
 cordia etiam Ioannes missus, ne diuina lux se repente in-
 nuaret, quasi excusationem prætexisset, præmitti debuit
 præcursor, & is à Deo missus. Cùm autem de luce cœpit lo-
 qui, & plerique Ioannem reueriti sunt ob sanctimoniam ui-
 tæ, quasi ipse esset Messias, uolebant sacerdotes missi à
 Hierusalẽ id honoris ei concedere. Ioannes negabat se
 esse Christum. Ideo hic dicit, Non erat lux, fuit duntaxat
 testis istius lucis. Et per cõparationem ad Christum ne-
 gatur Ioannes lux esse. Ita Apostoli: etsi à Christo Mat-
 thei. 5. dicatur, Vos estis lux & c. sed si conferantur ad
 Christum

Christum, proprie non appellantur lux: mutuati sunt à Christo lucem. Christus substantialiter lux est, & uera lux. Ideo quisquis in hoc mundo illustratur, non aliunde illustratur quàm à patre luminum, ut suprà dictum.

In mundo erat, mundus factus est (uel fuit) per illum (sermonem, scilicet Christum) & mundus illum non nouit.

Confirmat quod suprà dixit: Et tenebræ eum non comprehenderunt. Id est, Christus fuit in mundo. Non solum accidit quando Deus per suam misericordiã, beneficentia & uoluntatẽ suam Prophetis cõmendauit manifestandã, sed etiã cũ Christus uersaretur in hoc mundo, quãuis mundus per ipsum factus sit, tamẽ nõ agnouit suũ creatorẽ. Hæc nõ temere ponuntur. quasi dicat, Cogit me ingratitude hominũ, ut uitã Christi pluribus enarrẽ: quãdoquidẽ uideo totũ mundũ nõ agnoscere suum cõditorẽ, tanta beneuolentia, psequentẽ, ut nulla sit excusatio, quin diligẽtius scribã quæ fecit Christus. Primo in genere dicit de mundo, ut Iudæos intelligas & Gentes. Secundo, In propria uenit: ubi signanter Iudæi perstringuntur, qui populus Dei peculiaris erant. Venit enim propter nos: quamuis primũ uerbum dei oportebat annunciari Iudæis, iuxta promissiones illis factas. Sed totus mundus abhorruit à uerbo crucis, & uisum est stultitia, & uera lux habita est pro tenebris.

Scriptura uariat in nomine Mundi. Accipitur pro congregatione malorum & bonorum. Ita Christus dicit se esse in mundo, & nō in mundo. Sed hic generaliter accipitur pro omnibus hominibus. Grauius tamen peccarunt Iudæi, qui pluribus beneficijs affecti erant.

Venit in propria (uel sua) & sui non susceperunt ipsum.

Nasci uoluit de Iudæis, similiter educari, & primū predicari, uiuere iuxta legem Mosi: & ita uenit in propria. Mulier Chananæa cum beneficium peteret, serē abnegabat, dicens: Nō bonum sumere panem &c. Ita multa priuilegia Iudæorum. Ita Apostolis præcepit ne in uiam gentium irent, sed continerent se in Iudæa. Illi qui erant ex carne Abrahamæ, uocabantur peculiari-ter populus Dei, & olim Deus multa miracula eis fecerat: in Aegypto, submerso Pharaone: in deserto, per manna, cum perduceret in terram promissionis. Præterea nulla tempora fuere, quæ non insignibus miraculis claruerunt, ita ut Iudæi recte dicerentur populus Dei: tamen non agnouerūt Deum suum. Hoc est quod

Esa. 1. Esaias contra eos loquitur: Cognouit bos possidentem se, & asinus præsepe magistrorum suorum: Israël non cognouit, populus meus non intellexit. Ecce magnam ingritudinē pertinacissimæ gentis, quæ habebat tot promissiones de Christo, & quum abundantibus miraculis

culis adesset, non est ab eis acceptus. Vnde Ioannes in hoc quasi prooemio dicit, quandam fuisse necessitatem scribendi uitam Christi, ne Iudei haberent quæ prætercerent. Indicandum erat orbi quid egisset Christus, & quomodo claruisset, etsi Iudei merentur abijci, gentes ut acciperentur. Nec tamen uenit Christus frustra, quamuis tantus numerus sit ingratorum. Semper alii quot electi & præordinati à Deo, quos Deus ipse nouit: illis se Christus reuelat & regenerat.

Quotquot autem receperunt illum, dedit illis potestatem (uel facultatem) fieri filios Dei.

Exaggeratur ingratitude illorum. Si uenisset Christus nos dehonestaturus, uel grauiam onera impositurus, haud mirum si quidam detrectarent. Iam ueniens Christus hoc unum petijt, ut crederemus in ipsum. Deinde credentes in se prouehere uoluit in summum fastigium honoris. Non excellentius cogitare poteris, quàm fieri filium Dei. Id est, omnino cõcessit eis, ut haberentur in filiorum numero. Sicut ipse natura filius est Dei, ita alij per adoptionem, essentque olim cœlestis gloriae participes. Quamuis autem deus tanta promiserit, nempe regnum cœlorum, hereditatem & filiationem Dei, adhuc tamen illi se auerterunt. Fides facit nos filios dei, & templa, si uera fuerit illa. Perpetuum apud hunc Euan

gelistā, quod plurimū fidei tribuit, ut omnia sunt fidei tribuenda. Nō est ut quispiā uelit colligere libertatē arbitrij nostri, & plus uirium nobis cōcedere quā experimur. Nō in hāc sententiā scripta sunt. Dedit potestatem, id est, in hoc numero recensiti sunt. Sicut puer qui nascitur, per seipsum non potest se fateri filiū, sed nascitur filius: Ita qui fidē habent, nascuntur per spiritū sanctum filij, ut postea patebit. Vnde alij uerterūt: Vt liceret illis fieri. Nam nō est hāc mens Euangelistæ, quod nobis sit quaedā facultas nostræ naturæ cōcessa, ut possemus diuino præditi esse spiritu: sed dicit de ijs qui rece-

Illis qui credūt in nomē illius. (perūt,

In ipsum, tanquā in saluatorem & redemptorē. In nomen eius, nempe ut gauderent & gloriarentur de nomine Christi, tanq̄ de primogenito fratrum. Illi nō sunt censendi, quod credant in Christum, qui nō exultant in Christo, qui nō optime de eo sentiunt, tanquā de suo redemptore & satisfactore, etiamsi dicant illū esse filium Dei. Si nō credunt Christū pro se satisfecisse, adhuc detrahunt aliquid nomini Christi. Ecce illis dedit potestatem ut fierēt filij Dei. Nō dixit, ijs qui tot tauros immolauerint, uel qui corpus castigarint, totq; pecunias profuderint, uel labores exantlarint: sed fidem commemorat. Etiam hodie recipere possumus Christum. Si credimus, recipimus illū: si auertimus nos à uerbo, neq; nos recipimus, neque minor nostra quā illorum ingrati-

tudo.

tudo. Quia aut̄ indicauit, suscipientes Christum fore filios Dei, quæ res admodū mirabilis est, ponit duas generationes: Vna naturalis, qua omnes nascuntur in hūc mundum à parentibus: sed illa nō facit filios Dei. Quicquid præterea fecerimus nostris uiribus, nondū tamen erimus filij Dei: opus uiua quædam regeneratione, ut cap. 3. quando spiritus Dei homini cōceditur ut hominem suam carnem mortificet, desistatq; iam à prauis consuetudinibus uiuendi, & displiceant ea quæ Deo displicent: cum illa mortificatione innascitur desiderium, ut curemus placere deo, & uiuere iuxta eius uoluntatem. Ibi est renascentia quædam: Nam illum spiritum nō potest homo à seipso accipere uel habere. Solet iste spiritus hominibus dari iuxta diuinum ordinem. Non loquor nūc de absoluta potentia Dei. Per uerbum suum iussit beneficia eius prædicari. Quod si uerbum istud acceperimus, operante spiritu sancto in nobis fidem, ut etiam uitam nostram cupiamus emendare, signum est nouæ regenerationis, & nominamur filij Dei.

Qui (scilicet credentes) non nati ex sanguinibus (ita solent Hebræi loqui) neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo.

Ita ponit duplicem generationem. Illa tria per pleonasmum dicta sunt, & unam quidem significationem

Cap. I ANNOT. IOAN. OECOL.

habent. Id est, qui non iuxta terrenam natiuitatē geniti sunt. Ex sanguinibus maternis: id est, nō ex illa concupiscentia, quomodo omnes nascimur in hūc mundū. Non me latet quosdam discrimen facere inter illa tria. Primo, ut omnes homines etc. Secūdo, gaudere priuilegijs patrū. Neq; hoc beat Iudæos quod ex Abrahā pro gnati sunt. Deinde, quod per se elegerunt quædam opera. Sed nescio an hæc fuerit mens Ioannis. Simpliciter scripsit, & diuidit inter carnalem & cœlestem natiuitatem. Orandū est ut ex Deo regenerati simus. Sciendū tamen hoc est, ante omnia secula deus præuidit electos suos, conscripsitq; illos in libro uitæ: & antequam huius spiritus participes fiunt, nihilominus sunt scripti in libro uitæ: sed ipsi non sunt interim huius beatitudinis sibi conscij. Vbi autem spiritum Dei acceperint, & no uerint se habere patrē in cœlis, & mortificant carnem suam, tunc certi fiunt, testimonium perhibente spiritu in corde, quod sint præordinati ad uitam. Vnde uere fideles de eare non dubitant. Scriptura solet ita loqui ut experimur: neq; hoc tribuit scriptura rebus externis, uel aquæ, uel pani, uel alicui rei, sed spiritui sancto operante in nobis illam fidem. Per misericordiam nō agnosimus nos esse filios Dei, sed per fidem. Dum agnosci mus peccata nostra, & benculentissimū Deum, tunc homo in se habet optimū testimonium. Qui uere ungitur spiritu sancto, is admodum prudenter agit ne à sata

na seducatur. Quidam gloriantur spiritu, sed inuidiæ
malignitas apud eos est, & cæteræ animi pestes. Ita
Deus regenerat filios suos.

Et uerbum (uel sermo) caro factum est,
& habitaculum habuit in nobis.

Quia dixerat uenisse lucem in mundum, hoc aper-
tius erat manifestandum, quomodo uenit lux. Iam Ma-
nichæi locum haberent, nisi amplius declaratum esset,
qui negant Christum ueram carnem accepisse. Sed ut
amplius beneficiū Dei agnoscamus, non solum nos in-
uisit sua misericordia, sed hanc nostrā carnem in se as-
sumpsit: quo beneficio nihil maius excogitari potest.
Factus est filius hominis, frater noster: & quandoquidē
ex ossibus nostris sit, nos quoq; ob communionem na-
turæ (si quidem fidem in eum habuerimus) utiq; eri-
mus filij Dei. Rom. 5. Nihil est quod magis charitatem
nobis conciliet, quàm si cogitauerimus, pro nobis pec-
catoribus carnem assumpsisse. In his uerbis poterimus
explodere multos errores. Qui Christum negarunt
Deum, hos repellimus, quia habemus Verbum. Qui ue-
ro hominem, per hoc, Caro factum est. Et uti-
tur crassiori nomine, ut totum hominē
comprehendat, quia omnia
membra hominis
indicat.

Cap. I ANNOT. IOAN. OECOL.
LECTIO III.

¶ articulus
adiectus est

Beneficium
Dei.

ET uerbum.) Pauca quidem nunc lecta sunt, sed fundamentum fidei nostrae uidere licet. Ante omnia uidete, ut uerba ista superioribus cohaerant. Audiistis de immensa Dei beneuolentia, quam humano generi concessit, quia lux luxit in mundo. Antea manifestauit se per Prophetas, & postea per Ioannem. Sed hoc beneficium est, quod ipse filius uerbum Dei, dignatus est se induere humana carne, id est, fieri hominem. Ille ipse nunc adest, ut Esa. 9. habemus: Ecce ego qui loquebar adsum. Quicumque hoc beneficio non trahitur, quicquid illi narraueris, frustra narra- bis. Fidei nostrae sinceritatem uelim animaduertere- tis. Petrus interrogatus, Matthaei decimosexto, a saluatore, quemnam diceret filium esse hominis. Respondit nomine omnium discipulorum: Tu es Christus ille filius Dei uiuentis. Eam uocem ita laudauit Christus, ut ecclesiam suam super hanc confessionem, tanquam firmam petram aedificaturum se dixerit: & quotquot illam fidem uero corde profitentur, censendos esse de ecclesia Christi. Videbat Petrus (conferemus uerba) & alij discipuli, Christi carnem. Sed de hoc non interrogabantur discipuli, an crederent Christum esse hominem: sed quid sentirent de eo, qui apud plerosque habebatur despectus, & quasi alius homo. Petrus respondet: Tu es Christus filius Dei uiuentis.

tis. Hic sermo factus est caro. Per sermonem filium Dei intelligimus.

Igitur in hisce uerbis, fidei summam quodammodo uidemus: filius Dei factus est caro. Quid crassius carne? Caro in terram uertetur, & hanc habet maledictionem. Sed caro Christi nullam sentit corruptionem. Id est, factus est uere homo filius Dei. Per carnem intelligimus non solum cutem, ossa, & quæ corporis sunt, sed totum hominem. Iohel: Effundam spiritum meum super omnem carnem, &c. Mos scripturæ, ut totus homo nomine carnis intelligatur. Sed non sine *Per carnem* causa spiritus sanctus hoc uti uerbo uoluit: ut indica- *intelligitur* ret nobis quantum esset beneficium Dei, uoluit abie- *homo.*cto nomine uti, quo non significaret generositatem nostræ naturæ, sed uilitatem, quod beneficium Dei magis commendat.

Multi impegerunt in petram, id est, in Christum ipsum, & in hoc fundamento pedes suos non fixerunt: imò quotquot iure possunt censeri heretici, in illo aberrant, ut Christum negent esse Deum, uel negent hominem. Et in hoc uersu licet plurimas hæreses confutare. Marcionitæ & Manichæi Christum phantasticum hominem, id est apparentem duntaxat, qui uera carnem non assumpserit, neq; passus sit, dixerunt. Videbatur enim illis admodum indignum, quod Deo uero hoc adscriberetur, ut dicatur esse homo & Deus:

propterea abhorruerūt à uerbo crucis, ignorantēs Dei misericordiam, quod Deus qui condidit hominem ad imaginem suam, dignatus apud nos habitare, salua tamen sua diuinitate. Ne Manichæus dicat, apparuit caro: dicit, factū est caro, ut illa quæ in nobis crassa sunt, uere Christo liceat adscribere: unum saltem excipias, peccatum inquam. Crassa est hæresis hæc.

Hebionita-
rum error.

Alij peccauerunt in diuersum, negantes Christum esse filium Dei, ut Hebionitæ. Et magna pars hæreticorum licet nomine fateantur filium Dei, re tamen ipsa negant. Etiam illis displicuit uerbum crucis. Offensi sunt in eo, sicut hodie Iudæi, si audiant Deum nasci, factum hominem, & pati, ignorantēs mysteria, nescientes diuinam naturam non pati, sed humanam, quam tamen in unione personæ assumpsit.

Item quidam putauerunt Christum esse quendam hominem, quemadmodum nos sumus. Græci $\Psi\lambda\omicron\upsilon\varsigma$, hominem purum, cui non sit alia natura adiuncta: uulgarem hominē, sicut unum ex Prophetis, tamen si abundantiore gratiam consecutū. Hæc illi blasphemant. Ecce satis manifeste redarguuntur. $\omicron\lambda\omicron\gamma\omicron$, articulum adiungit, ut scias loqui Euangelistam de uerbo, de quo in principio dixit. Ita pulchre adiungit ordine.

Abominabi-
lis error.

Quidam suere qui confuderunt naturas, dixere filium Dei esse conuersum in naturam osium & carnis, & factam esse quandam conuersionem. Ista hæresis est
abominab-

abominabilis. Diuina natura conuerti in aliam non potest. Propheta inquit: Ego non mutor. Cum Deus in his quæ creaturis accidunt, suis accidentalibus, ut ita dicam, nullam mutabilitatem sentiat: imò nihil est quod illi possit accidere, adeò eminens diuina natura est, ut tribuere Deo aliquid alterationis, piaculum foret: nihil illi dedit. Sed homines contentiosi inuenti sunt qui dicunt: Clara adsunt uerba, Verbum caro factum est. Sed miseri absque fide contendunt, ideo merito ueritatem amittunt. Postea etiam euangelista se explanat. Ne dicas conuersionem esse factam naturæ unius in aliam, dicit:

Habitaculum fecit in nobis.) Ita indicat et apostolus, quod diuinitas in hoc corpore inhabitet corporaliter, id est plene et perfecte.

Nestoriani sunt, quorum multi etiam hodie inueniuntur in mundo: Orientalis orbis habet plurimos: qui diuidunt personam in duas. Non licet nobis dicere duos Christos. Qui filius Dei, ille etiam filius Mariæ. Ne dixeris alium esse filium Dei, et alium Mariæ, si uis Christianus esse. Ita deprehensi sunt Nestoriani ab ecclesia deficere: ita soluebant unionem personæ, non relinquebant esse unum Deum. Verum si scripturas recte expendissent, inuenissent omnia filio tribui, quæ deo. Ideo non male putetis dictum, si dicitur, Deus passus est, cum homo patitur, à cuius humanitate diuinitas nunquam separata fuit (Non ut dicamus diuinam naturam esse passam)

bilem.) Voluit spiritus sanctus hoc nobis mysterium commendare, quod duæ illæ naturæ in unam unctæ sint. Igitur si caute uolueritis ambulare, uidete ne naturas confundatis, ne personam separetis, ut ex una persona faciatis duas, & ex duabus unam. Natura mansit salua diuina, & humana etiam post resurrectionem. In quo errore misere hodie quidam tenentur, cum dicunt, Christum sedere ad dextram patris: & exponunt in hunc modum, quod natura humana absorpta sit in diuina natura. Non oportet auferre ab ipso corpore, quasi non habeat lineamenta corporis, & quasi alienum sit ab omni qualitate, quod possumus uere de diuinitate loqui, quod deitas nusquam est & ubique est, & comprehendi non potest: De humana autem non ita loquendum. Corpus circumscribitur, habet suam constitutionem. Igitur uellem nos esse admodum cautos, cum errores suos illi astutuli, & humana philosophia imbuti defendunt, parum cogitantes de quo affirmant: faciunt Christi corpus phantasticum. Si abstuleris omnes conditiones corporis, non relinques uerum corpus. Mortalitas, dolor, passibilitas, gaudium, tristitia, &c. naturam corporis non abalienant, & ita insunt homini, quasi propria.

Item Apollinaristæ aberrarunt multum hic. Nam cum homo in natura sua complectatur carnem, animam,

mam, & spiritum: etiam Latini frè diuidunt hominem in animam & corpus: & Peripatetici: & Paulus in tria diuidit hominem. Contentiosi quidam, quia hic legimus, Verbum caro factum, excludere uoluerunt mentem & animam. Cum legunt animã in scriptura, tropum Hebraicum introducere uoluerunt. Illi dicebant Christum uegetari spiritu diuino, & in habitaculo isto spiritum fuisse loco animæ. Ille etiam error supra modum absurdus est. Nam sic Christus non saluasset totum hominem. Si animam non sumpsisset, & animam non liberaasset. Sed per carnem intelligimus totum hominem. Si diuinæ naturæ tribueres, quod diuinitatis est, si humanæ quod humanitatis est, duas illas naturas non confunderes, neq; ex una duas naturas, neq; ex duabus unam faceres.

Hæc frè Nestoriani obijciunt: Fateri se quidem unum esse filium Dei & coæqualem patri: & coeterna quæ patris, uerbo tribuenda: sed dicunt, Habitauit tanquam in templo. Vox templi non satis insinuat nobis unionem, quam diuina natura habet cum humana natura. Vnde quando de templo dicunt, ponunt per se templum, & per se filium, & faciunt duas naturas. In epistola ad Hebræos habetis, quomodo ipse pater noster fuerit, & nos Christi participes simus. id est, nostram naturam in se assumpsit: quemadmodum nos ab Adam carnem accepimus, etiam caro

ista in Adam. Nemo interim negabit uirginitatem Mariae matris Christi. Dico eandem carnem, sed alienam à peccato in se assumpsit, ut possit uere filius Dei appellari. Si Christus solum in templo habitasset, non possemus dicere, Christum fratrem nostrum. Vbi igitur spes nostra, si non fuerit frater noster? Oportebat liberatorem nostrum esse utriusq; naturæ participem, ut partim nos attingeret, partim Deum quoq; ut sic Deo patri sua dignitate per omnia sit æqualis, & idoneus per quem reconciliemur patri. Non est aliud uerbum, quo fidem nostram erigere firmitus possimus.

Et conspeximus.

ἐθεασθημεν, Considerauimus: non obiter uidimus, sed intuiti sumus diligenter, ut maiorem fidem mereamur.

Gloriam illius.

Quasi dicat: Quamuis uerbum factum est caro, scias tamen in hac carne fuisse maximam gloriam, quæ est diuina claritas.

Tanquam unigeniti à patre.

Id est, eam gloriam, quæ nulli creaturæ unquam concessa est: eam quæ testatur cum esse uere unigenitum patris filium. Nam pater uoce cœlesti testimonium perhibuit filio, & clarificauit apud Iordanem: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Eadem uox in monte

monte Thabor audita, ubi Ioannes cum alijs cōspexerunt dominū gloriosum et uere unigenitū patris. Apud Hebræos, gloria Dei, ferè claritas quædam, qua uel in templo, uel alijs patribus se reuclauit. Sed illa claritas hoc loco aliquid sublimius sonat. Est celebritas quædã, qua pater declarauit filiū. Et uult his uerbis: Conspeximus iam gloriam illius, ut postea ex miraculis, quando Christus eadem fecit quæ pater fecit. Christus illuminauit cæcos natos, suscitauit mortuos, imperauit mari, eiecit demones, & alia plura: solo imperio illa perfecit & uerbo, nullo alio administrante. Deus est qui nos pascit quotidie. Christus ex paucis panibus tot millia hominū satiauit. Nōne in tantis miraculis licebit gloriam filij uidere? Sed hæc potissimū gloria, quando in mortali corpore resurrexit gloriosus, & ascendit in cælum. Hoc uisum est ab Apostolis: unde iure prædicauit gloriam eius. quasi diceret: Ne attendas carnē externam duntaxat, quæ similis uisa est alijs hominibus: ecce ille ipse in se habuit diuinam gloriam, quæ tanto tempore latuit: sed pater glorificauit eum in die resurrectionis. Conspeximus quem cæteri contemptum putarunt. Iam alio nomine incipit eum uocare: prius uerbum, lucem: nunc unigenitum: quia diligens lector satis admonitus est ne quid crassum de ipso sentiat.

Plenus gratia & ueritate.

Ille sermo qui factus est caro, is plenus gratia & ue

ritate: quasi p̄ admirationē adiungitur. Vnde si nō ha-
 beas cui cōiungas, nō est quod mireris: nam ita in admi-
 ratione solet fieri. Quid dicā de illo? plenitudo omniū
 gratiarū & donorum spiritus sancti in illo tanquam in
 fonte habitant: ut Psal. Diffusa est gratia in labijs tuis.
 Vel, erat omnibus iure gratus propter insignes suas do-
 tes, quas possidebat. Vel, nihil hypocrisis erat in eo,
 sicut in cæteris hominibus, qui cum foris se blandos si-
 mulant, intus alunt odium & malum. Sed ille erat abs-
 que omni hypocrisi, & nihil in eo quod desideres.

LECTIO V.

PRemisso proœmio, historiam Christi narrare in-
 cipit: quam in tres partes principio partimur &
 diuidimus. Primo indicabit nobis reuelationem & ori-
 ginem Christi: Deinde progressum eius, quomodo do-
 cuerit, & quater uenerit Hierusalem: Postremo exitū
 eius gloriosum, mortem & resurrectionem Christi do-
 cens: Reuelationem Christi, initio quomodo manifesta-
 tus fuerit. Tēpus illud quo puer uixit Christus, & sub
 imperio putatū patris Ioseph, id tempus non reputa-
 tur, quia nondum innotuerat Christus. Sic Marcus. Sic
 etiam hic noster Ioannes. Inde diuinitatē Christi euiden-
 tissime colligimus. Ioannes præcedebat Christū: is ma-
 ximæ autoritatis apud Iudeos, ut testimoniū illius refu-
 tare nō possent. Ita dominus de baptismo Ioannis que-
 rit.

rit, & Ioannis doctrinā non audebāt refutare. Et quia pleriq; Ioannē præferebant Christo, ob austeritatē uitæ & sanctimoniā, qua æstimabant homines falso modo, quia iustitia in austriore uita nō consistit, etsi Ioāni multum autoritatis addebat. In epistola Hebræorū, ibi scriptor eius Epistolæ ut nobis Christum absolutissime depingeret, illum confert cum maximis quibusq; nempe Mose, Aarone, & Melchizedec, qui summo loco apud Iudeos habebantur. Iudæi, alij discipuli Mose esse uolebant, alij Aaron, alij laudabant Abraham, sed illis omnibus præponit Christum. Ita hoc loco Christus Ioanni, & mox Mose præfertur, quod multo sublimius de Christo sentiendū, quàm Ioanne & Mose ipso. Interim cum nobis gloriā Christi, testimonio Ioannis ante oculos ponit, etiā quomodo Christus reuelatus fuerit, ostendit. Sic satis decenter narrationē Christi ingreditur.

Ioannes testimoniū perhibet de illo
(de quo nobis est sermo) & clamauit dicens:

Tempora solent hic mutare, & legere, testificabatur. Scimus frequentes hebraismos occurrere, præterita mos de tempore perfectū pro imperfecto: propterea quibus est notitia eius linguæ, hi minus offenduntur. Vult dicere, de illo, de quo nobis est sermo, Ioannes, cuius autoritas apud omnes maxima est, ille testis erit. Si uocem meam non uerueritis credere, ecce testem Ioannem habeo, quem nemo mortalium unquam reprobauit.

Clamauit.) Id est, publice locutus est, non in angulo: propterea à Prophetis uox clamantis dictus est. Concionatorum est exaltare uocem quasi tubam: ueritas nec angulos, nec tenebras querit. Publicum, inquit, est Ioannis testimonium: is principio nobis illum reuelauit, cum uersaretur inter alios ignotus. Tale testimonium accepit ab initio.

Ille erat quē dicebat (de quo) qui post me uenturus est (uel uenit: ἐρχόμενος uel in futuro, uel presenti, eam enim uim habet.) Ante me factus est (simpliciter, fuit uel erat) quia primus meus erat. (Id est, dignior me princeps, per comparatiuum.)

In hisce uerbis Ioannes declarat se antea multa de Christo locutū esse, Hic erat &c. Prædixi uobis quendam affiturum, nempe Christum, & saluatorem: ecce iam adest admirabilis ille, de quo locutus sum, cibus ego præco sum, & multo isto inferior, quantum creatura & seruus inferior est domino & creatori.

Fuit.) Id est, æternus ille est, nō solum dignitate, sed etiam tempore. Statim uidet Ioannes in Christo geminam naturam, diuinam scilicet & humanam. Nam si solum humanam naturā attendere uoles, certe Christus secutus est etiam Ioannem. Sed si oculos intenderit in naturam diuinam, multis seculis, id est, ab æter-

no fuit, & ante Ioannem.

Et prior.) Dominus meus est, cuius ego minister, quem ego sequi debeo. Tendit aut̄ omnis sermo Ioannis eò, ut se relicto ad Christum confugiatur, Christus queratur tanquã uerus magister, qui & uitam & eruditionem summam prestare potest. Hoc certe est egregium encomium Christi. Apparet Ioannem hæc locutum esse, quum Christus in media turba appropinquaret, & demonstrato illo talia dixisse. Quinq; testimonia Ioannis ordine habebitis. Hoc est primum.

Et ex plenitudine illius nos omnes accepimus.

Non solum fateor me esse seruũ illius, sed quotquot spiritum Dei sortiti sunt, uel aliquid propheticum locuti, hi omnes mecum de plenitudine spiritus eius receperunt. In ipso tanquam in fonte, & tanquam in capite, plenitudo omnium bonorum & gratiarum residet, ut nemo uel ad eò doctus, uel uere sapiens, uel propheta, qui non ab illo acceperit. i. Corinth. 4. Quid est quod non accepisti? Si accepimus, unde? Ex fonte hoc. Si igitur à nobis nihil habemus, quomodo uiribus nostris gloriari poterimus? quæ planè nullæ sunt, etiam nihil possunt, nisi uegetatæ fuerint diuino spiritu.

Nos omnes.) Siue referes ad Prophetas, siue electos & fideles, uera sententia est. Nam Christus caput ecclesiæ, qui uitam & salutem largitur. Ita enim uisum

Cap. I ANNOT. IOAN. OECOL.

est Deo patri, ut per Christum filium suum nos locu-
pletet: & ea quæ dare dignatur, in gratiam filij sui do-
net, ut omnis gloria in ipsum redundet.

Et (accepimus) gratiam (uel beneficium)
pro gratia.

χάρις quid

Nam *χάρις* frequenter beneficium significat, uel
simpliciter gratiam pro gratia. Equidem ipse tam gra-
tus est Deo patri, tantumq; fauorē affectus est, ut pro-
pter illum, qui est iustitia nostra, sanctificatioq; nostra,
propter illum inquā acceperimus & nos gratiā. Quia
enim ille habet quod sit filius natura, & patri modis
omnibus gratus: propter illum accepimus nos quoque
maximum & incomparabile hoc beneficiū, ut in loco
filiorum Dei numeremur. Alij exponunt gratiā super
gratiam: id est, maximā. Fieri enim Prophetā uel Apo-
stolum, uel alio quopiam munere fungi, in utilitatem ec-
clesiæ, gratia quidem est, & incomparabilis gratia. Si
quidem filij Dei fuerimus, & spiritu Christi præditi, ut
possimus clamare, Abba pater, hæc est summa gratia.
Et hanc sententiam posse constare, ex sequentibus ap-
paret. Sed illud placet, quod per Christum gratiam in-
uenimus apud patrem, beneficium pro beneficio.

Quia lex data est per Mosen, gratia
& ueritas per Iesum Christum facta est.

Vis uidere maximam gratiam, summumq; benefi-
cium,

cium, quod nobis diuinitus concessum est? Comparabo nunc Moſen cum Chriſto, legem cum Euangelio, & ui debis beneficiũ hoc noſtrũ multo eſſe excellentiſſimũ. Quod dominus legẽ dedit per Moſen, etiam recte inter beneficia cõputatur, tamenſi propter naturam noſtram utiatam, male nobis ceſſerit: quandoquidem nos adeo ad peccandũ procliuẽ & morbidi. Lexq; uiam oſtendit, tamen uim faciendi ea que per legem præcipiuntur, non concedit. Occaſionem dedit nature ut magis ſureret, & grauius peccaret: ſcienter enim ubi lex poſita eſt & cognita, peccatur: & id multo grauius eſt. Quamuis lex in ſeiſpa ſancta ſit, & uere inter dona dei cõputanda. Eapropter & Iudeorũ populus deo grator habitus eſt, quia legẽ accepit. Nam & Paulus ad Ro. 9. inter cætera priuilegia gentis ſuæ hoc cõmemorat. Dicit aut: Maximæ laudis & ſummi nominis apud uos eſt Moſes, & nihil præfertis illius autoritati, nihil illi derogare patimini: fateor, legẽ uobis cõceſſit: ſed ſi illum cõtuleritis cũ Chriſto, quantulus eſt? Et quid eſt quod Chriſtus nobis præcipue cõcedit? Dicit, ἡ χάρις & ἀλήθεια, gratia & ueritas, ut ſimus grati deo, ut cõputemur in numero filiorũ Dei. Iam nõ filij iræ, mortis & tenebrarũ, ſed filij lucis & Dei. Hæc gratiã accipimus, ſi ſpiritus Chriſti participes fuerimus. Hæc gratia in nobis operatur, ut quod lex præcipit, perſiciamus. Nunquã ea que lex præcepit adimpleſſemus,

Cap. I ANNOT. IOAN. OECOL.

nisi concessus fuisset nobis spiritus, nisi etiam gratia illa. Dicis, nonne grati fuere Deo Abraham, Iacob, & Moses, uel qui sub Mo se uixerunt? Non negamus gratos fuisse Deo. Sed quomodo grati facti sunt Deo, & per quem? Non per Mosen, sed per Christum: neq; per obseruationē legis quantulacūq; fuerit. Iam qui sponte legem perficiunt, sicut quidā, qui sub lege fuere, hi non alieni à Christo. Quid tribuit spiritus Christi? ut quod inuiti faciebamus cogente lege, nondum accedente animo & corde, hoc nunc prompto animo præstemus. Quis mutabit cor nostrum ferreum uel saxeum ut se quax & molle fiat? nemo nisi diuinus spiritus. Ecce hoc donum est quod à Christo concessum est. Nam illa duo non ab inuicem diuidimus, gratiā & spiritum: ita enim ab æterno statutū est. Sed quid sibi uult quod etiam ueritas concessa est? Veritas cōceditur ubi hypocrisis omnino aufertur. Aufertur, quando spiritum Christi accipimus. Alioqui si multa externa opera faciamus, semper manebimus hypocrite, donec spiritus sanctus peccatus nobis immutauerit. Non est ueritas in nobis absq; spiritu: & spiritum non accipimus absq; Christo. Consectaneū est, ut qui beneficium Christi agnoscunt, per fidem amplectuntur, & filij Dei censentur: & sicut ueritas in Deo est, sic etiam in illis. Alij ueritatem confitentur cum umbra legis, ut in Epistola ad Hebr. Ea quæ in lege geruntur, umbra futurorum fuere, ut sacrificia,
externa

externa circumcisio, sabbatum &c. Ista autem qualia erant? Crassa, & umbræ. Vbi autem Christus uenit queritur circumcisio cordis: quales decet, ut omnia spiritu fiant. Sacrificia quæ olim præcedebāt, perfectum Christi sacrificium significabant. Summus sacerdos se ipsum obtulit, satisfecit pro peccatis nostris: propterea dicitur ueritas. Vis autem illud aliquanto clarius agnoscere? ecce hoc declarat. Admissus es in arcana, apertus est paradysus, ut uideas aliquo modo Deum, quem ante Christum nequaquam potuisti cognoscere. Nemo uenit à patre, nisi Christus. Interna reuelatio per Christum est, qua trahimur suauiter ad amorē patris. Hæc est illa magna gratia quam sequuntur externa dona & beneficia.

Deum nullus uidit unquam, unigenitus filius existens (uel qui est) in sinu patris ille enarrauit.

εἰς τὸ κόλ
πορτὶ πα
τρός,

Patrem nunquam agnouissemus, nisi per filium innotuisset: nunquam tam benignum & tam fauentem humano generi cognouissemus, nisi hoc maximum beneficium innotuisset per Christum: qui non solum docendo apparuit, sed etiam factus frater noster, quem assumpsit carnem nostram. Ex hoc licet cognoscere quantum humanum genus amet. Ioan. 3.

Nullus.) Deū scimus corporalibus oculis quandoquidē incorporeus est & inuisibilis) nō uideri. Quā

tes cum Ioanne : ubi autem non successit ex eorum sententia, cœpère seuerius agere. quasi dicerent: Quæ dignitas tua? Videmus tuam uitam, sanctimoniã admirabilem, præter communem hominum morem uiuis, longe secus doces quàm cæteri sacerdotes. Cupimus scire quis sis, ut alij sacerdotes te digno honore prosequantur. Hæc planè uidentur non sine magna tentatione dicta, ut Ioannem inducerent, ut sese Christum affirmaret. Sed uidete insignem modestiam Ioannis.

Et confessus est, & non negauit.

Iterum obseruate modum loquendi Hebræorum: Dum uolunt dicere, constantissime confessus est, affirmationi negationem subiiciunt, ut supra: Et tenebræ eum non cognouerunt. Ita etiam hoc loco, ne quis frustra argumentetur, quasi confessus ad aliud quidpiam respiciat, & deinde, negauit, ad aliud. Dicit itaque confessus, id est, constantissime confessus est. Non oportet habere respectum personarum. Non maioris faciebat sacerdotes & Leuitas Ioannes quàm umbram: sed quæ spiritus domini dictabat, ea proloquebatur. Sed quid sit confessus, & quale testimonium de se perhibuit, iam pulchre audietis.

Et confessus est, quia non sum ego Christus ille.

Ita ὄτι solet adnotari. Quando narrant sententiã ab aliquo dictã, solent præmittere ὄτι. Confessus est, hoc

hoc scilicet. Apud Latinos non opus exprimere ὄτι, qui perfecta sententia. Ego non sum ille promissus per Prophetas, & expectatus à patribus. Ego non sum is, non est mea tanta dignitas, nolite istius dignitatem mihi tribuere. Nos quoque exemplo eius docet ubique memores esse modestiæ, ne hoc quod Christi est, nobis acceptum seramus. Viuificare hominem, intus docere, sunt opera spiritus Christi. Nos solum ministri uerbi, dispensatores mysteriorum: ne quis sublimius de se sentiat.

Et interrogauerunt illum: Quid ergo? Helias es tu? Et dicit: Non sum.

Erat tunc opinio apud Iudæos, sumpta ex Malachia Propheta, Heliam rediturū & præcessurum ante Christum, & præcursorem fore, ut conuertat corda filiorum ad patres. Et hoc erat eis indicium datum. Sed quoniam illi crassio rem opinionē de Helia habebant, unde responsum est illis iuxta illorum opinionem. Non erat expectandus Helias, qui curru igneo raptus in æthera. Hoc uoluit Malachias, quod hoc modo Helias rediret, qui uirtute & spiritu similis esset, & qui non esset recepturus personam hominum, sed omnium uitia redarguturus. Is dicitur Helias apud Malachiam. Talem quendam decebat esse præcurso rē. Vnde in Matthæo cap. 11. habemus, Ioannem uere esse Heliam. Quomodo est Helias? quod uirtutem Helicæ habet in se. Similis

error eorum est, qui ex Apocalypsi pollicentur talem
 reditum de Helia & Enoch: quamuis non dubitemus
 ante aduentum eius, & ante diem iudicij præmissurū,
 qui ardentem gloriā eius prædicent. An autem multi re-
 cepturi sint, hoc nobis est incertū. Veniet dies iste in ex-
 pectatus & inopinatus. Credebant *παλιγγενεσιων*
 quandam, quod anima remigrarent in corpora, & ita
 putabant Heliam reuixisse in corpore Ioannis. Tam
 alienum erat apud eos Prophetarū genus, ut planè pu-
 tarent nullum prophetā esse super terram. Ita fieri so-
 let ut plurimum solemus admirari quæ antè facta sunt,
 & quæ oculis obiecta sunt contemnamus. Helias (re-
 spondet ad illorum mentem) nō sum. Aliàs uirtute re-
 præsentabat Heliam.

Propheta quispiam es tu? Et respon-
 dit: Non sum.

Potestis repetere: Et interrogauerunt eum tertio.
 Voluerunt alterius cuiuspiam prophete ei tribuere no-
 men. Nōne tu es ὁ *προφήτης*, ille Propheta, per an-
 tonomasiā, quod sit excellentissimus Propheta, de quo
 locutus est Moses Deut. 18. Sed certū est sacerdotes nō
 ignorasse istud caput spectare ad Christū: unde in gene-
 re putatur hic loqui de Propheta quodā insigni. Iterū
 iuxta mentem illorū loquitur. Nam habet testimoniū
 à Christo Ioannes, quod plus sit quàm Propheta: utiq;
 etiā arcana & abscondita ipse sciebat. Sed Ioānes erat
 limes

times inter Prophetas & Apostolos, quia lex usque ad
 Ioannem. Cum Christus aderat, negat se esse Prophe-
 tam, alioqui minime negaturus esset, quia arcana no-
 uerat: sic & alij Prophetae per eundem spiritum pro-
 phetati sunt. Id est, Non sum talis, qualem me existi-
 matis: quasi post multos annos secuturus sit Christus.
 Iudaei fatentur in Haggæo, Zacharia, Malachia, &
 Esra cessasse Prophetas, & deinde nulli Prophetae
 fieri, nisi probos habuerint homines: sed tales non ha-
 buere, neque hodie habent. Illis igitur temporibus age-
 bat partim officium Prophetæ, partim officium præ-
 comis, quia quasi digito ostendebat Christum: & quia
 prophetiæ iam impletæ erant in Christo, non agnoscit
 nomen Prophetæ.

Itaque dixerunt illi: Quis es? ut respon-
 sum demus ijs, qui miserunt nos. Quid
 dicis de teipso?

Non cessant donec officium Ioannis plene cogno-
 scant: hæc omnia fiunt diuina dispensatione, quo in-
 excusabiles sint Iudaei. Id est, Non redibimus, sciemus
 prius qua autoritate hæc facias, ut principibus nostris
 dicamus. Nonne uides quanti illi sint, qui nos ad te mi-
 serunt? decebit respondere pro illorum dignitate.

Ego uox clamantis in deserto, dirigite
 uiam domini, sicut dixit Esaias Propheta.

Cap. I ANNOT. IOAN. OECOL.

Ita respondet tandem: Ego sum illa uox, de qua dicitur Esa. 40. ubi consolatur Deus Hierusalem, & aduentum Christi annunciat. Quamuis quidam exponunt eum locum, quod populus fuerit remissus à Cyro rege Persarum, & omnes se mutuò adhortati fuerint, & ita paratas esse uias domino. Sed nos fidem Euangelistis omnibus habemus, qui uno ore hoc dictum uolunt in Ioannem. quasi diceret: Hoc dictum uere in me impletum est, iam nulla alia felicitas est præ foribus, illam felicitatem ego annuncio. Kolkore, uox clamans. Intelligimus uocalem præconem, qui clamaturus palàm, & nullius faciem reueriturus. Ita enim de ijs qui maxime uocales sunt liceat loqui, ut sint ipsa uox. Id est, uocalissimus annunciator & præcursor domini, ut paretur illi uia. Hebræi solent coniungere: In solitudine parare uiam bamidbar: uia in uia, sit uia parata domino. Sternetur & complanetur uia, ut dominus in hac possit incedere. Non citat totum testimonium Prophete.

קור
קור
במדבר

Ego.) Id est, ego occupavi hoc desertum, & hæc ætenui uixi etiam in deserto, ut per desertum illud designarem, Iudæam esse in solitudinem redactam: ita clamor quæ deus commisit. Etiam potest totus mundus appellari solitudo, cum destitutus est uirtutibus. Quomodo paranda uia domini? In alijs locis seipsum interpretatur: quandoquidem omnes ad pœnitentiam adhortatur, resipiscere dicens. Qui igitur resipiscunt, ex super
bis

bis humiles fiunt, ex auaris misericordes, ex iracundis mites, ex incredulis creduli, & se humiliant, & desiderant aduentum Dei. Nam soli esurientes iustitiam, pascentur & satiantur. Vnde illi uere uiam parant, qui ardentibus desiderijs Christi aduentum expectant. Nam in talibus cordibus Christus libenter inhabitat.

Parate.) Id est, estote parati, ut cum dominus uenerit, digni sitis ut illum recipiatis. In hanc sententiam scripta sunt illa. Allegorias hic adducere, nihil ad sententiam conducit: nec proderunt his qui uerbum Dei audiunt nauseantes. Parati simus, sed neq; nostris tribuamus uiribus illud, quia initium à domino est.

Et legati illi erant ex Phariseis.

Qui apud Iudeos probatissimi habebantur. Tres secte praeipuae Iudeorum: Esseni, Pharisei, & Saddu Iudeorum. Sadducaei admodum carnales erant, & resurrectionem non credebant, & non esse spiritum affirmabant, libros Mosi accipiebant, & Prophetarum repudiabant: unde inter ceteros magis reprobati. Esseni magis excedebant: non enim ueniebant communi more hominum, sed quemadmodum nobiscum monachi: quidam coelibes, qui dam uino abstinebant: Etiam isti tunc non erant probati. Sed Pharisei delegerunt medium genus. Non erant tam austeri ut Esseni, neq; tam carnales & contemptores diuinarum rerum sicut Sadducaei. Id est, ex probatissimis Iudeorum, quorum secta ab omnibus probabatur,

ut respectu istorum Ioannes sibi ipsi aliquid tribueret.

LECTIO VII.

Varia testimonia Ioannis de Christo principio nobis proponit Euangelista. In secundo testimonio, missis ad ipsum Leuitis à Hierusalem, interrogantibus num esset Christus, ut arrogaret sibi quippiam, negauit: sed se inquit esse uocem clamantis in deserto &c. Iam non satis est uitare arrogantiam, & alieum honorem tibi ipsi non tribuere, nisi & alteri suum honorem tribuas. Propterea adhuc interrogatur.

Et interrogauerunt illum, & dixerunt illi: Quid igitur baptizas, si tu non es Christus ille, neque Helias, neque Prophetas? (aliquis insignis.)

Hæc uerba asperius dicta uidentur. Quandoquidem Ioannem in sententiam suam pertrahere nequibant blanditijs, nunc seueritate nituntur quasi increpantes illum, quam autoritate baptizaret, cum id sibi nequaquam concessum esset à summis sacerdotibus: quasi nihil agere deberet nisi ab illis concessum: decebat ut ordinaria autoritate hoc faceres, quam planè uideris contemnerè. Apparet quod non satis amico animo accesserunt Ioannem, non ut meliores fierent, sed ut caperent illum in sermonibus. Videmus enim quod post tantam adhortationem nihil meliores facti sint, neque Christum ipsum requisuerunt

requisuerunt, ad quem à Ioanne mittuntur.

Ioannes respondet illis, dicens: Ego
mergo (uel tingo) in aqua.

Quasi diceret: Vile quidem ministeriū meum est: neq; mihi aliquid amplius arrogo, quàm quod aquis perfundo uenientes ad me. Igitur alium quendam oportebat inquirere, me multo præstantiorem: parum est quod ego ago, nõ oportebat mihi succensere. Iosephus in Antiquit. lib. perhibet Ioanni testimoniū, quod prædicarit populo, ut iustitiā seruaret, ut coirent in unum per baptismum: quod non ob aliam causam iuberet baptizari, quàm ut congregarentur. Hæc seruetis, ut sciat is baptismum, symbolum cõgregationis esse in unum. Et Christus hoc symbolū elegit, ne plus externæ aquæ detur quàm par est. Accedat uitæ puritas et sanctimonia: illud uerum baptisma est. Neq; Christus uoluit ultra homines addictos esse elementis, tamen si charitas requirat ut congregati simus in populum unum. Ita qui denuò baptismū inducunt, quid aliud faciunt quàm ecclesiam Christi dispergunt? Nā qui antea per hoc symbolum coniuncti, iterum disfunguntur. Igitur non loquitur magnifice de suo ministerio. Id quoq; nos recte sentiemus de nostro ministerio. Quatenus per nos agitur, sit quasi in aqua, siue sacramenta exhibeamus uel alia. Nolo negare interim comitari uirtutem spiritus

Libro 18:
cap. 10.

Baptismus
symbolum
congrega-
tionis.

sancti, sed nolumus alligatā esse elemento. Nos uerba ministramus uel etiam elementa, siue aqua sit, siue panis dominicus: ut autem illa efficaciam quandam habeant, id non erit à nobis præstalandum, sed à Christo. Ea solius Christi dignitas. Dispensatores mysteriorum Dei solum sumus, intra hos limites nos contineamus.

ἡμῶν. Cæterum medius uestrū (uel inter uos) stetit (uel stat) quem uos ignoratis.

Illam in præsentia solent exponere, pro inter uos stat. quasi diceret: Alius est cōtemptæ quidem fortis, unus è media plebe, quē ignoratis, ille est à uobis requirendus.

Ipse est qui post me ueniens (uel uenturus) qui erat ante me.

Id est, longe dignior me. Ipse est uerus præceptor, doctor ac magister, quem ego tanquam discipulus sequi debeo. Ita autem constitutum à Deo, ut ego præcedam, ille sequatur me, tempore scilicet. Ioannes hoc agit ut omnes inuestigent Christū, & agnoscant eum. Non inuidet Christo, neq; amulatur.

Cuius ego non sum idoneus ut soluiam ipsius corrigiam calcei.

Hebraismus, dum relatiuum subinde repetitur, ut Cuius ego. Sed non caret emphasi illa repetitio: ut, Ille tantus est, ego nullus sum. Christus perhibet illi testimonium: Inter natos mulierum nō surrexit maior Ioanne Baptista.

Baptista. Is aut̄ fatetur se non dignū soluere corrigiam calcei. Ibi colligunt quidam mysteriū, fuisse olim morē, ut qui uxorem quā alter dimiserat ducturus esset, solueret corrigiā calcei, ut uxor posset ad illum reuerti. Volunt igitur Ioannē allusisse ad hoc. Mea sententia, humilitatis sunt uerba. Soluere corrigiā, humile ministeriū est. quasi diceret: Ego sum minister eius, ipse est dominus, cōditor omnū, uerus magister, illi honor debetur, relinquitte me, ego sum seruus. Ita neminē pudeat suę paruitatis, quoties glorię Christi aliquid accedit, uel charitas id postulat. Nemo se magis poterit turpare quā indignis laudibus, dum plus de se sentit quā par est.

Hęc facta sunt in Bethabara trans Iordanem, ubi erat Ioannes baptizans.

Locus iste Bethabara non multum abest à Hierosolymis, proximo scilicet loco Iordanis. Videtur nomen habere à traiectu. Beth domus, & Abar transiuit: uel domus traiectionis: unde Abraham suum nomen habet qui transiuit Iordanem, quia à Mesopotamia uenerat. Erat frequēs admodum locus iste. Neq; enim fugiebat lucem, qui amantiſſimus lucis & ueritatis erat. Proinde in loco isto frequentissimo, ubi plures Iudei conueniant qui transituri erant Iordanem, Ioannē uiderant, unde fama ad plures poterat promanare ex publica doctrina & baptizatiōe: etsi nō longe à solitudine locus iste sit: sed si in solitudine fuisset, nequaquam adeo fama

Cap. I ANNOT. IOAN. OECOL.

Christi increbruiſſet. hocq; oportebat fieri, ſufficiebat alioqui ſolis uerbis admoneri. Sed Chriſtus uoluit populum affueſcere huic lauacro, quo poſtea facilius baptiſmū à ſuis diſcipulis acciperet. Hoc nimirū intelligebat Ioannes à ſpiritu ſancto. Vnde Chriſtus approbavit, & uoluit baptizari baptiſmo Ioannis. Ne quis igitur aſpernetur Ioannis baptiſma, neq; ministeria Apoſtolorū, quia idipſum efficere non poterant quæ Deus ipſe &c. Tantū de ſecundo testimonio. Nunc ſequitur tertiu. Haſtenus quidem de Chriſto locutus eſt coram plebe & Leuitis, ſed nōdum indicauerat Chriſtū: unde hoc testimonium apertius eſt, & reuelatur Chriſtus.

Sequenti die uidet Ioannes Ieſum uenientem ad ipſum, & dicit: Ecce agnus ille Dei tollens peccatum mundi.

Cauſam quare Ieſus acceſſerit Ioannē, hic non narrat, an baptizandi gratia, uel alioqui ſalutādi. Mihi uideatur quod Chriſtus ſeruare uoluerit diſpenſationi Ioannis & muneri. Non erat ignorans quod per Ioannem eſſet reuelandus: proinde ut occaſionem Ioanni daret, acceſſit: & ut testimonium accepit, baptizatus eſt.

Ecce.) Paucula iſta ſunt uerba, ſed in quibus maxima laus Chriſti nobis proponitur. Significatur enim eſſe redemptor & ſaluator mundi. Nam qui peccatum tollit, adfert nobis iuſtitiam: qui iuſtitiam adfert, idem & mortem tollit uitamq; concedit. Tantā Ioannes tri-

buit

buit dignitatē agni Dei. Olim agnus assumptus est in
 sacrificium. Solebant in ὄσδελεχισμῶ immolare a-
 gnos domino: præterea assumebatur agnus in pascha,
 quod redempti essent de seruitute Aegyptiaca, quod
 angelus pepercisset Israël. Is olim erat usus agni. Sed
 iste agnus neq; redimere poterat, neque uitam præsta-
 re, neq; patrem reconciliare, sed externum symbolum Agnus pas-
 solum, & datus in figuram populo ueri agni qui subse- schalis sym-
 cuturus erat. Propter summam igitur innocentiam, bolium.
 quia uere immaculatus agnus, nullum delictum in Chri-
 sto repertum est. Propterea uere dicitur agnus Dei,
 qui Deo placuit, quem & Deus misit, qui & seipsum
 Deo offert, quia Deo dignus est. Quid ex his omni-
 bus habemus, quàm Christum esse innocentissimum
 & Deo gratum, & ita ut propter ipsum peccata totius
 mundi aboleantur? Non dicit qui tollit illius uel alte-
 rius, sed totius mundi. Neque solum originarium, uel
 peccata patrum qui præcesserunt, sed in genere loqui-
 tur. Id est, quicquid maculae uel sordium in mundo est,
 illius dignitas & illius sanguis abluere potest. Videte,
 iam etiam aliquo modo derogat suo baptismo. Aqua
 non abluit, sed sanguis Christi. 1. Ioan. 1. Heb. 9. Certe
 quantum ad dignitatē attinet, sufficit purificare totum
 mundum à peccatis: sed ut conscientiae purificentur,
 opus est spiritu sancto qui operetur in nobis fidē illam,
 ut credamus nos sanguine Christi ablutos: & quotquot

saluatur à peccatis suis, isto sanguine purificantur: una
de eximia laus Christi est.

Ille est de quo ego dicebā: Vir uenit
post me, qui ante me erat, quia primus
(uel princeps) meus erat, & ego nesciebā il
lum. Sed ut manifestus fiat Israëli, ppte
rea ego ueni baptizans in (uel per) aquā.

Hiscē uerbis ita admonere uult. Ecce superioribus
diebus multa dixi in laudem istius uiri, quem hactenus
facie ignorauimus: iam adest. Videtis quis ille sit? Repe
tite uos nunc ipsi quantus sit, cui hactenus tantum testi
monium perhibui. Audistis: ille erat post me uenturus,
de plenitudine eius omnes accepimus, gratiā pro gra
tia. Quandoquidem magister ipse præsens est, indignū
erit ut adhareatis discipulo. Dum dicit, Ego nescie
bam illum &c. duo dicit: ignorasse se Christum, & ba
ptizasse aqua: hoc est, ut baptismus quo ego baptizo
minus sit suspectus, quasi colludamus inuicem, & uo
luerim gratificari cognato meo: eapropter factum di
uina dispensatione, ut minor mihi cum tanto uiro fami
liaritas, ut libentius accipiat baptismus. Solum bapti
zauit ad futurū. Vere nesciebat illum. Nā etiam puer
uixit in solitudine, non in Hierusalem inter sacerdotes,
sed in agro & nemoribus. Non ideo solus fuit, ut quis
piā pueriliter possit imaginari, sed uixit inter innocuos.
Israël.)

Israël.) Propter quem scilicet missus est, ut colligeret oves quæ perierunt in Israël. Iam indicat quomodo cognoverit ipsum, & indicat eam scientiam non esse à carne & sanguine, sed superne homini concedi.

LECTIO VIII.

Pervenimus nuper usq; ad tertium testimonium, quod Baptista salvatori dedit. Conspicatus Christum uenientē, dixit: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi: quibus uerbis miras Christi laudes testatur, nempe Christum esse saluatorem omnium, & immaculatam uictimā. De hoc testimonio postea inquit, quod suspicione careat, & non ad gratiam esse locutū: Qui prior me est &. Dum ita loquitur, indicare uult quod non loquatur in gratiam, uel quod necessitudine sola iunctus sit, uel familiaritate deuinctus. Nesciebam illum, fungor munere meo mihi à Deo iniuncto, non loquor ex gratia aliqua. Vera sententia huius loci, si quidem modum Hebræorum agnoueritis. Duo autem tropi in hoc dicto occurrunt: unus uerbi est, alter sententiæ. Solent & Græci & Hebræi in præterito enunciare, quod in præsentis dictum esse uolunt, ut Latini: Odi hunc hominem, id est odio habeo. Ita uidi uel sciui. Sic hoc loco, ut simplicior sententia sit, Ego nescio illū, in præsentis. Et si uocem agnoscitis primā, facile alium tropū agnoscetis, cū dominus dicit: Discedite à me, ego nescio uos. Planè dominus nouit nos omnes, quia cor no-

Duo tropi.
Hebraism⁹
præteritum
pro præsen
ti.

Cap. I ANNOT. IOAN. OECOL.

uit. Sed dicit: Iam non respicio personam uestram, sed an feceritis uoluntatem patris. Fungor iudicis munere: iam uos non agnosco. Eos dicimus nobis ignotos esse, quando nõ ad personã loquimur. Ita Ioannes. Nõ ideo fit ut testimonium feram, uel ei bene uelim: nihil tale suspicari oportet: magis me mouet iniunctum opus, ut manifestetur Israël suus redemptor: ob hanc causam ueni ut baptizare aqua. Si quis ultra sciscitaretur: Unde autem tu habes, quod sit tantus coram Deo?

Et Ioannes testificatus est, dicēs: Dignus intuitus sum spiritũ descendentẽ specie columbæ de cœlo, & mansit super illũ, & ego nesciebã illum. Sed is qui misit me, ut tingerem aqua, ille mihi dixit.

Hoc est indicium muneris mihi diuinitus iniuncti, quia cum baptizaretur à me Christus, uidi cœlitus spiritum sanctum quasi columbam: alioqui ego planè non attendissem hominis illius gratiam uel familiaritatem, uel aliam causam: sed cum hoc cernerem, præceptum datum fuit mihi ut illi testimonium perhiberem. Et hisce sequentibus uerbis dicit sibi factam reuelationem:

Super quem uideris spiritum descendentem & manentem super illum, ille est qui baptizat in spiritu sancto.

Is qui mihi externũ illud officium demandauit, etiã mihi

mihi indicauit & reuelauit uenturum alium, qui spiritu sancto esset homines baptizaturus, & hunc liceat hoc modo cognoscere. Nimirum Ioannes poterat secum cogitare: Quid faciam ego si sola aqua homines abluero? quandoquidem aqua est, nequaquam poterit pectora hominum purificare. Intellexit autem alium esse qui spiritu corda hominum purificaturus esset, cuius purificationis symbolum aqua externa sit. Quomodo aqua externa abluat corpus, ita spiritus, qui uiua aqua est, emundat corda, ut Psal. 51. Amplius laua me à pec. &c. Obtinuit Euangelista baptismum Christi, quomodo baptizatus sit, cum ab alijs Euangelistis descriptus esset. Baptizato Christo uisus est spiritus sanctus: non quod antea non fuerit repletus spiritu sancto, absit: Nam diuinitas à Christo nunquam separata fuit: unde & Christus appellatus est, quia unctus est spiritu sancto. Hora autem baptismi, quando reuelari oportebat Christum, hoc signo ostensum fuit Ioanni, Christum esse plenum gratia. Non solum descendit in illum spiritus, sed mansit etiam in illo, ut Esa. dicit: Spiritus domini super me, eo quod unxerit me. Item cap. 11. Spiritus domini quicuius super me. Ideo in illo resedit plenitudo omnium bonorum. Eas diuinitas possedit Christus etiam infans & in utero materno: sed non fuit istis donis usus, neque ostendit se tale doctorem, quale post baptismum. Hic quando legitis spiritum sanctum descendere sicut columbam, questio solet moueri, qua

Ista columba fuerit: quāuis curiosa esse uideatur,
 utilis tamen uel ad hoc fuerit, ut possimus de alijs rebus
 facilius iudicare. Solent ferè de huiuscemodi sensibili-
 bus rebus pronunciare, quod angeli ad eruditionem ho-
 minū hasce species assumāt. Sicut etiam quando Deus
 apparuit Mosi, in rubo ignis, & ea quæ tunc externis
 oculis obiecta fuerunt, administrata esse dicuntur ab an-
 gelis. Simili modo de illa columba uisibili loquuntur,
 quod formata sit ad tempus aliquod ab angelis. Hoc
 certum est & necessariū confiteri, Deum uel spiritum
 sanctum nulli creaturæ se unire, in unam personam,
 quemadmodum uerbum Dei carnem hominis assump-
 sit. Absit ut talem unionem ponamus in homine. Sic si
 quis uelut annunciare de columba ista, & dicere colum-
 bam esse spiritum sanctum, is profectò multum aberrat.
 Sed quid faciebat illa columba? Hoc nempe, ut indi-
 caret ubertatem spiritus sancti in Christo, & hunc esse
 uere unctum à domino: ideo columba erat docendi gra-
 tia & ostendendi. Qualiscunq; illa fuerit, siue animata
 siue inanimata, nihil ad nos: fuit species illa uisibilis: sed
 non est affirmandum spiritum sanctum in sua natura
 columbam fuisse. August. in lib. de Trinitate copiose
 illa tractat. Quod ideo indico, quia mox eodem loco,
 ubi de columba locutum est, de symbolis nostræ reli-
 gionis loquitur, quod etiam ista instituta sint ad do-
 cendum, nimirū beneficia & gratiam Dei. Proinde ne-
 cesse

esse est, ut qui cōtentiosius loquuntur, neq; audire mo-
 dum uolentes, quo Ecclesiastici loquuntur, maxime er-
 rent. Nam si aquam uelis affirmare, esse substantiue
 gratiā spiritus sancti, necesse est ut aberres, nisi *uisti-*
nōs, quod nemo negat, si duo illa hoc modo uelles uni-
 re. Simili modo loqui possumus de coena dominica.
 Hoc autem dixi, ut amoueā quorundam impudentiā,
 qui cum audiūt ita loqui de rebus sensibilibus, quasi gra-
 tiam auferamus, calumniantur. Nōne manifesta cal-
 lumnia? cū nemo est qui neget Christum esse plenū gra-
 tia, quādo columba sedit super illum. Et tamen cū hoc
 asserimus, Christum esse plenū spiritu sancto, nihilomi-
 nus nolumus creaturæ uisibili hoc tribuere. Ideo mani-
 ste sunt calumniæ. Si cōtentio fuerit de elemento ante
 oculos posito, nō tribuimus effectum elemento, sed ho-
 minibus qui fidem habent. Similis error eorum in uer- *Gramma-*
 bo externo: uerum facile qui spirituales sunt poterunt *tiste.*
 in his rebus iudicare. Sacramēta duntaxat impijs sunt
 signa pura, quia impij sunt: qui fide præditi, illi utique
 non ab ipso pane hoc habent, sed à Christo.

Ego nesciebam.) Memores estis quod dixi. Id est,
 non loquor ad gratiā illius, quod nunc testificor uidi-
 se spiritum: hoc loquor ideo, quia præceptum habeo à
 Deo. Baptismū in spiritu sancto, solius Christi esse, an-
 tea dixi. Qui baptizat spiritu, is cor hominis innouat,
 ueterem Adam plene mortificat, Pharaonem nostrum

demergit, facitq; nos novos homines. Homo hoc nõ poterit præstare. Iam sicut uidimus in Christo, qui prius plenus gratia & postea baptizatur: ita nõnunquã fit, ut quidã antea spiritu sancto præditi sint, & postea id ipsum signis contestatur. Non est necessariũ ut duo illa cõiungamus. Fit ut nõnunquã quosdam in album ecclesie ascribamus, qui non spiritũ sanctum habent, sed bona spe adepturos tenemur. Absq; dubio multi ab Apostolis baptizati, qui spiritum sanctum non habuerunt.

Et ego uidi & testatus sum, Hic est filius Dei.

Hoc Ioannes audiuerat: Hic est filius dilectus in quo cõplacitum habui, hunc audite. Propterea noluit occultare illud. Iam quamuis præsens sit, & corã ministro, omnes tamen adhortor ut illum accedatis, & pro redemptore agnoscatis. Nihil profectò posset amplius in laudẽ Christi dici. Sunt qui inter fructus baptismi cõmemorant, ubi baptizati fuerimus, tunc nos quoq; spiritu sancto impleri, fieri templa eiusdem, & filios Dei. Verum quidẽ est, si quidẽ à spiritu sancto mox illustrati post baptismum fuerimus, & uera fides accesserit, tunc sentiemus nos esse filios Dei, & clamabimus, Abba pater. Propterea etiã hoc obseruandum est, Christum suo

Institutio baptismo cõsecrassse nobis baptismũ, atq; etiã tunc esse baptismi. institutum. Nã qui post Christum baptizati erant, nõ opus habebant rebaptizatione. Etsi in Actis legatur, quosdam

quosdā rebaptizatos esse: sed ignorabāt adhuc spiritū sanctum, hoc est, nō sciebant Christū. Qui autem congregantur in discipulatum Christi, ecce ij faciunt hoc, quod Deus ab illis requirit. Nam fides exigit ab illo, ut quod corde credat, ore profiteatur. Non enim hoc dicimus quod post resurrectionē Christus primum instituerit baptismum, sed sicut in coena instituit ritum synaxeos, & sanctificauit, ita cum ipse baptizaretur, baptismū instituit. Sed uirtutē nullam illa duo externa habent: ex sanguine Christi uirtus confertur. Si fidem in Christum habes, tunc sacramenta efficiunt aliquid.

Virtus sacramentorum ex sanguine Christi.

Postero die Ioānes iterū stabat, & duo ex discipulis illius, & cum inspexisset lesū ambulantē, dicit: Ecce agnus ille dei.

Hoc quartū testimoniū est Ioannis, quod præbet Christo. Et uidete quomodo semp̄ posterius testimoniū aliquid addat prioribus. Primū, corā plebe: secundū, corā sacerdotibus, etiā cū periculo quodā: tertium, presente Christo: quartum, discipulis suis, quos manifeste à se ablegat, & ad Christū mittit. Iam nō uult ut discipuli ipsum sequantur, sed ut diuertant ad uerū præceptorē. Iam tempus ut uera Christi ecclesia cōgregaretur. Interim licet animaduertere, quamuis Ioannes multo tempore prædicant laudes Christi, & pauci confluerent ad Christum ex suis, nihilominus nō desinit adhortando. Ita nobis perseuerātia opus est, neq; ob auditorum

nonnunquam tarditatem negligentiores esse debemus.

Stabat.) Quidam allegoriam adducunt de Mo-
se, sed potius perseverantiã in officio significat. Etiam
quodammodo uidetur exostulare cum discipulis.

Ecce.) Pauca sunt uerba, quæ hic ponit Euange-
lista. Non dubito quin Baptista pluribus dixerit, &
inflammari animos discipulorũ, ut adirent Christum
se relicto.

Et duo discipuli audierunt illum lo-
quentem, & sequuti sunt Iesum.

Vix tandẽ à se ablegare potuit discipulos suos, au-
dierũt tamẽ eũ, & secuti sunt Christũ. Sed uidete ante
omnia quomodo caute discipuli accedũt Christũ, & cu-
piũt expertiores fieri de doctrina eius & cõuersatione.

Conuersus autẽ Iesus, cum uidisset il-
los sequentes, dicit illis: Quid quæritis?

Vbiq; Euangelistæ modestiam & mansuetudinem
commemorant Christi, & tanquam exemplum propo-
nunt, quàm blande illos ad se uocet. In Mattheo clas-
rum quomodo uocarit.

Quid quæritis.) Ideo ponitur, ut manifestetur
gloria Christi. Si quis uiderit schematismum, quomo-
do omnia diuino ordine fiunt, uix satis poterit admira-
ri artificium Christi. Iam principio non laudat, sed pri-
mo omnia perquirat, ut cum ad alios uenerint, habeant
occasionem gloriandi & laudandi Christum.

Post laudes quas Ioannes Christo tribuit, narrat quomodo Christus discipulos collegerit. Varias autem apud Euangelistas inuenimus uocationes. Nam istæ quæ hic habentur suere primæ omnium, de quibus alij non faciunt mentionem. Vnde Petrus & Andreas quamuis inuenissent Christum, nihilominus iterum disgressi sunt ad sua, & nondum adhæserunt ut decebat præceptori. Videamus autem hoc diligentius, ut discamus etiam nos fieri discipuli Christi. Nam ut primum admoniti fuerimus, ne contemnemus. Semper enim tardatio prodit maleuolos animos, & parum conciliatos. Ita etiam legimus apud alios Euangelistas, in Mattheo & cæteris, ubi uocati à domino, relictis omnibus quæ habebant, secuti sunt illum. Ita illi reliquerunt suum magistrum ad illius admonitionem, & ignoto adhæserunt. Repetam præcedentia non sine fructu.

Et conuersus.) Secuti nõ sunt solum pedibus, sed etiam animo. Hoc nimirum aduertit Christus, quo animo illum sequaris. Multæ turbæ sunt secutæ Christum, quas ille nõ approbavit, propter incredulitatẽ illorũ.

Quid queritis.) Quam ob causam adestis? Qui uolunt esse discipuli Christi, ante omnia suas mentes dijudicent, quid apud Christum querant, num seipos uel ueritatem, num humanam uel diuinam sapientiam: unde pulchre præmittitur illa exhortatio. Fallimini

perfectò si apud me quæsieritis id quod Pharisei peculiare habent, ut magni habeantur apud homines: quod proprium etiam Sophistis est nostro seculo: tale nihil inuenietis.

At illi dixerunt: Rabbi, quod dicitur, si interpreteris, præceptor, ubi manes?

Videtur ista responsio ferè aliena ab interrogazione. Christus dicit: Quid quæritis? Illi dicunt: Vbi manes? Illi non respondent, sed quærunt. Verum expendite uerba penitius. Rabbi proprie significat præceptorem. Cupimus autem te uti præceptore: appellamus nunc te magistrum: tametsi alioqui cõmune apud Hebræos nomen sit, equidem propter multitudinem scientiæ datum est.

Vbi manes.) Ideo uenimus, ut consuetudinẽ quamdam & familiaritatem tecum contrahamus: querimus planè te ipsum ut iuuamus tecum, & sumus tui discipuli. Hactenus discipuli Ioannis, nũc tui. Felix transgressio à Ioanne uenire ad Christum. Si hactenus quandam externam doctrinam accepisti de rebus cõmunibus, & lacte enutritus, ut in Epistola ad Hebræos, accipias aliquando solidum cibum, quem inuenies apud Christum: ille est doctor cordium, & uere θεοδιδάσκων facit. Nõ solum ore, sed etiam pectore adhæreamus. Dicunt, Cupimus apud te manere: attamen ubi gustum accepimus tuæ consuetudinis, nimirum retinebis nos totos.

Dicit

Dicit illis.

In hoc discamus, ut quæramus ipsum Christum ueram sapientiam. Si autem & nos quærere uoluerimus ubi maneat Christus, inueniemus illum: manet in puris & sanctis pectribus, amat mentes humiles & ueritatis audios: si quis præcepta eius seruauerit, ad illum ueniet, & mansionem faciet apud eum.

Venite & uidete.

Non contradicit petitioni illorum, quasi insolenter petant, uel quasi uelit maioribus titulis ab eis honorari: sed facile admittit quosuis, qui puro & simplici corde ad se ueniunt. Scitote autem non solum istos duos discipulos inuitari, sed potius omnes nos inuitamur, ut Matth. 11. habemus: Venite ad me omnes, &c. Non enim absq; causa spiritus sanctus talia præmittit in præfatione. Vix uspiam legitis tam egregias inuitationes, quæ se clanculum insinuant. Talem decet esse uitam magistrorum, ut conspicua sit omnibus, ne à quopiam reprehendatur, ne amet tenebras, sed lucem. Id est, ea quæ ago talia sunt, quæ lucem non abhorrent, quæq; cupio omnibus mortalibus esse perspecta: etiam facilis sum ad excipiendum quosuis. Utinam possemus uidere mansuetudinem nostri præceptoris, quomodo ipse habitet in cordibus suorum.

Venerunt & uiderunt ubi maneat, & apud illum manserunt die illo.

Cap. I ANNOT. IOAN. OECOL

Non satis est accelerare ad tam fidelem præceptorē : neq; sufficit pio & simplici ueritatis audio solum accedere, nisi etiā assuescas, & sedulus sis apud talem præceptorē. Ostendit igitur quomodo in primo cōgressu adhæserunt Christo. Supra modum igitur arrisit eis habitare cum Christo, quia illo die manserūt apud illū.

Erat autem hora quasi decima.

Habebant satis horarum cōuersandi & colloquendi cum Christo : miscebant principio uberos sermones, absq; dubio, etsi non sint huiuscemodi conscripti. Nam mox cognouerunt ipsum esse Mesiam, ex immensa sapientia quam audierant. Manendum etiam nobis est, si semel ad Christum uenerimus, usquequo uiuimus. Simplex est historia, sed si quis maiestatem Christi attēdat, is allegorias nō reijciat: nā hoc ingenū est scripturæ. Atque nolumus sacras cū uulgaribus literis cōferre : sed ut cætera reijcias temere, non uideo quomodo probetur.

Decima.) Quis apud illos modus numerandi fuerit, ex alijs locis poteris coniectare. Nam sæpe habemus primam, secundam, &c. quia à matutino tempore incipiebant, ut nos à meridie. Et ita manserunt tota illa die apud Christum.

Andreas frater ille Simonis Petri erat unus ex duobus eorum, qui audierant à Ioanne, & secuti sunt illū, Iste primus inuenit

inuenit fratrem illum suum Simonē & dicit illi: Inuenimus Messiam, quod est si interpretetur, Christus (id est unctus.)

Qui uere Christum reperiunt, hi nō sunt contenti sua salute, sed inflammantur secum, & cupiunt etiā plurimos adducere, facereq; suæ salutis participes. Hoc habet proprium diuinæ sapientia, ut nō inuideat alijs, sed si quā plurimos possit adducere, hoc curaret modis omnibus. Neq; iam appellat solum magistrum, sed etiam Messia, qui à Prophetis prædictus est, de quo iam tantus rumor ubiq; peruagabatur: Nam Ioannes multa in eius laudem dixerat, & totus mundus suspensus erat in expectatione Christi: Hebdomadæ Danielis impletæ erāt. Facile offensus fuisset quis in Christo, propter mediocrē uestitum. Non ibi famulitiū, neq; tanta pompa ministrorū, qualia pleriq; ex Iudæis spectabāt, qui optabant talem regem qui Salomonē præferret. Apparet autem illos tractos fuisse à domino ad sui cognitionē. Quod fratri annunciat, etiam nobis annunciatum est: Inuenimus Messiam, maximum thesaurum. Solent Euangelistæ inserere uoces magis uulgatas apud Hebræos, nō ut opus sit arguari, quasi multum in his lateat retrusum, & quasi priuilegium his uerbis concessum sit incantatoribus, qui solent Adonai & alijs uti uocibus ad præstigias suas. Sed cū maior pars ex Iudæis cōuersa, & huiuscemodi uoces cognoscerent omnes, ut Rab-

Cap. I ANNOT. IOAN. OE COL.

bi, Halleluia &c. Propterea reliquerunt uoces istas, quia omnibus notas: ut in uernaculo quis dicat, Bonus dies: etiam tonsoribus cognitum. Tamen ne offenderentur gentes istis uocibus, interpretatur eis quid sit. Ita & nos quoque, si dominus dignatus fuerit nobis concedere prae alijs cognitionem Christi, libenter quod nobis communicatum est alijs etiam demus, optantes ut Christus omnibus fiat notus, & quantum in nobis est adducamus quos possumus.

Et duxit illum ad Iesum.

Ita se gessit Andreas. Nunc de Petro nobis sermo est. Is à principio, quia futurus erat princeps apostolorum, egregium cognomen à Christo accepit, ut uocetur Cephas: quod nomen etiam hic interpretatur.

Iesus cum esset intuitus illum, dixit: Tu es Simon filius Iona (alij Ioanna) tu uocaberis Cephas, quod interpretari licet Petrus (à petra uel lapide.)

Id est, Tu eris posthac saxeus & firmissimus. Ita Christus prophetizando Petrum conciliat, & suum proprium facit. Hoc inuenimus in scripturis, quod hi qui nomina aliquibus mutant, indicant se esse dominos eorum. Sic cum Nabuchodonosor Danielelem & socios eius dixisset in captiuitatem Babel, ut iam censerentur de familia regis & proprii, immutauit eis nomina. Ita Christus

stus suis discipulis electioribus quedam insignia dat nomina, sciens quales olim futuri essent. quasi dicat: Tu nunc eris mihi dilectus & proprius, propterea do tibi nomen. Quare autem uocetur Cephas, alibi interpretatum est. Adulatores Papæ à κεφ x λη deduxerunt, sicq; Papam caput Ecclesie uolunt facere: Sed hebraica dictio כפא à lapide cognomen sumpsit. Animaduerte, si transferimus ad Christum, ipse nouum nomen nobis indit. Id est, necesse est exeanus de domo nostra, & nouo modo nominemur. Parum refert si serues nomen tuum, modo aliam uitam indues. Hi fuerunt primitiæ apostolorum. Ultra commemorat quo modo & Philippum uocavit per seipsum. Videte iterum pulchrum ordinem, quomodo autoritas Christi crescit. Andreas mittitur à Ioanne, Petrus à discipulo Christi. Tertio Christus ipse uocat Philippum, & suam auctoritatem ostendit.

Postero die Iesus uoluit egredi in Galilæā (campestris alioqui regio) & inuenit Philippum, & dicit illi: Sequere me.

Etiā in hac uocatione Philippi uidemus opus Dei: nam Philippus non offenditur ex uocatione ista. Poterat dicere: Nondum audiui miracula de te, neque hactenus habitus es pro sapienti uiro ut te sequar: sed erant efficacia uerba Christi, eapropter sequitur, quia tractus à Deo.

*Ilias postea
ab Herode
dicta.*

Erat autem Philippus à Bethsaida, à
ciuitate Andreæ & Petri.

*Erant ferè piscatores in ea ciuitate. Iosephus fuisse
opulentam ciuitatem dicit. Habebat lacum, & Galilæam
leam campestem regionem.*

LECTIO X.

INter alia quæ nuper ostendimus propria esse discipulis Christi, hoc unum erat, ueros discipulos sua salute non esse contentos, sed summo studio inquirere, & cupere, ut quotquot possent adducere ad Christum non negligant. Ita Andreas Petrum adduxit. Ita etiam nunc hoc loco Nathanaël Christi discipulus fit.

Philippus inuenit Nathanaëlem, & dicit illi: Quem scripsit Moses in lege, & Prophetæ, reperimus Iesum filium Ioseph, illum qui à Nazaret est.

Incidit Philippus in Nathanaëlem, & mox participem facit sue felicitatis, & quantum thesaurum inuenit, ostendit, ut congratuletur ei.

Quem Moses.) Nihil enim ita cõmendauit Moses in omni lege sua, atq; uenturum Messiam. Vnde insignis locus est Deuter. 18. ubi legimus Deum promittere prophetam alium similem Mose, qui loquetur populo, quia populus uel concio, ut ibi dicitur, nolebat uocem domini audire. Approbauit hoc Deus quod postea per

per Prophetã locuturus sit eis, id est per Christum, qui similiter legẽ ferat ac Moses ipse, sed melius explanatam, & qui erudiat etiam nostra corda, & scribat legem in intima cordis penetralia per spiritum sanctum.

Est & alia prophetia admodũ celebris, quæ apud Mosem habetur. Nam Iacob iam iam moriturus, præ Gen. 49 dixit inter cætera: Non deficiet uirga de domo Iuda, donec ueniat Silo uel Messias, cui aggregabuntur gentes. Ibi manifesta promissio est Messie. Videbãt recessisse sceptrum & uirgam, id est, regiam autoritatẽ, & iudiciariam potestatem de domo Iuda. Nulli iam amplius iudices apud Iudæos: regnabãt enim Romani, & Herodes alienigena: quod manifestũ indicium erat Messiam proximum esse, unde omnes expectabant eum. Ideo ille suum gaudium quod cõceperat ex Christi uocatione, alijs cõmunicat. Nullus Prophetarum qui non aliqua ex parte de Christo prophetauerit: & cũ de re-gno Christi dixerunt, utiq; & de Christo. Sic & Christus inquit, Mosen & Prophetas sibi testimoniũ dare. Si me non audierint, neq; Mosen, neq; Prophetas au- Ioan. 5. dient. Videtis Philippum statim officio Apostoli fungi apud alios, & eximijs laudibus Christum prædicare.

Iesum Nazarenum.) Si quis à facie hominẽ spectare uelit, uel profapiam, uel familiam, uidebit admodum humilem: etsi ex familia Dauid, tamen non in pristino decore erat ut ex illa eligeretur reges uel iudices.

Et Nathanaël dixit illi: Potest ne aliis
quid boni esse ex Nazareth?

Illud Christus ex nobis omnibus petit, ut simus simplices sicut columbæ, & prudentes sicut serpentes. Idque licet in Nathanaële reperire, quemadmodum postea à domino ipso cōmendatur, quod in eo dolus nō sit, & quod uere simplex sit. Nihilominus cum ita simplex esset, noluit tamen statim recipere Christum, cum uideret scripturas quodammodo sibi obsistere. Legerat &

Cap. 2 apud Micheam prophetā, ut Matth. dicit: Nequaquam minima es inter principes Iuda tu Bethlehem terra Iuda: ex te enim proditurus est dux, qui pascet populum meum Israël. Hoc testimoniū apud omnes Iudæos uulgatum erat, Messiam ex Bethlehem originem tracturū: unde offēdebatur quod ex Nazareth esset: Quamuis postea plurimū uersatus sit in Nazareth, & primū ab angelo Mariæ illic annunciatus, & patriā suam uocet Nazareth, tamē postea sub Augusto uoluit nasci in Bethlehem, ut Luc. 2. Habuit igitur iustam quærendi causam, ne sibi imponeretur: & Philippus facilius in assidendo Christo. quasi dicat: Vide an ita scripturæ habeant, quod Christus ex Nazareth ueniat: uidetur omnino aliud per Prophetas. Admonemur ne facile sinamus nobis imponi fallacijs uerborum si quas scripturas habemus, imò nihil aduersus illas recipiamus.

Philippus dicit illi: Veni & uide.

Rudis adhuc erat Philippus, & non poterat subtiliori disputatione Nathanaëli respondere, sed mittit ipsum ad Christum, bona spe, si uideat illius miracula & opera, præterea audiat sapientiam oris eius, quod absq; huiuscemodi testimonijs adduci possit. Egregia exhortatio est, ut accedamus ad ipsam ueritatē. Si quid tale obijciatur, ne temere refragemur, & admoneamus ut alij rem melius explorent quibus maius donum est. Neq; dubitabat Philippus ipsum esse Mesia, etsi scripturis non posset probare: ut multi qui Christiani sunt, neq; scripturā norunt, sed spiritum in corde eorum habent, neq; cum Nathanaële disputare possunt.

Scripturā
nescientes
qd faciunt

Iesus uidit Nathanaëlem uenientem ad se, & dicit de illo: Vide uere Israëlita, in quo dolus non est.

Videte hoc loco probari Christo, si diligenter scripturas scrutemur, & nihilominus omnia facimus quæ ad inueniendū Christum pertinent. Nō satis fuisse Nathanaëli, si allegasset pro se dictum Micheæ prophete, nisi etiam diligenti studio Christum quæsiuisset. Solent serè semper contentiosi ueritatē omittere: eapropter inquit Apostolus, ecclesiam nō habere eam consuetudinē ut contendat. Sed quoniā Philippus uerisimilia dixerat absque dubio de moribus Christi, uenit & uidit. Ita fieri potest, ut nos principio scripturā non recte

Cap. I ANNOT. IOAN. OECOL.

intelligamus, ideo nostrū erit contendere in adyta scripturæ, & deposito supercilio nostræ rationis uideamus rem ipsam. Ea Dei misericordia, ut ostendat se ijs, qui ueritatem querunt. Vnde is meretur talem laudem, ut dicatur esse uerus Israëlita. Id est, nō solum secundum carnem, sed etiam moribus patrē suum Iacob, qui alio nomine Israël, quia binomius fuit, referat. Ita ob eximiam simplicitatem fuit cōmendatus. Idem Iacob etiam simplex, habitus ab Esau quasi impostor, ob coniunctam prudentiā. Simplicitas sit cordis, ut nō cupiamus quempiam offendere, neq; ueritatis curam prætermittamus. Ecce in hoc fuit imitatus patriarcham Iacob, qui nomen habuit à supplantatione, sicut frater eum cognominabat. Erat tamē uere simplex, & homo pacificus, & diligebatur à matre. Ita Christus illū Nathanaëlem nobis cōmendat. Alij afferunt hic duplices Israëlitas, quosdam secundum carnem, & quosdam secundum spiritum. Nescio an satis tempestiue illa distinctio adducatur. Nos relinquimus illa. Alios negat Christus filios esse Abraham, ut audiemus Ioan. 8. alios probat. Ille autem imitatur uirtutem patris sui. quasi diceret: Ideo uere es Israëlita, & recte imitaris Israël, quia non es fraudulentus, neque propterea stupidus.

Vnde me cognoscis?

Is admirabatur illam Christi familiarem appellationem, unde mores illius cognoscere cupit, qui ipsum
simplex

Simplicitas

Gen. 29

simplicē pronunciauerat. Nā talem laudem cuiuspiā ex-
 hibere, nō paruum uirtutis indicatiū est. Neceſſe est ut uī-
 deas quid in pectore hominis lateat, & uideas intus qua-
 lis sit, antequā pronuncies. Hoc non est hominū, sed so-
 lius Dei, qui scrutatur corda & renes. Ideo periculosis-
 simum iudicare de alijs, & cōdemnare tanquā impios,
 dolosos & mendaces. Fieri potest ut homo aberret præ-
 ter suam uoluntatem: & ut nescimus quanta sit cordis
 alieni impietas, ita etiam nescimus eius iustitiā. Nesci-
 mus an homo amore Dei uel odio dignus sit. Loquor
 de alijs ut Ecclesiastes habet. Parce lauda, parcus uitu-
 pera, inquit Seneca. Hisce itaq; uerbis statim Christus *Laudare et*
 indicauit se uerum Mesiam esse, qui in cordibus homi-
 num regnet, quāq; penitissima cordium cognoscat. De- *iudicare de*
 niq; in hoc loco satis prudenter agit, quasi diceret: Mi- *quem, quid*
 rum est, hætenus nihil tecum consuetudinis habui, ut *requirat.*
 ita me totum cognoscas, quasi alienus sim à dolo.

Iesus respondit, & dixit illi: Antea-
 quam uocaret te Philippus, existentem
 te sub ficu, uidebam (uel uidi) te.

Admonet Nathanaëlem eius loci, in quo uocatus
 fuit per Philippum. Inciderat enim Philippus in Na-
 thanaëlem apud ficum arborem, cum abesset Christus
 à longe. Iam indicatiū ueri Prophetæ ostendit, cum arca-
 na & occulta, quæ homini cognoscere non licet, dicit,

Cap. I ANNOT. IOAN. OECOL.

Futura & ut certum faciat quantus sit. Futura autem & absentia
 absentia di prædicere, ipsum opus est Dei: non enim eò se extendit
 cere, opus humana imbecillitas: uix quæ ante oculos posita sunt
 Dei. uidemus, quomodo quæ procul disident: Interim osten
 dit nobis arcanas quasdam rationes electionis apud
 Deum: tribuimus enim omnia diuinæ misericordiæ,
 quod uel hunc uel illum deliget, neq; licet nostris uiri
 bus adscribere quicquã. Vult dicere: Antea noui te nõ
 esse dolosum, cisi adhibita scriptura reieceris me: uidi
 testimoniũ tuum non ex iniquo pectore profluxisse: &
 quoniam cognoui te absq; dolo, & ita collocutum cum
 Philippo, non est mirum si me tibi cognobilem faciam.
 Ita cessat dubitatio, quare Deus multis reiectis, paucis
 quibusdam donet gratiã. Multi audiunt idem uerbum,
 pauci autem agnoscunt Christum. Ipsi intelligunt qui
 absq; hypocrisi illum querũt, iuxta Ezech. Si idolum
 in pectore tuo positum fuerit, tum dignus es ut mittatur
 falsus propheta quo seducaris. Si Nathanaël irrisset
 Philippum, dignus fuisset reiectione.

Ezech. 14
 Respondit Nathanaël & dicit illi: Magi
 ster tu es ille filius dei, tu es rex ille Israël

Videte non fuisse hominem dolosum: statim ut con
 uictum est pectus eius, iam nõ mordicus adhæsit literæ,
 quam antea produxerat contra Philippũ: sed mox ue
 ritatẽ recipit, & suo sensui renunciat, quasi dicat: Iam
 non est quare contranitar, quia tu occulta cordium nõ

sti, quod solius Dei est: necesse ut fatear te esse Mesſiã. Sciant Iudæi & Ariani Christũ esse uerum Dei filium, non ut sancti alij hereditant, sed natura filius Dei, & præ alijs. Ecce etiam iste nõ offensus fuit ab humilitate Christi, & erat admodum doctus, quod apparet ex scripturæ testimonijs, quæ citantur partim per ipsum, partim per Christum: noluit tamen Deus illum allegare numero apostolorum, ob hanc scilicet causam. Delegit enim piscatores, & Matthæum sedentem in teloneo, homines rudes, ut cognoscatur diuina sapientia, & ut per uerbum crucis infatuaretur sapientia istius mundi: etsi ille probus, eruditus in lege & c. Nemo igitur si alijs donis præditus fuerit quàm fratres, agreferat si non apostolatus munere fungatur: nam spiritus hæc dona distribuit prout uult, in utilitatem ecclesie. Non est respectus personarum apud Deũ: humiliores assumuntur, prout Deo uisum est. Cor nobilius membrum in corpore, attamen manus, quæ ignobilior est, magis laborat. Idq; accidit Nathanaëli.

Nathanaël
quare in A-
postolũ non
electus.

Respondit Iesus & dixit illi: Quia dixi tibi, uidebam te sub ficu, credis: maiora illis uidebis.

Id est, admodũ pbata est mihi fides tua & ista candida facilitas, quod ad unũ meũ uaticiniũ confiteris me filiũ dei, quia dixi tibi occulta, quod sub ficu te uiderim ecce uidebis maiora. Si nõ neglexerimus prima dona,

ea Dei liberalitas, ut in dies remuneret. Si talentum distribuerimus, dominus super multa nos constituet, & uidebimus multa plura. Contrà si negligentes fuerimus, & talentum defoderimus in terram, id quod concessum est auferetur.

LECTIO XI

Avdiumus heri quàm facilis fuerit Nathanaël ad consentiendū ueritati, & quia fidem initio declarauit syncerā, accipit promissionē, quod posthac longe maioribus donis honorandus sit. Legimus ita:

Et dicit illi: Vere uere dico uobis, à nunc uidebitis cœlum apertum, & angelos Dei ascendentes, & descendentes super filium hominis.

Auerbia sunt confirmandi & iurandi: id est, in ueritate eueniet planè ut dico, tutò potes fidem adhibere. Dixi nuper uulgatissimas illas hebraicas uoces esse insertas, eo quod plerisq; nota erant. Non est ut allegorias abstrusas rimemur. Dicunt Amen, signaculum precum nostrarum. Ibi alio modo accipitur, quia Deus uerax, non dubitamus quin fiat quod promisit.

Amen.

Videbitis.) Mira opera Dei. A nūc, id est, posthac: Quia & Nathanaël Christū uocauerat regē Israël, et ipse quoq; appellatus fuerat uerus Israëlita, quale futurum sit regnum Christi, à figura Israëlitis pulchre insinuat.

nuat. Gen. 28. legimus, quomodo cum Iacob proficisceretur in Mesopotamiam, fugiens à fratre suo, & cum dormiret noctu super lapidem, uidit scalam, quæ pertingebat usq; ad cælos, & descendentes & ascendentes angelos, & adstantem quendam scalam & c. Illam figuram explicat Christus. Tu es Israëlita, & expectas regnum: dignus ut cognoscas quale regnum sit. Plerique terrenum regnum expectant, quasi Christus regnatus sit ut Solomon et alij reges: sed illi longe falluntur: erit aliud regnum, quippe in spiritu: regnum cælorum & angelorum: ut iam sit conscensus ad cælum. Est cælestis & angelica conuersatio eorum qui purè iuxta Euangelium Christi uiuunt. Ita uidebitis satis clare quomodo uerba ista tam concinne superioribus cohæreant. Hactenus fuit clausum cælum, quia pleriq; terrenis addicti, ut parum de cælestibus curarint. Hactenus promissiones terrenæ, ubertas terræ, multitudo filiorum, profunda pax & securitas, & similia quæ homines huiusmodi magnificiunt & stupent. Nunc aliæ promissiones dantur. Christus dicit Matth. 5. Beati patres spiritu & c. Ita nunc cælum aperitur, & à uisibilibus ad cælestia mittimur. Figuræ transierunt, ueritas illuxit. Cælum hactenus propter peccatum Adæ clausum, nunc deo patri per Christum reconciliamur. Ipse primogenitus ingressus est, alijs patefecit aditum. Alij indicant nobis quomodo ueri angeli descenderint sepe

Cap. I ANNOT. IOAN. OECOL.

de cœlo, & fuerint familiares hominibus: & hoc non
 ibo inficias: sed hoc loco non conuenit. Christus per sca
 lam Iacob fuit nobis præfiguratus: ipse uia, ueritas, &
 uita, per illum ingressus ad patrem. Non est mirū, quot
 quot ad ecclesiam dei pertinent, hoc nomine appellen
 tur, sicut olim præfigurati: & cum præsent uberiori co
 gnitione dei, sciunt per Christum indeptos.

Descendentes.) Id est, ministerijs funguntur prout
 Deo libitum fuerit. Scitis angelos mitti in ministerium
 eorum qui sunt salutis capaces: ita qui Christi erunt, in
 Christo omnia faciunt aguntq; in laudem eius. Ascendunt
 si se totos deo tradunt, relinquentes ista terrena: Si cha
 ritas requirit, iterum descendunt, ut proximis seruiant.

Super filium hominis.) Nempe cœlum fuit aper
 tū in baptismo: audita uox, Hic est filius meus dilectus,
 &c. Sed uidetur planè alludere ad illam figuram. Cœ
 lum apertum, quatenus Christo & huic scalæ adhæse
 rimus. In summa, dicitur illis adesse regnum cœlorum.
 Et ubi hoc recte expendideritis, maiori fructu sequens mi
 raculum audietis.

CAPVT. II.

T die tertia nuptiæ fiebant in
 Cana Galilææ (ad differentiam al
 terius iuxta Sidonem) et erat mater
 Iesu ibi. Vocatus est aut & Ie
 sus

fus ac discipuli eius ad nuptias.

In isto miraculo (quandoquidem Evangelista ince-
 pit nobis indicare aliquo modo quale regnum Christi
 sit, & quomodo uoluerit hoc parare) tollitur suspicio
 quedam, quasi propterea eliminare omnino uelite am-
 quam à deo acceperant benedictionem, & uelit omni-
 no tales angelos facere, ut neq; edamus neq; bibamus,
 &c. Nihil talium prohibere uenit Christus: Nam &
 sua presentia nuptias honestas esse declarauit. Præte-
 rea cibos quoq; non esse prohibitos satis clare indica-
 tur. Regnum cœlorum nō in cibo & potu, ad Roma-
 14. Potius spectatur an adsit gaudium in spiritu sanc-
 to. Nihilominus interim dum adest in nuptijs, pul-
 chris figuris deliniat, qualia in regno cœlorum expe-
 ctanda sint. Nam quamuis initia parua & contempta,
 & nonnunquam asperiora, exitus tamen erit admo-
 dum gloriosus & admirabilis. Omnes cæteri apponunt
 primum bonum uinum: sed hic mos mundi est. At in nu-
 ptijs, in quibus est Christus præcedit crux, deinde resur-
 rectio & glorificatio.

Nuptiæ.) Non diu uoluit differre Christus post-
 quam accepit testimonium à Ioanne, sed statim gloriã
 suam manifestare tempus erat. Neq; longo interuallo
 postea uidebitis Christum uersari in Galilæa.

Mater.) Id est, mater, & quatuor illi, quos nu-
 per collegerat Christus, dignati sunt comparere in

nuptijs. Ecce Phariseis, & ijs qui internam iustitiã non agnoscunt, in his nuptijs statim oboriri potuisset offendiculum, ut postea potatorem uini & carniuorum nominarunt. Sed Christus apparet libenter in nuptijs, ne conculcet ea quæ deus antea instituerat. Quidam, Nuptiæ mundum, cœlibatus cœlum replet, dicunt. Si id ita accipiatur, ut arcerentur qui in coniugio sunt, planè esset blasphemum dictum, ut Hieronymus, Ambrosius & alij dixerunt: & ita admodum paruus numerus

Cap. 13 qui paradysum acciperent. Ad Hebr. Honorabile est inter omnes coniugium & cubile impolluũ. Ne simus ita temerarij, siue nuptiæ, siue hilaritas quedam sit, quæ non interdicta sunt à deo, ut offendamur. Aderat

Christi & Christus, præbuit se facilem, mitem, & non adeò gra-
Ioannis col uem. Ioannes in deserto uescebatur insolitis cibus: Chri-
latio. stus uero exorditur & gloriam suam ostendere incipit in ipso conuiuio. Ioannes quodammodo legem docebat, Christus uero Euangelium annunciat. Vt lex austerior, ita uita Ioannis austerior: Christi uita suauior, & in se Euangelij naturam indicat.

Cum defecisset uinum, mater Iesu dicit ad illum: Vinum non habent.

Eadem quæ in Christo uidetur beneuolentia & facilitas, etiam in gloriosa eius matre quodammodo cognoscitur: misericordia enim mouetur propter eos qui tam inopes erant, quod non satis uini ad hoc conuiuium

uerant: & ex tali misericordia defectum & inopiam uini filio suo indicat. quasi dicat: Ecce quàm tenues fortune sunt istorum hominum: digni essent ut quis subueniret, ut nuptias suas uel honestius, uel cum maiori splendore celebrarent.

Vinum non habent.] Non manifeste petit à filio. Non erat talis res quæ palàm erat petenda. Sed Christus intellexit mentem matris.

Dicit illi Iesus: Quid mihi et tibi mulier?

Id est: Quid mihi tecum est in hac re mulier? curent isti potius quibus hoc commissum est: Architriclinius debebat talia prospicere: ego & tu uocati hospites. Præterea uocat mulierem, non matrem: non ut doceat contemnendam matrem, uel parentes non esse digno honore colendos: sed iam indicabat se uenisse ad maiora opera, & se non iam agniturum ut matrem. Iam uenit curaturus coelestia, mater suggerit de rebus terrenis. Sic etiam per triduum quesitus à matre & Ioseph, si- Luc. 2 mile ferè dedit responsum: ubi uoluit declarare se uenisse ad maiora opera. quasi dicat: Tuum & meum erat ista non admodum curare. Et pulchrè admonet ut à terrenis rebus animos nostros auocemus.

Nondum uenit hora mea.

Scilicet, ut monstrem me. Vbi admirari quis posset, cum Christus paulo post miraculum fecerit, negat tamen suam horam aduenisse. Tu petis ex me ut ego ad-

Cap. II ANNOT. IOAN. OECOL.

ministrem, quæ non habent illi: nondum est illa hora ut me declarem omnibus. Dicit igitur de hac hora, qua gloriã suam pluribus miraculis manifestaturus esset. Nam hoc miraculũ quasi inter tenuia censetur. Interim difficilis est, nihilominus assentit. Hoc ideo dixit ut omnibus modis in initio uideretur declinare uanam gloriam, quod ferè in omnibus miraculis Christum obseruasse uidemus, ne gloriosulus uideatur. Alius, cui uana gloria cordi est, multis uerbis suam gloriam iactaret, & aureos montes polliceretur, sese talia & talia facturum. Atqui Christus simulat, & cæteris nescientibus, hoc miraculum facit, ut cæteri miraculo uiso, cogitent quis sit autor tanti miraculi. Ita omnia non absq; causa fieri uidemus. Aliquo modo per dissimulationẽ dicit, Hora mea nondũ uenit. Quid mater uolebat? nõne hoc urget, ut cæteri uideant filium suum longe præstantiorem? Non potuit ignorare quem genuit filium. quasi diceret: Tũ fortassis hoc uelles ut sic prodirem: ut etiam infra ab amicis audit, ut ascendat in Hierusalem, & palàm se monstret.

Mater illius dicit ministris: Quodcũque dixerit uobis, facite. Erant autẽ illic hydrię lapideæ sex positæ iuxta purificationem Iudæorũ, capaces singulę cados duos uel tres.

Quia erant ibi lapideæ amphoræ, quæ seruiabant
Iudæorum

Iudeorum cōsuetudini. Sæpius lauabant manus, iuxta legem, si quid contigissent impurum. Neque appositæ in hunc usum, ut in opus sumerentur illud.

Dicit illis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerūt illas usq; ad summum. Et dicit illis: Haurite nunc, & ferte architriclino: & attulerunt.

Quæ hic nunc dicuntur omnia, ita diligenter scripta sunt, ut certi simus de miraculo, ut nulla sit suspicio, quasi aliunde uinum immisissum sit. Ideo dicit, Erant amphoræ aquariæ. Non erat possibile uinum infundi. Dicit, ut impleant: id est, omnibus uidentibus impleuerūt: non aliunde quàm ex fonte. Architriclinus illa uidit. Ibi innotescit Christus hoc miraculo.

LECTIO XII.

Paruum uidetur esse miraculum, quod Christus ex aqua fecit uinum: uerum si penitius introspiciatur non minus est quàm quod ex quinque panibus, quinque hominum millia pãuit, uel quod mortuos suscitauit, & coelum & terram ex nihilo condidit: ex eadem potentia omnia proficiuntur. Viluit initio hoc miraculum, quia fortassis suspicabatur alia ratione ipsis impositum esse, ut non raro fit, cum aqua pro uino, & uinum pro aqua infundatur in uas aliquod: ideo non omnes exenderunt pro sua dignitate. Euangelista tamen nihil omittit, quod pertineat ad magnificandum miraculum.

Ante omnia mater domini testatur defuisse uinum. Secundo, hydriæ posita non permittebant suspensionem, ut in illas quis uinum infunderet, si quis etiã attulisset. Tertio, Christus præcipit ut hauriãt aquas. Hoc omnibus manifestum. Deinde non minus manifestum facit aquam mutatam esse in uinum. In summũ impletæ sunt ne ulla suspicio adsit.

Vbi autẽ gustauit architriclinus aquã in uinũ uersam, neq; sciret unde esset, sed ministri sciebãt qui hauserant aquã, uocat sponsum & dicit illi.

Hoc potissimũ spectandũ, quod Euangelista iuxta historiam spectauit, miraculum omni suspensione careere. Maxime pertinebat architriclinum scire, sed nesciebat: at ministri sciebant nihil imposturæ hic esse, sed solo præcepto Christi aquam in uinum uersam. Obseruate de conuersione: res admiratione digna: sed suis uerbis id declarat. In Mose, uirgam mutatam in serpentem legimus: uerum nihil tale legunt illi in cœna dominica, qui istam mirabilem conuersionem ponunt. Viderint quid ipsi asserant, non est modus scripturæ.

Omnis homo ponit principio bonũ uinum: & quando ebrij fuerint, tunc deteriorus (scilicet uinum) Tu seruasti bonum uinum huc uicq;.

Etiam hoc loco tollitur suspicio, ne sponsus fortassis nescientibus alijs attulerit. Sponso proponit, qui planè ignorabat. Itaque hæc omnia ad illustrandum miraculum pertinent.

Hoc ædedit initium signorum Iesus in Cana Galileæ.

Audiuistis quo miraculo Christus honestauit nuptias, quod omnium miraculorū quæ fecit, primū fuit. Vnde apocryphos libros reijcere licet, in quibus multa miracula de Christo recensentur, cum nondum oportebat Christum operari signa antequam baptista præcurrisset. Multa alia miracula etiam facta sunt in natiuitate eius, sed ipse ea non operatus est ut reuelaretur. Hic etiā assuescamus sermonibus diuinæ scripturæ. Fatendum quidē est, omnia opera dei quæ quotidie ante oculos uersantur, esse admodum mirabilia: sed scripturæ non cōmemorat inter signa et mirabilia, nisi ratio naturæ mutetur. Erat præter naturam, ut aqua naturā uini indueret. Hæc uocat scripturæ miracula: alioqui non habemus discrimen inter miracula. Miracula. Discamus gloriam Christi, qui eiusdem potentiæ est cum patre suo, qui condidit seculum ex nihilo.

Et declarauit gloriam suam, & crediderunt in illum discipuli illius.

Quia tantū miraculum discipulū animaduertērūt.

Cæteri qui Christum non erant comitati, id est, neque aderant discendi gratia, non multo meliores euaserunt, neq; magnificerunt hoc miraculum. Discipuli autē nō nihil credebant, sed uiso hoc miraculo, cōfirmata est fides ipsorū. Sunt qui hoc loco omnino explodant allegorias. Sicut Christus ænigmatis usus est in sermonib. suis ita etiam miracula quæ fecit, uoluit esse symbola maiorum rerū quas operari solitus est, et propter quas potissimū in mundum uenit. Sicut cū homines curauit à uarijs morbis, & liberauit à dæmonibus, utiq; hoc fecit ut inde disceremus ipsum esse curatorem spiritaliū morborum. Ex illustratione cæcorū discimus illuminatorem cordis &c. Cum hoc in cæteris miraculis nō possumus reijcere, neq; reprehēdere, & Christus quædā nōnunq̄ rectius locutus sit ut sapientissimus: ita et hæc mirabiliū opera præter ea quæ ante simplicium oculos uersantur, aliquid mysticū in se habent. Vnde nō temere iudicādi qui nonnunq̄ ad ædificationē aliorū, allegorias tempe-
stiuas ex scripturis colligunt. Iam hoc loco Christus uoluit ostendere quale sit regnum suum, ut Matt. 22. dicit: Simile est regnū cælorū homini regi &c. Postea ipse Christus uocatur sponsus, & Ecclesia spōsa. Et per hoc etiā adumbrare quodāmodo uult, ubi ipse præsens est, habere et illos suū uinū, sicut habent spiritalē panem, quos uino suo inebriat & letificat. In initio quidē cū lex nobis & pœnitentia prædicatur, offertur litera, quæ
potius

potius aquā sapit quā uinū, Christo nondū agnito. Illo absente, quas cunq; doctrinas attulerint etiā Apostoli ipsi, conscientias nostras nō satis exhilarabūt. Vbi autē Christus cognosci cōperit, aqua, id est, quod prius insipidum erat, mutatur in uinū, & dulcescet & inebriet. Hi autem recte scient Christum, qui & filiū dei iuxta diuinitatem, & fratrem nostrū iuxta humanitatē esse confitentur, perq; illum patrem cōlestem placari credunt: illorū tunc cōscientia uerē recreatur. Neq; aliud afferere poteris poculum, quo mentem adflictam satis refocillare queas. Igitur iucundus adest nobis Christus, nō tam terribilis ut Moses, qui lege sua terret: sed omnino plenus gratia, qui Euangelio exhilarat. In hoc enim maxime gloriam eius cognoscimus. Hanc ob causam uenit in mundū, non ut ex aqua uinum faciat, unum & alterum aegrotum curet, sed ut nos saluet à peccatis nostris. Sed interim, ut dictū est, ea quæ olim benedictionē acceperunt siue ad esum, siue ad potum, non prohibentur. Nihil rigidum neq; seuerum suo aduentu declaratur.

Post hæc descendit Capernaum, &c.

Quæ ab alijs Euāgelistis copiosius perscripta sunt, ea libens omitit Ioānes: nēpe, quomodo alij discipuli uocati sint, quomodo in Capernaū legerit Prophetam, & in Nazareth Esaiam: etiā multa miracula quæ subinde fecit, ea omnia relinquuntur. Vbi Christus cœpit reuelare gloriam suā, descendit in Capernaū tanquam in locū

Cap. II ANNOT. IOAN. OECOL.

celebriorem, ubi magis claresceret. Et sicut toti Iudæe
primum, deinde gentibus Euangelium prædicauit, ita
Luc. 2 & patriæ suæ primum: deinde pergens Hierusalem,
illic discipulos collegit.

Fratres illius.] Etiam illi qui iuncti sanguine. Ali
qui discipuli & fratres, aliqui fratres sed nondum disci
puli. Peculiare Hebræis ut cognatos fratres appellent
qui eundem auum & atauum sortiti sunt: nam auos ap
pellare solent patres. Quid mirum si connepotes se mu
tuò salutent fratres?

Et illic.] Neq; usque ad 30 multa miracula opera
tus est Christus illis, ut Marcus habet, propter infide
litatem illorum. Hucusq; habemus ea quæ ad initiū re
uelationis Christi pertinent, quomodo reuelatus à Io
anne, & quomodo congregauerit discipulos. Altera
pars distinctionis nunc sequitur. Habebimus aliquot
profectiones: nempe quater profectus est in Hierusa
lem tempore paschæ. Deinde colligunt quod per tres
annos cum dimidio prædicarit Christus. Erat mos ut
omnis populus pascha suum celebraret in Hierusalem.
Vsq; ad initiū quinti capituli hæc profectionē habemus.

Quot an
nis prædica
rit Chri
stus.

Et propè erat pascha Iudæorū, & ascen
dit Iesus Hierosolymā, & inuenit in tem
plo uendentes boues & oues & colum
bas & numularios sedentes.

Principio

Principio implet Christus hoc, quod dictum erat à propheta Malachia: qui ubi de præcurfore etiam quædam dixit, adiicit: Et statim ueniet dominator dominus ad templum. Hoc principio oportebat Christum implere: ideo statim contulit se in Hierusalem (alioqui Iudei obijcere potuissent contra Christum, quare non ipsos etiam accessisset) unde statim inuenimus eos rebelles & non idoneos regni dei. Inuenit Christus res Iudaicas pessimo in statu. Oportebat Hierusalem esse ciuitatem religione & iustitiâ florentem, sed reperit speluncam esse latronum, & omnem pietatem in quæstum esse commutatam. Ideo statim indicauit suo primo ingressu, quare nam uenisset, nempe ut omnia in suum ordinem restitueret, & ueram iustitiam doceret. Occuparant templum symoniaci, & erant potius mercatores quàm sacerdotes: erat mutatum templum in forum quoddam. Antea pollutum templum per Antiochum & Romanos, sed ista impietas deo multo amplius displicuit: Nã ipse uerum dei templum erat, in quo deus habitare uolebat. Externum templum solum symbolum erat interni. Sicq; in cordibus Iudeorum deus non habitabat, sed stabula immundarum cogitationum erant, parum idonei ad cœlestia contemplanda. Id postea ex ipso Nicodemus cognoscetis, qui legis peritus, nihil tamen intelligebat quæ Christus de regeneratione in medium afferbat. Ingreditur in templum, nimirum gloriam patris

Cap. II ANNOT. IOAN. OECOL.

quæ siturus & uindicaturus. Vbiq; se mitem exhibuit: hic autem facto flagello sæuijt in eos, ut pariter agnoscerent illum esse iudicem templi. Huc spectauit Euangelista, ut pulchrè insinuet Christum esse uerum filium dei & saluatorè. Erat Hierusalem in loco editiori, unde quaque uersum ascendebatur, siue ab Aegypto, siue à mari, uel quatuor partibus mundi: unde postea ædificarunt ædificia tempore Herodis quæ conspicua erant per omnem Iudæam: & propter amœnitatem locus iste cœlestis est. Quamuis locus etiam iste ita situs est, ut etiam ex ipso situ, hominem ad sublimiora duceret, ut cogitaret secum, animo etiam esse ascendendum, & relinquenda illa humilia & terrena. Profecto nõ sine causa hunc montem deus elegit.

Oues.) Hoc non sine commiseratione conscriptũ est. quasi diceret: Oportebat eo tempore, quo Ioannes prædicauerat pœnitentiam, & omnes indicabant scripturæ in proximo Mesiam esse, omnia mundata esse. Sed quid offendit? Oues & externas uictimas offerebant, quæ hominẽ purificare nequaquam poterant, etsi deus per aliquantũ tempus admiserat Iudæis potius, quàm ualde præceperat.

Numularios.) Id est, inhiãtes lucro. Mutuandis pecunijs admodum ingeniosa est auaritia, quia ueniebant nõnunq; ex regionibus longinquis, ut à Libya & Mesopotamia, quia Iudæi serè per totum mundũ dispersi, & eo tempo

eo tempore multi Iudæi etiam Romæ erant. Non sicut hodie dispersi & exules, sed gaudebant iure ciuitatum. Confluebant, ut in Actibus Apostolorum habemus, profelyti ex regionibus ad diem festum. Hoc sciens sacerdotēs, idēo curabant oues adesse. Hoc illis multo magis curæ erat, quàm ut recte instituerent populum dei. Vt nam non cogere in hoc hodie deplorare in aliquibus Sacerdotes ecclesijs, cū oportebat sacerdotes curare, quomodo populum inducerent in uitam innocentē: sed sua potius curant quàm dei. negligētes.

Et cum fecisset flagellum ē funiculis, omnes eiecit ē templo, oues simul ac boves, & numulariorum æs subuertit.

Anteq̄ docere inciperet, et seminaret bonū semen, uoluit extirpare tribulos, ut essent capaces boni seminis.

LECTIO XIII.

Pradicationem Christi diuisimus heri in quatuor itinera, quia quater profectus in Hierusalem. In primo itinere ingressus est templū, inuentis numularijs &c. exardescens zelo, omnes illos exturbauit & eiecit ē templo. Vbi docet nos ante omnia querere regnū Dei, id est gloriam Dei uindicare, quatenus nobis potestas permissa est. Sic quoque uidemus quid obijciatur his, qui solam mansuetudinem Christi ex Euangelio nouerunt, quasi nullos liceat condemnare, &

iuste plectere: quia enim legerūt Christū non damnasse adulter. an, ideo putant iudicia esse illicita, & Christum non posse condemnare. Quare non hunc locū perpendunt: Hic factō flagello eiecit uedentes & euentes: id quod postea fecit quando quarto uenit Hierusalem similiter: quia hoc miraculum quod hic scribitur, bis factum est. Videmus in Christo & mansuetudinem & seueritatem. In ijs exercet seueritatem, quando uidet nōnihil decedere paternæ gloriæ. In alijs mansuetus est, quia non uenit sibi uendicare regnum terrenum in hoc mundo. Dixi, quisq; animaduertat quantum sibi concessum sit. Alijs ferè nulla potestas concessa est, quàm ut fraternè admoneant, uel uerbis corrigant, uel excommunicatione utantur. Alijs gladius ut puniāt scelera manifesta. Non uenit Christus ut iudex, uenturus tamen ut iudex.

Et dixit uendentibus columbas: Tollite ista hinc, & non facite domum patris mei domum mercatus.

Iubet illa hinc tollere, nō solum columbas, sed oues & boues. Causam assignat. Decet domus patris sit domus orationis, & non fiat domus negotiationis, ut auari inde suo marsupio consulant; & inde uelint locupletari. Quærendæ spirituales diuitiæ. Nos ipsi templum dei, qui deo consecrati sumus in populum & habitationem suam: in nobis habitat, non in templis manufactis. Gratia in hominibus habitat, non in lapidibus & lignis.

lignis. Igitur istud externum templum, quod unicuique sibi deus facere præcepit in toto orbe, templum est unici populi dei. Unica dei ecclesia. Destructo templo, cessat externa res. Sed deus populū suum pro templo habet. Externū, symbolum populi dei. Sicut querebatur Templum deus in templo, ita nunc in congregatione sanctorum, symbolum ubi duo uel tres sunt, Christus habitat in eis. Si quis audierit sermonem eius, hic ueniet ad eum, & mansione faciet apud eum. Iam populo dei, in quo est habitatio dei, nō debent esse boues uel oves: id est, nihil crassum, nihil pecuinum: sed sit populus spiritualis. Sicut in externo templo sacrificia oves & boues, ita quæ in nobis crassiora & pecuina, in holocausto offerenda. Dicit igitur Christus & nobis, tollite ista. Qui de populo dei esse uolunt, ut deus in eis habitet, quæ crassa sunt, quæ auaritiæ seruiunt, tollant, & redigant omnia in seruitutem. Mactemus uoluntatem nostram.

Domus.) Id est, Ne mutetur pietas in quæstum: ne queramus quæ nostra sunt, sub prætextu ueritatis & Euangelij.

Recordati sunt discipuli illius, quod scriptum est: Aemulatio domus tuæ deuorauit me.

Quæcunq; narrantur ab Euangelistis, aliquo modo etiam deliniata suere in Psalmis. Dauid conqueri-

tur quomodo fratribus, etiã amicis exosus fuerit: quod plurimum optauerit cultum dei uere reparari, inde sibi magnam inuidiam esse exortam. Id multo uerius in Christo uidemus esse impletum. Nemo adeò studuit reparandæ gloriæ diuinæ, quàm Christus ipse. Imò hoc perpetuum erit quandiu steterit mundus, ut si gloriam dei toto corde quaesierimus, & ueri zeloti fuerimus, redarguentes falsam religionem, non defuturam inuidiã, & persecutores. Hoc uidemus in patrefamiliã & magistro nostro: id ipsum expectant discipuli. Hoc potissimũ quaeritur in nobis, an cupiamus expurgatã domum dei. Quod si uoluerimus efficere, necessum est ut clandestina peccata detegamus. Nonne omnia illa quæ facta in templo, honestatem habebant, & pulchrũ prætextum? Ecce oues uendimus, consulimus alijs qui non possunt secũ adducere, &c. Templum diuisum: statio sacerdotum, & uestibula, de quibus Iosephus copiose. In illis igitur uestibulis et atrijs quibus populus stabat, uendebantur oues & boues. Hoc iam multo magis magnificat miraculũ, quàm si usq; ad sanctum sanctorum boues adgissent. Iudæi obijciunt Christianis: Videmus Euangelicas historias insynceras esse, cum Christus intrauerit templum: statio fuit sacerdotum. Non ignoramus illud, sed etiam scimus circuitum, ubi populus suã stationem habebat. Sed nihilominus illa statio debebat esse sacra & inuiolata. Cæteri qui uenerant ad-

ratione

Obiectio
Iudæorum
de Christo.

ratum deum, non debebant propter auaritiam illorum impediri. Secuta est inuidia Christum firè ab hoc tempore: iam exacerbatum sunt sacerdotes, & inepti ad recipiendum Euangelium. Vbi semel inuidia immissa, uix fructificat Euangelium dei.

Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt illi: Quod signum ostendis nobis, quod hæc facis? Respondit Iesus & dixit illis: Soluite (uel soluetis) templum istud & in tribus diebus excitabo illud.

Responderunt Iudæi. Tropus Hebraicus & Chaldaicus. Non necessarium quærerere quæstionem antecedentem: nam is mos loquendi apud illos est, ut dicant cum magna quadam alacritate: locuti sunt clamorosius, aperte dixerunt contra Christum: ne quis torqueat se.

Quod signum.) Antea Moses quando educturus populum esset de Aegypto, signis clarus fuit. Iam signum quæerunt etiam cum Christus pellat uendentes. Agnouerunt esse indicium domini templi, & ueri Messie. Christus dixerat esse domum patris sui, & se ita filium dei nominat: quia domus patris, erat etiam domus Christi. Omnia patris, filio communia sunt. Sicq; declarauit se esse eiusdem potestatis cum patre. Non erat priuati hominis, tale quid tentare: Ideo dicunt,

Cap. II ANNOT. IOAN. OECOL.

Fac signum. Signum debebat precedere, ut sciamus te esse Messiam. Iudæi semper signum querunt, sed non datur nisi signum Ione.

Respondit Iesus.) Respondit more solito. Infra Eua-
ngelista ipse exponit. Christus nonnunquã obscurio-
ribus uerbis usus est: sed posteaq̃ crucifixerunt eũ, hæc
cognouerũt. Dicũt eũ contemptorẽ esse templi, cũ ipsi
essent. Vbi autem crucifixus Iesus, dixerũt: Tertio die
dixit se resurrecturum &c. & tunc nouerunt.

Soluite.) Suum corpus uocat templum. Vnde etiã
ea que apud Haggæum leguntur de templo, mystica
ratione intelliguntur de Christo. In Christo enim habi-
tauit diuinitas corporaliter, id est, perfecte & plene.
Recte uocat suam domum. Quod dicit, Soluite, non ra-
rũ apud Hebræos imperatiua pro futuris accipere: id
est, permitto uobis, soluite, ego excitabo. Videtis quod
sibi ipsi hanc autoritatem tribuit. In Actis: Deus susci-
tauit eum à mortuis. Ne quis argumentum accipiat,
Christus se ipsum non suscitauit. Hic ideo dicit, Suscita-
bo illud ego ipse, ut eadem patris potestas & filij ap-
pareat. Sicut Ionas tribus diebus in uentre ceti fuit, ita
filius hominis erit in corde terræ tribus diebus & tri-
bus noctibus. Nunc autem illud miraculum etiam pro-
posuit eis, quia hinc gloria Christi apparuit, nempe
Christum esse dominum templi, qui suscitatur mortuos,
quicq̃ factus primogenitus mortuorum. Ab hoc dicto
plus

plurimum abhorruerunt Iudæi, & crasse interpretati sunt, ut serè omnia.

Itaq; Iudæi dixerunt: Templum istud extructū est quadraginta & sex annis, & tu excitabis istud in tribus diebus?

Quasi dicerent: Ecce uidemus te mendacem esse hominem, qui hoc audes de te iactare: Ecce quadraginta sex annis ædificatum est, neque tot Imperatores potuerunt extruere: Quis non uidet hoc apertum esse mendacium? Et si facilius Christo fuisset, quia deus. Hic habet magnā questionem de quadraginta sex annis, quomodo consistent. Planè arbitror Iudæos exaggerasse numerum ex inuidia: nam in supputatione non inueniuntur tot anni. Apud Esdram & Zachariam, quod in sexto anno Darij templū istud perfectum et absolutū fuerit, legimus. Cū igitur scriptura hoc testetur, quod in sex annis perfectum fuerit, satis apparet Iudæos auxisse numerū. Per Herodem alia ædificia, per reginā quandam Mesopotamiæ, Helenam, & per sacerdotes, erant sunt, quas turres suis nominibus reges nominabāt, ut Antoniana turris, & Herodiana: & ita omnes annos in unum coniecerunt. Alij per septem primas hebdomadas Danielis computant. Quære illa in Danielis explanatione. Quæ ratione cogemur assentire Iudæis, qui per inuidiam omnia loquuntur? Dicunt in se-

Supputatio
annorū falsā.

xto anno fuisse dedicationem: uerum non dicitur de de-
 dicatione, sed de structura tota. Alij alias argutias ad-
 ferunt, ut Cyprianus & Augustinus, & in nomine A-
 dam ludunt nescio quid mysterij. Legat qui uelit. Iam
 seipsum interpretatur, sicut in alijs locis.

At ille dicebat de templo corporis
 sui. Cum ergo surrexisset e mortuis, re-
 cordati sunt discipuli illius, quod hoc di-
 xisset illis, & crediderunt scripturæ &
 sermoni quem dixerat Iesus.

Hiscæ uerbis Euangelista miraculum commendat,
 præcipuum ad confirmandam etiam nostram fidem:
 quoniam enim Apostoli per hoc confirmati sunt, recte
 etiam nos confirmamur. Christus prædixerat mortem
 suam & resurrectionem, idq; sic euenit quemadmodum
 prædixit. Hoc autem crebrò egit Christus. Hic prin-
 cipio quod incipit instaurare regnum dei, prædixit &
 mortem & resurrectionem suam. Videmus Christum
 frequenter usum parabolis. Recordati sunt discipuli,
 nimirum spiritu sancto suggerente, quia dominus pro-
 miserat: neq; poterant omnium esse memores. Et hoc
 non minoris facit Euangelista, quàm hoc miraculum
 quod expulit e templo eos.

Crediderunt.) Scilicet esse scripturam diuinitus
 inspiratam. Quæ illa? nempe suprâ citata: Zelus do-
 mus

mus tue deuorauit me. Quod si quis penitius psalmū
introspectat, inueniet etiam dictum de Christo. Si autē
solum historiam Davidis contemplantis ut iudaei, nihil
mysterij capies & aedificationis. Si credimus scriptu-
rae, non poterimus reijcere quae abstrusius de Christo
dicta sunt. Apostoli quidem hoc diuino spiritu pleni uē
debant. Verum non cuius datur hoc. Sunt & alia testi-
monia quae resurrectionem Christi nobis commendāt.

Sermoni.) Ita crediderunt, quia confirmata est fi-
des eorum: nam antē audistis, Crediderunt in illum: &
Petri eximiam confessionē, ipsum esse filium dei. Nunc
dicit, post resurrectionem. Non omnino intelligebant
quae etiam loquebantur, & pleriq; expectabant regnū
terrenum. Confirmabatur itaq; fides & incrementum
fidei, & nunc incipiunt uere credere. Id poterit quis in
seipso inuenire, cum principio etiā credas in Christū:
sed si accesserit insignis confirmatio, ut uidearis prius
nihil credidisse, & iam incipias credere.

LECTIO XIII.

Ponit certū quoddā indicium diuinitatis Christi,
de qua etiā mentionē fecit, quia scrutator est cor-
dium & renum. Erant tunc plurimi Hierosolymis qui
Christum commendabant, sed Christus nō credebat se
illis. Scire quid sit in homine, hoc dei est, ut in primo ca-
pite habuimus: nam alioqui inscrutabile est cor homi-
nis, ut Hieremias dicit.

Cap. 17.

Cum autem esset Hierosolymis in pascha in die festo, plures crediderunt in nomen illius, uidentes illius signa. Ipse autem Iesus non credidit sese illis, eo quod ipse cognosceret omnes, & quod non opus habebat, ut quis testimoniū daret de homine. Etenim ipse cognoscebat, quid esset in homine.

Licet hic obseruare quā caute & prudenter se gerat Christus. Non credidit sese, id est, se non omnibus communicabat, & non per omnia frequens erat apud illos. Sciebat ubi lucrum faceret, & ubi non: Nam occultae quorundam insidiae non latebant Christum. Itē

Fidei nomē equiuocū. rum uidemus nomen fidei equiuocum esse. Sunt qui ita credunt, ut sese Christus illis non credat, qui solo ore Christum praedicant, & agnoscunt quidem, sed citra pietatem, & nondum accensi sunt diuino spiritu, neque possunt contradicere tantis laudibus Christi. Hi dicuntur credere. Sed haec illa fides est, quae apud Iacobum

Cap. 2. diabolica dicitur. Dæmones etiam credunt, ut in Mar

Cap. 5. co, Christum esse filium dei confessi sunt. Qui igitur fideis cordibus laudes Christi profitentur, illis se non committit, quia arcana nondum gustarunt diuinae sapientiae. Quamuis si simpliciter spectemus historiam, apparet prudētia Christi, quod declinauit hoc hominum

genus.

genus. Quidā hic colligunt, mysteria non omnibus esse credenda, neq; ante porcos margaritas proijciendas, & alia huiusmodi: nescio an apposite. Neque opus ut quis illi suggereret quid esset in homine, quia deus.

CAPVT III.



Rat autē homo ex pharisæis Nicodemus nomine, princeps iudæorum, ille uenit ad Iesum nocte.

Vt factum hoc superiori textui cohæreat, memores estote quid dictum sit, nempe Christum nosse arcana cordis. Videbis Christum cognouisse quo animo accesserit Nicodemus. Simplex quidem animo erat, sed aliquanto arrogantiori: uolebat enim à Christo laudari. Sed indicatur ei quod magis utilius erat. Longe magis necessarium nobis est cognoscere infirmitatem nostram, quàm ut inanibus laudibus prouehamur. Interim sumit iterū Christus occasionem prædicandi regni dei, quod ubiq; facit, & utitur pulcherrimo modo docendi, nempe *Ἰσχυροῦς*. Non possumus commo- dius docere quàm per dialogos, dum ex una parte stat homo ignorans, qui tamen apte interroget: ex altera respondet præceptor, qui nouit illum erudire. Hūc modum docendi habet Ioannes. Non est nobis alius magis utilis: ita in 4. & 6. cap. Imò fr̄e tota Euangelia sunt

Cap. III ANNOT. IOAN. OECOL.

Διαλογετικά. Phariseus non sonat in malum: probata secta inter Iudæos, ideo illa magis inter Iudæos erat insignis.

Princeps.) Id est, ex primoribus Iudæorum. Non ut tali fungeretur officio, ut apud nos reges & principes, sed laudatus erat. Et quia honesta persona inducitur, quæ ueritatis studiosa est, recte allicitur, disputationis ut finem audiat.

Noctu.) Erat meticulosus & timidus. Credebat in Christum sicut illi in præcedenti capite. Fides in Nicodemo admodum paruula erat, non reijcitur tamen à Christo, qui suo exemplo mansuetudinẽ nos docet. Ita si inciderimus in aliquos, qui non gaudent contentionibus, admittamus ad colloquium nostrum, & illis cõmunicemus quicquid doctrinæ habuerimus. Contentiosos omittendi potius sunt, quia quicquid dixeris ad ædificationem, sinistre interpretantur. Christus ideo familiaritatem quorundam uitauit, utpote non digni cœlestibus donis: sed illum admitit, etsi intempestiue aduenit. Si tam morosus præceptor fuisset, ut quidam, obiecisset: Nõne sunt duodecim horæ diei? Sed usus māsuetudine.

Et dixit ei: Præceptor, scimus quod uenisti doctor à deo: Etenim nullus potest facere hæc signa quæ tu facis, nisi sit deus cum illo.

Laudat Christum, sed ut ipse à Christo laudari possit:

fit: erat enim gloriæ mancipium, uenabatur gloriolam
quandam, quamuis bene de Christo sentiret, & nō do-
lose prædicaret laudes Christi. Non sperabat se reijci,
sicut & ceteri Pharisei.

A deo.) Ecce Nicodemū, qui hoc uerbo etiā alios
Iudæos facit inexcusabiles. Scimus quod uenisti à deo.
Qui talis est præceptor, est & doctor ueritatis: Nam
deus mendacium non amat.

Signa.) Cognoscimus te ut eximium Prophetā,
à deo nobis missum, & multa te facere signa. Ita conde-
mnat alios Phariseos, quasi Christus nullum miracu-
lum fecisset, cum dicerent, Quod signum facis? &c. Er-
rant non uulgaria signa, & quæ nemo facere poterat
nisi diuina uirtute. Si Christus mendax, quomodo deus
per illum fecisset miraculum? Iam habemus autoritatē
doctoris Christi. Sed hoc animo faciebat, ut & ipse me-
reretur laudari.

**Nisi quis natus fuerit è supernis, non
potest uidere regnum dei.**

Nō respōdet Christus ad ea quæ præmissa sunt per
Nicodemū. Dixi uobis nuper, hūc esse morē chaldaici
sermonis & Syriaci, ut respōdere & dicere simul con-
iūgāt, etiā si nullus sermo præcedat: unde nō necessariū
ut iungamus uerba superioribus: tamen si Christus menti
illius uideatur respōdisse. q. d. Tu me accedis ut audias
doctrinā meā: uideo te simplici pectore adesse, neq; ex

eorum numero, qui indigni sunt cœlestibus donis: age ostendam tibi quæ maxime necessaria sunt. Primo, ut innoues uitam tuam. Disputatio de duplici natiuitate, carnali & spirituali. Natiuitatem carnalem nemo non intelligit: Spiritualem paucissimi, imò nulli, nisi qui spiritualiter nati sunt, quiq; solum agnoscunt deum. Inducitur igitur nobis rudis disputator, qui illam crassam natiuitatem cognoscebat, quales multi sunt, qui nihil intelligunt, quàm quod oculis cernunt, uel auribus hauriunt, & alia nihil putant esse, cum tamen longe nobiliora sint quæ animo percipiuntur, quàm quæ sensu. Itaque crassus est disputator. Si loquaris de spirituali mādicatione apud illos rudes, de carnali intelligūt. Itē si de libertate spiritus, arripiunt carnis. Dicit igitur illi: Ecce dico &c. quasi diceret: Videris ex illorum numero esse, qui cupiunt regnum dei, sed nondum intelligis quid sit regnum dei: imaginariū terrenum, quasi Messias sit regnaturus ut Solomon, & mansura sacrificia, & cætera Iudaica: sed falleris. Qui enim nihil præterea nouerunt, hi regnum dei nondum agnoscunt. Nam si quis cognoscere uult quale sit regnū dei, quod est in spiritu nimirum, necesse est ut denuò nascatur. Hodie sunt multi, qui quærent, Vbinam est ecclesia? hi nisi carnales essent, uiderēt regnum dei: sed quia ipsi non sunt in regno dei, planè non intelligunt quod sit templum dei, in quo Christus habitat.

Nascatur.) Id est, nisi innouetur, & iam incipiat diuina spirare. Ita diuidamus duplicem natiuitatem. Qui nascitur ex carne, spectat solum quæ sunt huius carnis: modò habeat quibus tegatur, & agat in delicijs: & putat se esse beatũ, sed pecuinus planè est: ideo opus regeneratione. Id est, Sicut hæctenus spirauit terrena ista, ita nunc felicitatẽ suã cõstituat in æternis, & decum præ omnibus colat. Neceffe ut in illo sit semẽ dei & spiritus, ut incipiat operari diuerse quàm antea. Prius superbus, nunc postquam afflatus diuino spiritu, seipsum humiliat, & non sentit sublimia de se. Antea addictus lucro, iam emendat se. Ita agitur ille diuino spiritu, ut iam totus alius uiuat. Sed unde illa? Quis hunc spiritum concedit? Audistis. Si autẽ uolueritis uidere hoc regnum, in quo Christus regnaturus sit, neceffe est ut pœnitentiam agatis.

Dicit ad illum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, senex cũ sit? Nũquid potest introire secundo in uterum matris suæ, & nasci?

Videte crassum discipulũ. Sed hoc expediebat nostræ tarditati, ut talis dialogus proponeretur. Christus de innouatione animi loquitur, ille ad crassã respicit, quasi iterum profudi ex utero materno. Cum igitur audit de secunda natiuitate, uult per omnia esse se-

milem primæ. Magna absurditas est, ubi scriptura solet his rebus & sermonibus uti, res diuinas comparare carnalibus. Ita de manducatione spiritali: Nisi comederitis carnem filij hominis &c. crassulus putat carnem illam edere, neq; cogitat secum, quid sit spiritaliter comedere. Atqui non est diu sistendum in illis. Sed hoc unum bene possumus monere, nostris uiribus plane esse impossibile ut renascamur, adeo infectum est corpus nostrum, & procliuum ad peccatum. Nisi indices gratia illustremur, mali efficiamur.

Respondit Iesus: Profecto dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum dei.

Hiscæ uerbis Christus indicat Nicodemo, esse subtilius quiddam sentiendum de hac natiuitate secunda. Nota: Non spiritu sancto adiectum est, sed solum spiritu & aqua. Sunt duo elementa aqua & aer. Spiritualia his subtilibus elementis conferuntur. Si dictum hoc recte uolueritis expendere, et quid Christus per aquam & spiritum intellexerit, non erit nobis inherendum in istis externis elementis: sed magis subtilem generationem uoluit commẽdare: quæ expositio nõ ignorata à priscis & recentioribus. Quid ex hoc loco alij conuincant, q̄ salutem addictam uolunt aquæ, ignoro. Et præterea qui
ordinem

ordinem seruant, ut prius fides, secundo aqua: illi in-
 ueniunt ibi primo aquam, deinde spiritum. Sed uari-
 tas est ita ludere in scripturis dei. Nostrum autem est
 genuinam sententiam amplecti. Per aquam & spiri-
 tum commendatur spiritus sanctus. Non est ut referas
 ad elementum aëris uel aquæ, neque ad elementum
 ignis, ut in Matthæo: sed ad ipsum spiritum. Nam ni-
 si diuina benignitate renascamur, ut capite primo,
 Qui renati sunt ex deo, &c. Sic uocat nasci ex aqua
 & spiritu. Et uarias habet conditiones: Aqua propter
 mortificationem, uel etiam refrigerationem: Spiritus & Spiritus &
 quoque, propter benignum afflatum: Ignis, propter ignis pro-
 ardorem charitatis, feruorem & efficaciam. Ita spiri- prietates,
 tus diuersa uocabula sortitur, propter operationem.
 Non ut anima in corpore locum habet, & sicut uen-
 tus afflat, ita spiritus sanctus. Qui sic crassi sunt, illi
 non multum præcellunt Nicodemum. Opus diuinæ be-
 nignitatis, deus per suam liberalitatem concedit: quia
 spiritus sancti donum, dei dicitur. Ita homini conce-
 duntur tam eximia dona, ut ex saxeo corde fiat cor
 carneū. Hoc planè est opus spiritus sancti. Sicut aqua
 abluit, ita spiritus sanctus intus hominem mundat, ut
 homo incipiat esse in gratia dei, & sit iam purus & im-
 maculatus, & inspirat ei sanctificationis cogitatio-
 nes. Hi sunt filij dei, qui spiritu dei aguntur. Sicut
 uidetis nauim secūdo uento multū agitari, & cōficere

uelociter iter suū per mare: ita nos acti spiritu sancto, opera spiritus alacriter facturi sumus. Et ob eas conditiones, natiuitas huiusmodi nomina sortita est. Deinde Christus externam ecclesiam collecturus hisce symbolis usus est. Aqua, ut designaret internam abluitionem: ut sicut per spiritum sanctum coram deo abluimur, ita etiam per aquam coram hominibus.

LECTIO XV.

IN colloquio quod dominus habuit cū Nicodemo, docet nos rem necessariam, nempe natiuitatem spiritualem, sine qua nequaquā in regnum dei poterimus peruenire. Qualis autem illa sit, istis uerbis insinuat:

Nisi quis.) Spiritualem renascentiā uocat, ex aqua & spiritu nasci. Varijs modis illud exponitur: sed hæc omnium simplicissima expositio est: Nisi quis per deum iterum renascatur, is non intrabit in regnum cœlorum. Idq; cap. primo habuimus. Spiritus sanctus dicitur nomine aquæ, & nomine spiritus, ob uarias eius proprietates. Alij interpretantur, et non in ipsum deū referunt: sed per aquam mortificationem, & per spiritum uiuificationem intelligunt, quæ homini non conceduntur, nisi spiritus sancti dono. Et certum quidem est, eos qui renati sunt, mortificare carnem suam, & iam innouari. Sed nos non poterimus nos ipsos innouare in nouam uitam uel mortificare, nisi deo cōcedente. Qui
dant

dam confrunt aquam mulieri, & spiritum uiro. Sicut in natiuitate carnali ex uiro et muliere nascitur homo, ita homo quodammodo est aqua, &c. Non propterea nobis aliquid adscribimus. Dominus dedit tibi uoluntatem & rationem, quæ quasi materia est, sed mortua & inutilis, donec spiritus dei & uis actiua humana fragilitati accedat. Ecce nihil poteris tuo libero arbitrio efficere, neq; pristinos mores exuere, etiamsi multum uidearis conari, nisi accesserit diuinus spiritus: unde & spiritus ipse, pro semine uitæ habetur, à quo efficacia operandi cõceditur. Etiam ista expositio non est absurda: nam quisquis attendit in seipso, hominis rationẽ ita uidet habere: quia in his rebus omnis origo natiuitatis nostræ nobis ostenditur. Alij, ut ferè omnes ueteres doctores, indicant nobis his uerbis fidei summã, quæ ab homine requiratur. Necessè est ut credas ad iustitiã: prætere a confessio ad salutem. Per aquam, baptismi aquã accipiunt, quod illa non sufficiet nobis, tincti sumus extra & intus. Vnde dominus illa duo coniungit, aquam & spiritum, ut hi qui crediderint, etiam baptizentur. Nam si uera fides in nobis, nequaquam pudebit nos populi dei, etiamsi in hoc mûdo ob id cõtemptior sis. Hac sententia Nicodemus perstringitur, qui meticulosior noctu dominum accedebat. Cui non satis noctu accedere Christum, oportebat etiam se adscribere societati Christianorum, quasi diceret Christus: Ecce non in-

Liberum ar
bitrium.

Rom. 10.

trabis in regnum colorum, etsi bene afficiaris in me, nisi tanta fuerit fides tibi per spiritum sanctum concessa, ut uelis etiam connumerari discipulis meis, accepto baptismi lauacro. Etiam ista sententia nequaquam reiicienda: sed primam libenter sequor, quia purior et pro prior est ueritati.

**Quod natum est ex carne, caro est:
& quod natum est ex spiritu, spiritus est.**

Oportebat te Nicodeme diiudicare inter carnalia et spiritualia. De spiritualibus nobis sermo est. Si de carne loqueremur, carnalia doceremus. Quid nascitur ex carne, quam caro? Generalis locutio est. Iam non subsistamus in carnali natiuitate, qua pueri nascuntur in mundum: sed respiciamus ad omnem hominis facultatem: quid potest prestare, nisi quod humanum est? Carnales sumus, etiam opera nostra carnalia sunt. Proinde derelicti nobis ipsis, quid aliud operabimur quam ceteri homines, et maximi peccatores? Etiam ageremus quod Cain et Esau, et ceteri reprobi. Carnem producit caro. Ita quia carnales sumus, si quis affectus nostros scrutaretur, plane inueniret nos carnalia sectari, fugere crucem et c. At si accesserit spiritus, et deus aliquid generauerit, id spirituale est. Filij igitur spiritus, id est, dei, referunt imaginem sui patris coelestis. Pater iste misericors est: qui filij dei, etiam ipsi misericordes

cordes erūt. Pater sanctus est, & puritatem amat. Hoc ipsum præstabunt & filij dei, quos recte spirituales uocare licebit. Synccri filij referunt imaginem parentum & mores. Talem igitur natiuitatem in nobis requirit Christus, si annuercari uoluerimus populo dei, ut non degeneres simus. In his enim soluit tacitam quæstionem: nam rudis iste discipulus adhuc secum conqueritur, ut postea. Neq; istam explanationem tuam satis intelligo præceptor, quod denuò uel supernè debeam nasci. Respondet Christus: Non est opus ut attendas ad initium, etiamsi tu initium huius natiuitatis nõ possis exacte cognoscere: expectes saltem opera illius spiritus, & ex ipsis satis innotescet tibi quid uelim.

Ne mireris qd dixi tibi, oportet uos nasci denuò. Spiritus spirat ubi uoluerit, (uel uult) & audis uocem eius, sed nescis unde uenerit (uel uenit) & quò uadit. Sic est omnis qui natus est ex spiritu.

Si uideris hominem spiritualem, non poteris cognoscere quomodo iste afflatus sit, neque originem uides, sed nihilominus multa opera eius apparent. Attende enim uentum, quoniam de uento loquitur. Aptatio quidem satis eo arguit, dominum similitudinem assumere: quia sequitur: Sic est spiritus uel uentus: sonat pro sua natura flare: audis sanè uocem, strepitum

Et sonitum uenti, ignoras undenam ille uentus initia sua faciat, et ubi conquieturus sit, nihilominus sentis efficaciam uenti. Excitat fluctus in mari, siccatur terram, aristas et arbores motitat. Multas alias uirtutes uenti possemus animaduertere, etiamsi ipsum uentum et aerem oculis non uideamus, uel ne sciamus unde suam originem sumpsit, neque exacte posimus de substantia eius disputare. Ita uide, cum tu sis tardior ad discendum ea quae sentis, quomodo agnosces spiritualis hominis naturam? Nam quisquis uere spiritualis est, is etiam non erit ociosus. Audies spiritus diuini uocem, quod loquatur de rebus diuinis. Similiter fructus spiritus in istis obseruabis, etiamsi nescias quomodo illa mutatio fiat, quod ex carnali subito prodeat spiritualis. Alij de spiritu sancto interpretantur, sed minime genuinum attingunt sensum. Spiritus spirat, id est, non recipit nostras leges, sed dona dat ecclesijs prout uult, etiamsi nesciamus unde ueniant.

Respondit Nicodemus, & dixit illi: Quomodo possunt ista fieri? Respondit Iesus, & dixit illi: Tu es praceptor ille (populi) Israel, & haec nescis?

Iam ex his quae tibi dicta sunt, oportebat satis haec esse explanata: praesertim cum non sis in discipulorum numero, sed fateris te esse magistrum: indicium est, te plane

planè non exercitatum in scripturis, quia in Mose & Prophetis similes docendi modos inueniffes, si diligentius perscrutatus effes. Quorsum sabbatum? Circuncisio quorsum? et ieiuniũ &c. Quadis magister? Quomodo instituis populũ, si nihil pr.eter frigidam literã doces, ut populus perpetuò addictus sit externis rebus, & non curet quomodo internus homo renouetur? Indiciũ est non probe te functum officio tuo. Videtur $\chi\epsilon\tau\lambda\iota\alpha\sigma\iota\kappa\acute{o}\varsigma$ per commiserationem Christum dixisse: Qualibus præceptoribus regitur populus Israël? Si lumen tenebræ sunt, quantæ in populo? Ea quæ sunt salutis nostræ, ut agnoscere natiuitatem spiritualem, à nemine debent ignorari, maxime à doctoribus: Nam omne studium nostrum huc spectare debet.

Profectò dico tibi, quia loquimur quod scimus, & testamur quod uidimus, & non recipitis testimonium nostrum.

Christus quamuis solus loquatur, dicit tamen Loquimur: nimirum quod & hi qui spiritu præditi sunt, non sua loquantur, sed uerba dei: nõ affirmant ea quæ ignorant, ut Paulus dicit, quales quidam sunt: quasi summa sapientia sit, dicere quæ nemo intelligat. Christus, inquit, suo & suorũ nomine loquitur. Hæc sunt nobis perspecta, oportet unicuiq; fidem suam esse certissimã. Petrus inquit: Qui loquitur, loquatur eloquia dei. Et 1. Pet. 4.

Hieremias: Si quis habet somnium, narret somnium.
 Alij doctores sint in ecclesia Christi, quàm apud Iudeos.
 Christus thesaurus sapientie dei, cui recte fidem habemus.
 Cum Nicodemo igitur etiã alios Phariseos perstringit.
 Ipsi ignoratis, et scientibus fidem adhibere nõ multis: quæ excusatio uestra?

Si terrena dixi uobis, & non credidistis, quomodo si dixero cœlestia, credituri estis?

Hæc sententia: Vtus sum uerbis uulgaribus & quodammodo terrenis, ut te erudirem, & neq; sic mentem dictorum intellexisti. Tu & ceteri, si simplicissime loquor, non creditis: si cœlestia, id est, sublimiori modo loquerer, & abstrusius, neq; tam claris uerbis, quomodo crederetis? Etsi hæc sint cœlestia, sed Christus non extulit cœlestibus & incognitis uerbis. Et ita deplorat quodammodo nostram innatã inscitiam, & genuinas nostras tenebras. Animalis homo non percipit quæ dei sunt, etsi deus apertius loquatur nobis. Nisi per spiritũ eius illustremur, non capimus illa, & frustra instillantur auribus nostris. Reliquit dominus Nicodemum in sua inscitia aliquandiu hære, ut sic saltẽ agnosceret, quàm opus haberet regeneratiõe: uel quod tam plana uerba non intelligeret, debebat agnoscere diuino auxilio ei opus esse.

Et nullus ascendit in cœlum, nisi filius hominis, qui descendit ex cœlo, qui est in cœlo.

Verba illa aliquanto sunt obscuriora: sed sensus est: Homo quidem nihil talium habet, nisi diuinitus assequatur per filiū dei. Is solus potest ascendere in cœlū, & cœlestia & arcana, quæ omnibus modis hominibus sunt abscondita, reuelare. Ipse nouit uoluntatē patris, & ista mysteria, & quibus uoluerit patefacere, illis manifestantur. Nullus ascendit in cœlū ad arcana noscenda, nisi filius hominis qui descendit, quamuis sit in cœlo. Ita seipsum sæpe solet nominare, ut sciamus eū Filius hominis. uere nostrā naturam accepisse. Eandē carnē in se recepit quam & nos habemus, excepto solo peccato: conceptus enim ex spiritu sancto. Cauete ab errore, aliā actum erit de omni fide in Christum. Cuius igitur accepit nostram carnem, descendit de cœlo: non tamen reliquit cœlum, neq; natura diuina deterior facta est, neq; mixtura diuinitatis & humanitatis. Quomodo potes dicere, quod immutabile est ut aliqd adsciscat, in quod se conuertat? Vult dicere: Manens hoc quod erat, scilicet filius dei, non imminuta diuina natura, nihilominus humiliavit se usq; ad mortē. Ille, inquit, ascendit & tenet illa omnia. Ille cū adhuc sit in sinu patris. quasi diceret: Non est mirum si uos qui puri estis homines, hæc ignoretis, nam per meam gratiam talia assequi licebit.

Perquam utilis est disputatio, quam dominus cum Nicodemo habuit, in qua nonnulla de spiritali natiuitate proposuit, quod necessariū nobis sit ex deo renasci, idq; per aquam et spiritum, subtiliori quodam modo quā ante, ut spiritus dei purificet nos à sordibus, & agitet suo afflatu ad omne bonum. Est autē huiusmodi natiuitas planē ignota hominibus carnalibus, spiritalibus uero duntaxat comprehensibilis. Vnde Christus ait: Nemo ascēdit in cœlū &c. Quo dicto indicat se summorum mysteriorum solum esse inspectorem, & perfectum conditorem, & ita ascendere in cœlestia: & si quibus talia arcana reuelantur, ijs nō aliunde quā per Christum manifestari. Nemo saluatur nisi per Christum: & non aliud nomen sub sole, in quo salus nobis contingat. Is ascendit in cœlum, quando quidem patri dignitate equalis est: & pater antequam iecit fundamenta mundi, hunc ordinauit, & in ipso elegit quotquot sanctificandi erant. Vnde non per alium quā per Christum ascendimus. Ille etiam propter nostram salutē de cœlo descendit: non ut diuinitatem suā relinqueret, sed se exinaniret, nihilominus manens in cœlo sua maiestate. Sic etiam postquā resurrexit, aditum cœlorum nobis patefecit.

Et quemadmodum Moses exaltauit serpentē in solitudine, ita exaltari oportet

tet filium hominis, ut omnis qui credit
in illū, ne pereat, sed habeat uitā eternā.

Cum intelligimus nos aliunde non fore participes
salutis quā per Christum, decet ut hoc mysterium nō
ignoremus, qua ratione salus nobis contingat, et quo-
modo pater in illo nos delegit, & quomodo per san-
guinem Christi reconciliati patri simus. Ad Coloss. & Coloss. 1.
Ephe. clarum. Mors enim dominica ubi nobis annun-
ciata fuerit, & quāta charitate deus nos dilexerit, opti-
me nostra pectora, si saxea sint, emollire poterit: si qui
dem vera fide receperimus illam mortem, uel uirtutem
crucis, exemplo serpentis exaltati, quemadmodū Mo-
ses exaltauit serpentē &c. ut legitis Num. 21. cap. Cū
populus obmurmurasset deo, iratus immisit serpentes
ignitos, à quibus icti mox languescebāt. Misertus deus
illorum, iussit Mosem ut serpentem aeneū in ligno exal-
taret, quem quisq; aspexisset &c. Placuit tunc deo si-
des aspicientium serpentem aeneū, & propter fidem
tunc quidā curati sunt. Nam si increduli fuissent, dixis-
sent: Qua ratione poterit nos curare serpens? Quid
pharmaci in ista aenea figura? Imò ipsa imaginatio ser-
pentis poterit morbum exasperare, ut Physici dicunt,
multum facere imaginationem in morborum augmen-
tis. Nunc facile liquet uidere, quomodo typum istum in morbis
aptet dominus. Antiquus serpens & dolosissimus, qui mala.
Euam, & per illam Adam, & omne genus humanum

suo ueneno infecit, iste fecit nos filios mortis. Neque est aliud remedium à deo pr. cui sum, quàm ut serpens exaltetur in ligno. Ita filius dei factus est pro nobis peccatum: quandoquidem habuit similitudinem carnis peccati: & eam ob causam existimatur esse serpens. Sicut serpens exaltatus in ligno, non erat pestifer, sed solam speciem ferebat: Ita Christus carnem nostram uere in se gestauit, ab omni peccati macula alienam. Præfiguratum igitur tunc est, quod & spiritualibus innotuit, satisfactorum pro nobis eum, qui absque peccato, & in quem deus respecturus esset, & ablaturus nostram ualeitudinem.

Oportet exaltari filium hominis.) In hunc respicimus. Nam licet inde metiri diuinam charitatē, ut ipse postea subsomit, quia non pepercit proprio filio. Hoc qui per spiritum sanctum fuerint edocti, facile rapiuntur ut sciant sibi deum esse benignum & propitium. Nam si filium suum tradidit pro nobis, quomodo non erit ipsissimus pater? Vbi igitur ea fides est, necesse etiā adesse spiritum dei, qui nos agit, ut abnegemus nostras concupiscentias & desideria, moriamurq; peccato, & uiuamus Christo.

Non pereat.) Quidam exponunt, non solum esse respiciendum in mortem Christi, sed etiam ad resurrectionem, cum dicatur hic, exaltari per crucem. Non rejicio illam sententiam tanquam impiam: sed si quis uelit

uelit uidere punctum istum, in quo salus nostra, non gloriabitur nisi in cruce domini nostri Iesu Christi: Nam per obedientiam illam summam contigit salus nobis. In cruce exercenda est fides: non est ut alteri rei tribuamus. Ideo nomen super omne nomen ei datum est, &c. Voluit Christus ostendere Nicodemo, qua uia salus mortalibus contingat. Ecce si ita credideris, quod tibi utilis mors Christi sit, facile ascendes etiam in caelum, & cognosces illam sapientiam absconditam, & quam charissimus deo patri, & quanta beneficia nobis exhibuerit. Sed iam quid ex nobis requiritur? ne ignauie interim studeamus, & unde oportebat meliores fieri, deteriores deprehendamus.

Vt omnis qui credit in illum, habeat uitam &c. De his, quibus nondum contigit discernere inter uerum & falsum, qui adhuc nesciunt accipere uerbum dei, ut sunt moriones & puelli Christianorum, quos scimus nondum uti ratione sua, non hic loquitur Christus. De credentibus praedicationi & uerbo, & de adultis, sermo est. Vbi autem de pueris loquimur, non est ut ultra controuersetur de illis, cum non proprium habeant delictum. Neminem excludit, neque etatem neque sexum, siue principes siue idiotae, siue docti siue indocti, siue ex circumcisione uel non: sed qui credunt in illum, fide purificantur. Iam peccatis perditii eramus, ideo Christus mortuus ut uiuamus. Sciant quibus peccatrix

Cap. III ANNOT. IOAN. OECOL.

Vita æterna hic incipit.

uita adlubescit, se perire & non uiuere, quia anima eorum mortua est. Quod si crediderint, iam non se iterum inuoluent peccatis. Certum est apud fideles: qui hic uiuere incipiunt, non deerit uita etiam post mortem. Isti fructus dominicæ obedientiæ & mortis, ut inde uitam æternam habeamus. O Nicodeme, ne credideris satis esse, si tuas hostias immolaueris: sabbata, purificationes, & similia iudaica seruaueris: ita renasci te oportebat. Principio opus huiusmodi fide, ut spiritus uitalia opera, non crassa operetur. Quid autem sit exaltari filium hominis, & quantum beneficium dei sit, clarius indicat.

Etenim sic deus dilexit mundum, ut daret filium suum, illum unigenitum: ut omnis qui credit in illum, ne pereat, sed habeat uitam æternam.

Repetit eadem uerba: sed quomodo? Deus dilexit, &c. Quare oportebat exaltari filium hominis? Ita uisum est deo: hoc est arcanum dei, ut suam misericordiam mundo declaret, quam gerit erga homines. Videte diligenter: supra, filium hominis: nunc, suum unigenitum: ut secernat eum à cæteris mortalibus: ut uere dicas Christum & filium dei pro nobis mortuum esse. Ne dicas, deus dedit filium Mariæ: quasi separari possit filius dei à filio Mariæ. Vnus est, non duo. Et ex hoc elucescit magnitudo

Filius dei
& Mariæ
unus.

gnitudo diuini beneficij. Quid enim maius in rebus humanis, quàm dare filium, eumq; gloriosissimum, cui nihil est comparabile, pro humili & abiecto peccatore? Iam facile credere potes, Deum esse optimum & beneuolentissimum. Idq; adhuc clarius indicat, adiecto contrario.

Non enim misit deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per illum. Qui credit in illum, nō iudicabitur. Qui uero non credit, iam iudicatus est.

Videte quàm necessarium sit in hac re confirmari. Misit filium ut non pereat mundus: ne putes Christum in tuam perniciem missum. Dicitur in propheta: *No-* Ezech. 18.
lo mortē peccatoris. Ita etiā hic. Non ideo seruiuit nobis ut pereamus. Si perimus, planè culpa nostra erit.

Ut iudicet.) Olim uenturus est iudicare mundum. Quis erit iudex? Lex condemnauit: per Christum gratia & misericordia, ut sciamus per ipsum esse remissa peccata. Neque quid aliud suspicaris, neq; audias illos, qui conscientiam tuam pusillanmem facere uolunt.

Qui credit.) Ipse est qui interpellat pro nobis, ipse aduocatus noster. Si credere poteris illud, saluaberis. Sect. e et errores oēs cōfutantur.
 Nihil addit, neq; baptismum, neq; opera: sed pura fides: etsi fides non cesset, sed semper instiget ad opera.

Antichristi
quia.

Hoc igitur uerbo, nisi relinquere uelimus summam salutis nostrae, poterimus omnes errores confutare & sectas. Hi qui suis operibus salutem tribuunt, & sic poenitentias definiunt, ut & tot bonis operibus tanta premia respondeant in caelis, cum illi non pendeant à fide Christi, uere cenferi possunt Antichristi. Quomodo comprobabunt Purgatorium suum? pro quo erit? pro fideli uel infideli? Si credit, iam absolutus est. Christus satisfecit: pater in dignitatem filij respicit. Cessat locus merendi post hanc uitam. Qui non credit, iam iudicatus est. De pueris & morionibus alia res est. Neq; credant neq; discredunt, quia non opponunt se uerbo. Illi non credunt, se q; uerbo dei opponunt. Obijcies: Multi sunt quibus non est annunciatum uerbum dei. Paucos inuenies. Lucet in nobis lex naturae. Vbi dabis aliquem qui non in seipso agnoscat doctorem, quod contra deum non saepe peccarit? Non negatur propterea futurum iudicium. Iudicabit dominus omnes. Sed dicit: Quotquot non receperint uerbum, actum est plane de illorum salute. Non est aliud sacrificium quod possit homo reparari.

Quia non credidit in nomen unigeniti filij dei.

Apparet manifesta ingratitude istorum. Si quis honorem hunc filio non tribuerit, non est ut quaeras quomodo ille condemnetur. Noluit enim credere filio dei unigenito.

Summam salutis nostræ manifestavit Christus Ni-
 scodemus, nempe opus esse regeneratione quadam Summa
 nobis, non carnali, sed spiritali. Illa fit in adultis, ubi salutis.
 beneficium Christi, mortui pro ipsis, crediderint. Hac
 enim ratione pectora eorum facile purificantur. Nam
 ipsa Christi mors, & eius exaltatio in cruce, sufficien- Sufficiens
 tis: imum est sacrificium ad tollēda peccata totius mun- tiss. sacrifi-
 di. Propterea qui credere noluerit, is iam condemna- cium mors
 tus est. Qui hanc salutis viam spreuerit, quæ alia erit Christi.
 ei paranda? Vult ut Christus iterum descendat: quod
 planè indignissimum. Qui hoc non credit, etiam si cen-
 ties moreretur, non crederet.

Ita autem est iudicatio.

Bene uersum est, condemnatio. Nō opus est ut iam
 conuocetur Concilium: condemnatus. Quæ enim spes
 poterit de illo homine esse, cuius pectus tam preciosus
 sanguis emollire nequit?

Et quod lumen illud uenit in mun-
 dum, & dilexerunt illi magis tenebras
 quàm lucem.

Quis non condemnaret eum, qui sponte in meri-
 die oculos suos clauderet? Et lapsus in puteum clausis
 oculis, non habet ut incuset solem, sed potius seipsum
 arguat. Planè ita hic argumentatur. Christus lux ani-
 marum fult nobis: predicata nimirum eius beneficia.

gratia eius annūciata est, & testimonium accepit multis miraculis, ut amplius de his nemo dubitare debeat. Si igitur aliqui sunt qui recipere noluerint, declarant se iam esse condemnatos. Videmus segne ingenium hominum ad optima quæq; igitur omnes sumus condemnati quotquot ex eorum numero sumus. Non qui semel clauserunt oculos, condemnati: sed qui perseverant in cæcitate, & refugiunt doceri.

Etenim opera illorum erant mala.

Vere hoc hominibus insitum est, ut tenebras potius amplectantur, quam lucem ipsam. Quomodo igitur honestabimus naturam nostram? quid boni de uiribus nostris poterimus polliceri? Vos cum mali estis, quomodo potestis bona dare hominibus? Amplectimur omnes magis tenebras quam lucem, & sumus filij iræ, donec Christus pectora nostra luce ueritatis suæ irradiauerit.

ἐπιλάτ,
improba
uel uilia.

Qui enim facit improba, odio habet lucem, & non uenit ad lucem, ut opera illius non redarguantur.

Quotquot non accedunt ad hanc lucem, certum est quod male operentur, & mala natura est in eis, & uitiata: quia opera illorum mala. Iam uidemus omnibus modis nobis agnatum esse quendam pudorem, & nolimus peccata nostra confiteri, ne prodeant opera in lucem. Hinc serè est fons tot contentionum in mundo ad
ortum

ortum Euangelij. Christus dixit se non uenisse ut mit-
tat pacem, sed gladium. Vult ut ardeat ignis suus. Per
uerbum ueritatis, impia opera hominum reuelantur: et
cum illa deteguntur, filij tenebrarum egreſerunt, no-
luntq; redargui. Quare episcopi, reges & potētes ſe-
culi, cum ostenditur eſſe uanitas in pompis illorum, ita
succenſent? proſectō ſeiſpoſ produnt, auertunt ſe à lu-
ce ſplendidiffima ad tenebras.

Qui autem facit ueritatem, uenit ad
lucem, ut opera illius reuelentur, quia
ſunt facta per deum.

Solet frequenter adiungere crebras antitheses: prius
de luce: hic, qui facit ueritatem. Sed quis eſt qui opera-
tur ueritatem, niſi prius de diuino ſpiritu acceperit? Ita
noſtra ignauia arguitur. Siue ergo condemnabiles ſuc-
rimus ſiue probabiles, ſemper manifeſta erit diuina gra-
tia. Qui igitur uero corde deum amant, illi non cau-
ſantur, quare mihi dominus nō benefacit? Non ſatis be-
neficij, Chriſtum pro te paſſum eſſe? Deus operatus eſt
illa opera. Nihil uel cogitare boni poſſumus abſq; deo.
Ideo iudicium illa opera non refugiunt. Probi uiri futu-
rum iudicium non exhorreſcunt ſuo nomine: quamuis
charitas admittit nonnihil doloris, propter damnatio-
nem fratrum. Hæc diſputatio eſt cum Nicodemo, quā
dominus habuit: & completitur in ſe ſummam ſalutis

salutis nostræ. Nunc iterum redit in Galilæã ad suos.

Post hæc uenit Iesus & discipuli illius in Iudæam terram, & illic cōuersatus est cum ipsis & baptizauit.

Uit usq; ad Iordamen: in terram Iudææ abiit, in pagos, & alia loca Iudææ extra Hierusalem: & eò transijt ubi locus baptizandi erat.

Erat autē Ioannes baptizans in Aënon propè Salim, quia illic erant aquæ multæ.

Antea dominus locutus est, et etiam Euangelista, de interno baptismo: & cum illū satis commendasset, tandem de sacramento baptisimi incipit loqui. Et utinam hunc modum in tradenda ratione sacramentorum omnes obseruarent, minus esset contentionum in orbe, ut primum populum bene instituerent de baptismo interno, qui admodū nobis necessarius est, quiq; satis explicatus est ex ea doctrina quam dominus communicauit Nicodemo. Si illā nouimus, facile externum baptisimum intelligemus. Ita de spiritali manducatione, sexto capite multa dicit. Honestissima ratio & maxime utilis, etsi ab alijs repudietur: sed nisi probe poteris iudicare inter id quod signatur, & quod signat, inutile erit signū. Loquor de ratione docendī, ne quis cū Cata baptisimū putet, ita etiā cum pueris esse agendū. Certū est

est multos à discipulis baptizatos, qui rem non omnem
 intelligerent, etiam ne discipuli, donec Christus resur-
 geret ex mortuis. Vnde aliud est in exhibitione sacra-
 mentorum. Adulti instituantur antequam in numerum
 ecclesie accipiantur: sed ideo non oportet paruulos
 amandare & reijcere. Hoc ideo dixerim uobis, ut ui-
 deatis consilium spiritus sancti, etiam in ordine scri-
 bendi: nihil enim temere præmittitur uel sequitur. Ful-
 chre Christus indicauit in quo summa salutis nostrae sit
 coram deo. Regeneret nos spiritus sanctus, ut habea-
 mus fiduciam, tunc licebit intrare in ecclesiam dei: imò
 iam sumus in ea, & inscripti. Sed ut innotescat fratri-
 bus, nos in hoc numero esse, necessarium est ut externo
 simbolo significemus. Sed non est nostrum aliquod sym-
 bolum instituire, alias non esset sacrum, sed quod à do-
 mino institutum est & consecratum, id sancte seruemus.
 Dicet quis: Nonne cum ego habeam fidem, & postea
 declarè per opera misericordiae, charitatis &c. nonne
 sufficit mihi? Nequaquam. Opus erit tibi coram eccle-
 sia, ut non respuas symbolum à domino institutum. Cera-
 tum cum dominus baptismum instituit, ipsum per se esse
 sacrum, quandoquidè in nomine Christi baptismus, nõ
 in nomine Papae, ut miseri Catabaptistae dicunt, datur.
 Adiectae ceremoniae nihil officiant baptismi. Argua-
 metum hic etiã aduersus eos qui citant testimonium ex Mar-
 co et Matth. eo, ubi dominus iubet apostolos prædicare

euangelium toti mundo, & baptizare, quasi tunc primum institutus sit baptismus. Hic manifeste quod baptizavit. Sed in quarto capite exponit seipsum. Functus est Christus longe nobiliori officio, quam si baptizasset externe: intus baptizabat per spiritum. Vnde Paulus gloriabatur quod non multos baptizasset, sed magis operam impendisset annunciando uerbo dei. Christus uenerat Hierusalem, purgauerat templum, etiam docuerat qua opus purgatione: sic tandem procedit ad aquas, & per discipulos facit uenientes baptizari.

Aenon.) Quia ibi multa aqua, & aptus locus ad baptizandum.

Et adueniebant, & baptizabantur. Nondum enim erat coniectus in carcerem Ioannes.

Ministerium Ioannis debebat durare donec coniceretur in carcerem. Indicat non multum abfuisse ab eo tempore, quo Ioannes erat mancipandus uinculis: propterea clarius de Christo perhibet testimonium. Et tiam cum in carcere esset, discipulos mittebat ad Christum. Iam ipse satis testatus est cessasse suum ministerium. Sequitur quintum testimonium Ioannis, & ultimum, cum iam esset ab Herode capiendus.

Itaque facta quaestio a discipulis Ioannis cum Iudaeis, de purificatione. Et uenerunt

nerunt ad Ioannē, & dixerunt illi: Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium præbuiſti, uide ille baptizat, & omnes ueniunt ad illum.

Illam contentionem discipulorum Ioannis & æmulationem oriri permisit deus, ut Ioannes hinc maiorem occasionē sumeret amandandi discipulos ad Christū, ut intelligeremus Christum esse uerum baptistam, qui spiritu sancto baptizat. Illi contendebant: Ecce Christus baptizat &c. Discipuli Ioannis magnificabāt suū præceptorem, ut nonnunquam solent discipuli gloriari in præceptoribus: quamuis hoc alienum esse deceat à Christianis: unus est nobis magister. Si addicti uouerimus esse hominibus, haud mirum est si sepe erremus cum ipsis. In hac re non recte agebatur: sed prodest nobis æmulatio. Dicunt, cuius baptismus est accipiendus? iam ignoramus ad utrum eundem sit. Ecce ille baptizat cui tu testimonium perhibuisti, & tu uis ut adiungamur illi. Sed hoc tue autoritati plurimum obest: ne gloriam tuam contempseris. Non parua tentatio, ut plus de se sentiret. Sed Ioanni non probabatur zelus eorum. Quomodo autem se gerat, uideamus.

Respondet Ioannes & dixit: Homo non potest accipere quicquam, nisi sit datum ei e cælo.

Quasi diceret: Iste missus est à deo, & præceptum à deo habet. Ego non sum, sic missus ut ille: solum missus ante Christum: id quod is agit, agit diuino iussu: ubi igitur diuinum præceptum est, ibi nemo emuletur.

LECTIO XVIII.

Deratione baptismi & aliorum sacramentorū, qualiter doceri debeant, nuper ostensum est. Orta autem fuit questio inter discipulos Ioānis cum Iudæis de purificatione. Ioannis discipuli immodice zelabant pro præceptore suo, et tardius accedebāt ad Christum: ideo iam quintum testimonium ei dat, suam humilitatem declarans, & Christi maiestatem. Christo summam attribuit, sibi uero minima.

Ioannis humilitas,

Nō potest.) Quicquid Christus agit, iussu cœlestis patris facit. Ita etiam ego nō ueni, nisi missus &c. Hoc nomine planè indicat cuiquā, qui hoc modo ministerio fungitur sicut Christus, turpe esse, accipere officium à seipso, sine electione uel afflatu diuini numinis. Bonum opus episcopatum sumere, sed ille qui assumit diuinitus illustretur, si quidē deus illo uoluerit uti. Hoc ideo dico, quia opus admodum est periculosum. Talis non uult magnificari, sed omnibus seruire, & esse omnium minister: hocq; planè nemo faciet, nisi diuino spiritu ductus.

De cœlo.) Id est, diuinitus. quasi diceret: Nō oportebat inuidere. Videmus etiam Apostolos gratulari et gaudere, si per occasionem prædicetur Christus, etiā si

non cum ueritate, & ficto animo.

Ipsi uos testes estis, quia dixi, ego non sum ille Christus, sed quod missus sum ante illum.

Quid zelatis pro indigno? non sum tantus, qui ueritatem dicem mihi nomen Christi. Antea indicavi uobis, me esse praecursorem illius: me seruum, illum dominum. Haec mea confessio est: quare igitur moleste fertis? Indicat nunc discrimen inter seruum & dominum.

Qui habet sponsam, sponsus est: amicus autem sponsi, qui stat & audit illum, gaudio gaudet propter uocem sponsi.

Quantum discrimen est inter sponsum & amicum sponsi, tantum inter me & Christum, qui sponsus: id est, cuius propria est ecclesia: & ille poterit gloriari de ecclesia, tanquam de sponsa. Hoc non est amici. Velle hunc locum bene expendere, qui pro Papa contendunt, quod sit caput ecclesiae. Haec dignitas solius Christi est, igitur soli Christo tribuenda. Ad Ephe. Ipse est caput corporis, id est ecclesiae. Oues istius sunt pastoris, non sunt nostrae. Igitur Christi dignitas semper illibata seruanda. Sponsa est Christi propria, nam redemit illam suo sanguine. Amicus sponsi, id est, ego sum in loco amicorum, nolo iniuriam sponso facere. Ideo iniustus essem, si dicerem ecclesiam meam esse. Si discipulos retinere mecum, parum fidelis essem seruus, sed potius querere quae mea sunt. Unice curandum, ut quae Christi sunt queramus. Amicus

Cap. III ANNOT. IOAN. OECOL.

Sponsi stat, id est, in opere ministrorum est. Primus honor in nuptijs datur sponso, alius honor amicorum.

Audiens.) Amicus gaudet si audierit sponsum suū adesse, gaudetq; iam adductam esse sponsam. Ita Ioannes gaudet nomine Christi, quia lex & Prophetæ usq; ad Ioannem.

Gaudio.) Id est, immenso gaudio gaudet. Sunt qui simulant se nonnunquam gaudere. Vult dicere: Toto corde meo gaudeo, & nihil gratius, quàm quod audiā uocē sponsi. Iam non loquitur per angelū, uel per Prophetas, sed per seipsum, ut ad Heb. cap. 1. Paulus inquit: Tandem per filiū locutus est, qui plenitudo est temporum. Nihil amplius expectandum est.

Itaque istud meum gaudium impletum est.

Hoc est quod etiam Abraham cupiebat uidere, & omnes Prophetæ, qui expectauerunt regnum Christi. Quid aliud regnum Christi, quàm quod sponsæ loquitur Christus corporaliter præsens? Multi reges et Prophetæ optauerunt uidere diem illum, & non uiderunt. Magnum igitur gaudium est impletum in cordibus omnium fidelium, Christo præsentem.

Conuenit istum crescere, me autem diminui.

Pleriq; hic quedā argutati sunt præter necessitatē:

nam Christū dicunt oportere exaltari in cruce, Ioannē uero decollari. Sed uerba ista hoc non indicant. Mens uerborum spectanda est. Vult dicere: Omnis gloria Christo danda est, & mihi tanquam ministro tenuitas ascribenda: propterea nolo ut contendatis propter me. Quod Ioannes cum esset sanctissimus mortalium, post Christum dixit, iure etiam nos dicemus, nostrum esse imminui, ne iustitiam nobis adscribamus. Quod si tuis operibus uel uiribus etiam tantillum tribuis, iam tu uis crescere, & necesse ut Christus imminuatur. Vnde maxime decet humilitas seruos Christi. Sancti humiliant se: longe magis nos peccatores. Ponit nunc antitheses inter se & Christum.

Qui superne uenit super omnes est: πάντων,
 Qui ex terra profectus est, terrenus est, omnes, ma
 & loquitur ex terra. gis placet
 quam oia.

Vtrum accedere uoles, coelestem uel terrenum? Ille coelestis est, filius etiam dei, & super omnes, & omnium dominus. Vis terrenum? Vide quid sit homo terrenus: ex terra est, res terrenas loquitur, si quidem ex seipso loquatur. Quanto satius est eundem cum angelis sorti ri præceptorem, quam communem habere cum pecoribus? Nam si Christum uolueris mecum conferre, is superne uenit, cathedram suam in coelo habet. Ego ex terra, habito inter homines, non possum nisi terrena lo

Cap. III ANNOT. IOAN. OECOL.

qui. Et id ipsum repetit nunc aliquanto clarius.

**Qui uenit ex cœlo, supra omnes est,
& quod uidit et audiuit, id ipsum testat.**

Superius αὐθις, nunc οὐρανῶ. Suprà indicatū est, πάλιν αὐθις dicere, ut ἐκ τῶ γῆς λαλῆ, habeat suam particulam respondentem. Ipse è cœlo est: cœlestis est uere, etsi homo factus. Iam his subdit:

Et nullus accipit testimonium illius.

Sicut suprà, Dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem: ita hoc per commiserationem subdit. quasi diceret: Mirum est cum cœlestis magister presens sit, quod nemo illum audiat, nemoq; congreget se ad illū. Iam inter dona etiam discrimen ponit.

**Qui accipit testimonium illius(is) ob-
signauit quod deus uerax est.**

Qui fuerit uerus discipulus Christi, is obsignatur in pectore suo propter certam fidem, quia deus non fallit, & uerax est. Hoc habemus ex discipulatu Christi. Agnoscemus patrem, & non dubitabimus in cordibus nostris de illius misericordia. Habemus et aliā utilitatē.

**Etenim quem deus misit, loquitur
uerba dei.**

Deus uerax est, & quæ Christus promittit uera sunt: igitur tutò licet illi credere. Conferte Ioannem cū

Chri

Christo. Etiam si diu manserimus apud Ioannem, nondum tamē ob signabūtur pectora nostra spiritu sancto.

Loquitur.) Verba dei in cor hominis. Dices, an nō est Ioānes locutus uerba dei? falso igitur indicauit Christi. absit. Ea quę sic dicūtur nō solū intelligas de externo uerbo, sed de interno, quando homo certus fit & ob signatur. Etiā si omnem scripturā memoriter diceres, nondū esses doctus à deo. Esa. dicit: Erūt omnes docti à domino. Ille uerus magister. Ioānes eadē serē uerba locutus erat quę & Christus, & uera testimonia perhibuit: sed externa erāt, qualia etiā nos possumus exhibere Christo, lectis scripturis. Sed hoc est discrimen, Christus loquitur in pectora hominum, Ioannes minime.

Nō enim deus dat spiritū ex mensura.

In hunc sensum illa accipe: Christus non habet angustam quandam bonorum mensuram, in ipso plenitudo gratiarum, & maxima abundantia. Nobis uarię gratię concessę sunt, alius hoc, alius aliud donum à deo sortitus est. Omnia autem ista dona in uno Christo sunt. Deus dat spiritum, id est dona spiritus. Requituit enim spiritus domini super eum. Non tribuit ei parcē, sed absque mensura. Quasi diceret: Magna profectō stultitia esset, si ad me uelitis diuertere, siquidem in me uix fonticulus, uel stilla aquę, & uelitis relinquere mare plenissimum. Ad fontem, non ad cisternam

Cap. III ANNOT. IOAN. OECOL.

eundum est, ut in Hier. habemus. Omnia eò tendunt,
ut discipulos à se amandet ad Christum. Aliam nūc
ponit dignitatem.

**Pater diligit filium, & omnia dedit il-
li in manum.**

Quid agitis? quare non potius conuertitis uos ad fi-
lium, in cuius potestate omnia sunt? qui dicit: Mihi o-
mnis potestas data est in cœlo & in terra. Quicūq; uo-
luerint saluari, per solū Christū saluabūtur. Omnia in
manu illius. Indicium summæ dilectionis hic habetis,
quam pater habet erga filium. Ita uox audita est: Hic
est filius meus dilectus, in quo mihi cōplacui: id est, quē
plurimū diligo. Omnes igitur qui iustificantur, per fi-
lium iustificantur. Elegit nos deus in ipso, ante q̄ funda-
mēta seculi iacta fuerūt. Quod in manu Christi, nemo
auferre potest. Illi sunt electi, qui credūt in Christū. Iā
ponit euangeliū quod prius Christus Nicodemo dixit.

**Qui credit in filium, habet uitam æter-
nam: qui uero non credit filio, non uide-
bit uitam, sed ira dei manet super illum.**

Hoc euangelium dominus iussit Apostolos prædi-
care. Quomodo omnia data sunt ei? Vult ne deus nos
saluare citra fidem, si nos auersi fuerimus ab ipso? Ne-
quaquā: sed si crediderimus, iam habemus uitā ætere-
nā. Iterū ponit in præsentī. Nō dicit haberi, sed habet.

Qui

Qui non credit, neque nunc habet uitam, sed quod durius est priuabitur æterna uita: ut non locus sit Origenista Origenista
niftis, qui non credunt damnationem æternam. Quæ rum error.
illis reliqua spes erit: dicit:

Ira dei.) Intolerabilis ira dei, non quod deus sua natura irascatur, sed illi sentient iratum.

Manet.) Quandiu manet incredulitas, tandiu manet ira dei. Quandiu tenebræ in homine, tanto tempore non uidebit solem: si non uiderit solem, neq; delectationem ullam poterit habere. Illi in tenebris sunt, qui In tenebris
non cognoscunt Christum: illis nihil reliquum est, quam esse.
ut perpetuo sint in tenebris. Manus & pedes illorum ligantur &c. Dicit: Videte quam imprudenter agant qui relinquunt filium, saluatorem, & assumunt illum qui non potest saluare. Ita qui relicto præconio Christi, in sancterum laudibus solum occupati, quam male egerint multis temporibus, iudicate uos ipsi.

LECTIO XIX

A Vdiuimus in præcedenti capite quomodo Ioannes & Christus eodem tempore baptizauerint: unde etiam orta fuit disceptatio inter discipulos de purificatione. Cæterum, ut fieri solet, inuidia comes est præclarorum inuictorum & pulchrorum operum. Idem hoc loco euenisse uidebimus. Abijt igitur Christus, mirum declinare uolens inuidiam & insidias Phariseorum. Et ita cohærent illa.

CAPVT IIII.



Tacq; postq; cognouit dominus quod audierunt Pharisei illi, quod Iesus faceret plures discipulos & baptizaret, q̄ Ioannes, quamuis Iesus ipse non baptizaret, sed discipuli illius, reliquit Iudæam.

Audiuimus interpretationem eorū quæ supra dicta sunt, quomodo nō ipse Christus baptizauit, sed discipuli. Nam quod serui faciunt nomine domini, hoc dominus fecisse dicitur. Vt si quis diceret, Gallie regē multa millia hominum occidisse, non per manum suam, sed per exercitū. Ita Christus dicitur baptizasse. Neq; est censendum quod absq; arbitrato & iussu Christi baptizarent discipuli, aliās aggregassent Ioanni discipulos, non Christo. Et certum de baptismo externo hic loqui. Habebat ministros suos Christus, unde postea secuta est inuidia. Et erat Iudæis durū auditu, post Ioannem, qui illis grauis admodū erat, & ferè intolerabilis, sequi iam aliū multo clariorē Ioanne. Vnde suspicabantur res suas periclitaturas. Quod autē Iesus abiit, non caret mysterio. Qui laborāt inuidia, indigni sunt ueritate, et digni ut lucē amittant. Ideo redit in patriā suā.

Et abiit iterum in Galilæam. Oportebat autē illum transire per Samariam.
Itaque

Itaq; uenit in oppidum Samariæ, quod dicitur Sychar, uicinū prædio, quod Iacob dedit Ioseph filio suo.

Redit igitur Christus, & oportebat transire per Samariam, quæ sita est in mediterraneo inter Iudæam & Galileam: transitus enim erat illac quando descendebant à Hierusalem in Galileam. Samariã uidemus esse prouinciam: in ea ciuitas Sychar, Genesis 20. quam filij Iacob expugnabant. Et Gen. 48. dedit Ioseph præ alijs fratribus eam portionem agri, ut occuparet præter sortem. Diligenter describit locum, tempus, & omnia, quo nobis historia exercitior sit, & manifestior ubi illa contigerit.

Erat autem illic fons Iacob.

Patriarchæ fontes sibi fodiebant, ubicunq; figebant tabernacula. Porro quod ad mysterium attinet, Christus à Iudæa descendit in Samariam, à iustis illis ad peccatores, à superbis ad humiles, & ad eos qui contemptiores erant, quiq; magis idonei ad recipiendam ueritatem. Scitote autem Samaritanos semper fuisse infensos Israëlitis cæterisq; Iudæis, non solū eo tempore quo tribus duodecim diuise sunt, sed perpetuò. Et rex Israel in Samaria coloniã habuit: quæ copiose leges quarto Regum ultimo. Legimus enim multos leones uenisse in eam regionē, quia populus planè erat ignarus

dei: unde rex misit sacerdotes, qui legem Mosi explanarent. Verum illi partim legem dei suscipiebant, partim sua idola colebant. Item quando Iudæi redierunt à captiuitate Babylonica, cum reparare conarentur templum & ciuitatem, ubiq; resistebant Samaritani cum cæteris gentibus. Templum ædificabant in monte Garisim iuxta Sychem, ubi gloriabantur de patribus. Postea tempore Antiochi illustris, qui Hierusalem expugnauit, & templum prophanauit, constituens in Garisim templum idolū Iouis Cretei, in Hierusalem Olympij Iouis. Etiã sub præsidibus Samaritani semper infestissimi Iudæis. Hinc factum est quod Iudæi nullum commercium habere uolebant cum Samaritanis. Tempore felicitatis Iudæis amici erant, sed infortunij tempore omnium infestissimi: sicut & Idomæi &c. Offendit igitur Christus iuxta hunc fontē peccatricē mulierculā (quomodo iusta esse poterat, quæ quinque uiros habuerat?) & colloquiū habuit cum ea, quæ parum honesta erat. Quid aliud inde colligimus, quàm maximam dei benignitatem, qui peccatores non aspernatur? Reijcit hypocritas & superbos, humilibus autem sese manifestat. Vnde iterum hac occasione saluberrimas doctrinas Euangelista nobis describit. Videamus quomodo occasione seminandæ doctrinæ acceperit Christus.

Iesus ergo cum esset defatigatus ex itinere, sedebat sic (scilicet fatigatus) apud fontem

fontem (ut ibi refrigeretur) Hora erat autem quasi sexta.

Ne arbitremur illa sic temere esse conscripta uel facta. Potuisset Christus alia hora uenire, & alium locum quesuisse, sed elegit fontem illum. Primo obseruamus, quod necessario fateamur Christum uere fuisse fatigatum, uere laborasse siti & labore: nam uoluit nobis per omnia similis fieri. Vnde & nos patientius huius seculi necessitates feramus. Alias legimus, siccis pedibus suis per mare ambulasse, in quo diuinam naturam ostendit. Nunc laborat ex itinere: uoluit enim etiam hunc nostrum laborem degustare. Accepit refrigerationem, ut sciamus post labores aliquid refrigerij accipere, modo in omnibus respiciamus ad deum, & cupiamus illi in tantum placere. Sed haec uidentur quibusdam parum sapere spiritum. Atqui non parum consolationis inde habent, qui uere spirituales sunt. Dicit horam adesse. Instabat igitur hora septima. Quid numerus septenarius signet, nostis: plenitudinem temporis, ubi mysteria colligimus. Denarius numerus huic uitae conuenit, quasi diceret: Iam instabat tempus uocationis gentium, & plenitudo temporis. Etiam alij hoc annotarunt.

Fontem.) Ut ibi recordarentur etiam aliorum beneficiorum, & promissionum, quae deus Iacob fecerat. Christus enim Iacobo promissus. Ideo ibi sedebat, & occasionem querebat ut manifestaret se populis gentium.

Septenarius numerus.

ium, quandoquidem repudiabatur à superbis Iudæis.

Venit mulier ex Samaria, ut hauriat aquã. Iesus dicit illi: Da mihi ut bibam. Nam discipuli illius abierant in ciuitatē ut emerent alimenta.

Vult Christus indicare se esse Messiam, qui eo tempore expectabatur, seq; esse fontem aquæ uiuæ, & refrigerare quotquot ad illum uenerint. Sed primum nostram ægritudinem assumit in corpore suo. Sitiēbat uere, & sitiens potari cupiebat à muliere ista: unde illam inducit, ut quis sit tandem agnoscat. Honestè quidē loquitur de parum honesta. Non uocat scortum, ut mereretur, sed simpliciter mulierem. Non uenit ea causa ut Christum inquireret. Ita gentes quæ non quæsierunt iustitiam, per gratiam & misericordiam iustitiã conse-

Ex mera gratia saluamur. cutæ sunt, ut certò sciamus salutē nō ex nostris meritis, sed ex diuina misericordia contingere. Paulus: Gratia salui facti estis. Non aquam spiritualem mulier uolebat haurire, quia planè illam ignorabat.

Da mihi.) Quid aliud ad nos omnes adhuc hodie loquitur, quàm ut cupiat à nobis refrigerari? Non ut egeat nostris operibus, sed cupit fidem nostram. Ut infra dicit: Alium cibum habeo manducare: ita aliū postum: desiderat enim nostram salutem.

Emant.) Hoc Christus iusserat. Erat enim tempus prandij.

Igitur

Igitur mulier Samaritana dicit illi: Quo modo tu Iudæus cum sis, bibere à me petis, cum sim mulier Samaritana? Non enim Iudæi contutuntur Samaritanis.

Admiratur muliercula ista, quid sibi uelit, quod uir Iudæus, præter morem omnium aliorum Iudæorum, petat à se potum, cum cæteri fugiant: planè ignara mysteriorum dei. Non paruum miraculum est, quod Christus natus ex Iudæis, relictis illis gentes uocauit. Hæc enim gentes contemptæ erant coram deo et populo dei: nunc autem Christus ueniens, ex gentibus potissimum delegit sibi populum. Dicitur quare Iudæi commercium non habeant cum Samaritanis.

Iesus respondit & dixit illi: Si scires donum dei, & quis sit sic dicēs tibi, Da mihi bibere, tu petisses illum, et dedisset tibi aquam uiuam.

Non respōdet Christus ad hoc quod mulier ista petē uerat. Petiuit causam, quæ fieret quod Iudæus potum peteret à Samaritana. Sed dicit: Si me cognosceres &c. Videamus mentē Christi: omnia fert, ut nos ipsius fruamur benignitate & liberalitate. quasi diceret: Si scires donum meum, si quid tibi de spiritu sancto cōstaret, qui est aqua uiua, quā ego do: & quis sit, id est, nēpe quod ille ipse sit deus, & dator tanti muneris, non causareris

disidium inter Iudæos & gentes, quæ ita inter se disident, ut neq; simul edant uel potent: sed absq; omni pudore peteres à me potum: ut postea uidetis in muliere

Math. 17. alia, quæ nõ attendēs se despici et inter canes reputari.

Et tu.) Id est, nõ respiceres ad hoc quod sum gente Iudæus, secundū carnē. Possumus sic aptare superioribus. Vbi summa necessitas urget hominē, ibi non habetur respectus personarum. Ita cum sitiam, peto potum. Et tu quoq; si scires morbi tui magnitudinē, uel quanta sit penuria tua, contempta gentium diuersitate, peteres à me potum spiritualem. Es peccatrix miserrima, multa refrigeratione opus habes. Ecce ego possem, si ad me accederes, leuare sitim tuam. Vbiq; ad se uocat dominus: Venite ad me omnes, Matt. 11. Igitur si scires donum, utiq; uenires ad me. Hic uidemus, ignorantiam diuinæ benignitatis causam esse, quare tam pauci Christum accedant. Proinde maxime utile fuerit Euangeliū prædicare, & liberalitatem dei maximis encomijs celebrare: quia ubi agnouerint quàm suavis dominus, etiam ipsi accelerent & potentur.

Mulier dicit illi: Domine, neq; habes haustoriū, et puteus est profundus. Vbi igitur habes aquam illam uiuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteū, & ipse bibit ex illo,
&

& filij eius, & iumenta illius?

Non sine utilitate nostra mulier illa crassa est, & serè iocatur cum Christo. Sed utilis est illa iactantia, quo commodius Christus suam liberalitatem indicet.

LECTIO XX.

Habemus nunc in manibus sanctissimum colloquium domini cum muliere cetera parum honesta & peccatrice, nempe Samaritana, à qua dominus posciculum petijt: per quod insinuauit, quantum illi curæ sit salus nostra: tametsi etiam ipse uere sitierit. Principio mulier ista aliquanto agrestior serè repellit Christum, quasi Iudæum, quibus non sit consuetudo cum Samaritanis: de qua re satis dictum est. Christus autè pulchre illi respondet, quod tempore periculi facile contemnuntur disidia illa gentium: & quanto magis ipsa, si nossent uel suam sitim & penuriam, uel Christi gloriam, & quanta posset ei prestare, non curaret Christum esse Iudæum, sed ab ipso peteret donum dei.

Si scires.) Non est prætereundum, quod paucis uerbis dominus hic nobis commendat. Primo suam dignitatem aliquo modo insinuat, quod possit donum dei dare, quod nemo dat nisi ipse deus. Deinde, quomodo nos participes efficiamur bonorum dei.

Tu petisses.) Nam quamuis omnia diuina gloria nobis contingat, quæcumq; concessa fuerint (non enim illa operibus nostris ascribenda sunt) uult tamen peti

Et orari. Vnde fit, ut plerique tam aridi et inopes simus, quando quidem deum suo honore non dignamur, ut petamus ab illo. In petitionibus autem diuinum nomen magnificatur: quando quidem ab ipso petimus, fatemur illa à nobis non esse.

Aquam.) Hæc est benignitas et liberalitas dei, ut petentes exaudiat: imò etiã plus concedit quàm nos petere audeamus. Cupimus restingui nostram sitim, ipse aquam uiuam largitur. Dominus apud Hieremiam se dixit fontem esse aque uiuæ. Ipse est scaturigo aque uiuentis. Aqua autem quæ est in annibus et paludibus, huiuscemodi non est aqua. Igitur deus fons est omnium bonorum, uitæ, omnis essentiæ: proinde recte appellatur fons aque uiuentis. Vbicunq; dona dei in alijs creaturis inuenimus, tanquã in cisternis accipimus: necesse est ut à patre hominib; defluant. Sed mulier crassa discipula nihil horum intelligebat, ut Nicodemus.

70 V. A. 103.
70 204.

Viuentem.) Christus sine articulis, illa cum articulis. Et bene expendit quod Christus simplicius uidebatur dixisse. Tu de aqua uiua loqueris: et intelligebat de aqua fontali. Non intelligo quid sibi hoc uelit: deest tibi urceus, et fons profundus est. Interim licet cõtueri humanum ingenium, quàm sit rude ad diuina mysteria capienda et uerbum crucis: imò ipsam etiam diuinam sapientiam semper contemnit. Illa enim Christum quasi inutilem et parum idoneum huic rei putabat.

bat: Nam non poterat imaginari uiuam aquam, sed de sua aqua intelligebat, cū uideret Christum defūtutū esse armis illis ad hauriendā aquam.

Nunquid tu maior &c.) Nihil sublime adhuc cogitat de Christo, & nihilominus uidet uerba Christi aliquid singulare prae se ferre: nunc autem dominum uocat, sed tantum mysterium non potuit uidere. Omnes patres qui deo fuerunt charissimi, usi sunt huiusmodi fontibus, praesertim hoc fonte: tū ne nouum quendā portandi modum profers? & sine haustorio aquam extrahes? tu descendes in fontem? ideo planē sermo tuus mihi incognitus est. Non statim diuina sapientia se aperit, sed abscondit aliquandiu eloquia sua, ut sumus attentiores, quo postea maiori desiderio illa nō derelinquamus.

Respondit Iesus & dixit illi: Omnis qui bibit ex aqua illa, sitiet iterum. Qui uero biberit ex aqua quam ego dabo illi, non sitiet in seculum: sed aqua quam daturus sum illi, fiet in illo fons aquae salientis in uitam aeternam.

Videtur etiam haec responsio parum cohaerere in interpellationi mulieris: Nunquid tu maior patre &c. Sed si quis mentē uiderit dīcterū, uidebit planē responsum conuenientissimum. Dicit: Qui biberit &c. Tu

magnificas aquam quam potauerunt Patriarchæ & illorum familie: nunc si cognosceres aquam, quam ego dabo, planè inuenires longe salubriorem aquam quam ista sit. Iam cum magnificas aquam illam propter Iacob, etiã propter me esses magnificaturus, uel ex ipso dono cogniturus, me non esse inferiorem Iacob Patriarcha. Tectius uoluit ista Christus loqui, ut pulchre induceret nudierculam in sui cognitionem. Sed nos uideamus quid in his uerbis lateat. Efficaciã fidei declarat. Spiritus sanctus principio solet fidem filiis dei impartiri, quando obsignantur, ita ut sint filij dei. Iam qui bibit ex aqua illa, ita ut fidere possit in Christum, siti carebit. Hoc non uidemus fieri in ista aqua elementali, ut perpetuò restinguat sitim. In omnibus etiam alijs creaturis in quibus homo poterit suam fiduciam collocare, nihil tale uidemus. Adduc diuitem uel Crassum, uel Croesum, quamuis multum auri congreget, non tamen satiatur illius sitis: perpetuò sitit ut plus habeat. Ita si ambitiosum produxeris, neq; illum honoribus satiare potes. Si uocaris eum regem, hoc non sufficit ei, etiam si dixeris potentissimum, illustrissimūq;: sed longe alios titulos excogitat. Tales morbi animorum. Sicut morbus intercutis cupit aqua sitim restingui, tamē paruo tempore &c. ita peccatores, qui desiderijs laborant uarijs, nonnunquam satisfaciunt suis concupiscentijs. Sed nihil satiat animam, nisi solus deus, qui replet

Fides à spiritu sancto.

in bonis desiderium nostrum. Iam hoc fideles experiuntur in se, quantum donum sit, quod filius dei pro nobis passus sit, & à periculis nos exemerit: tunc tandem satiamur, certi de benignitate patris. Scimus nobis nihil defuturum: pater dedit filium, & cum illo omnia concessit. Hæc statim docet fides: ubi sic edocti fuerimus, et tunc poterimus dicere, Nunc dimittis seruum tuum domine in pace, quia uiderunt oculi mei salutare tuum. Et quicquid acciderit in terra, non erit graue toleratu.

Fiet.) Suprà, Qui credit in filium dei, habet uitam æternam: per haustum spiritus sancti uiuet. Qui obsequitur diuinis mandatis, qui audit sermones Christi, habebit in se deum ipsum habitatorem, qui fons uiuus, postea saliet & transmittet eum in uitam æternam. Seminarium uitæ habet, non solum in hac uita, sed etiã post hanc optime habiturus est & beatissime. Prætera qui hoc donum spiritus sancti obtinuerint, nõ erunt ociosi, ut cap. 7. Flumina fluent aquæ &c. Ita pulchra discrimina dominus inter carnalia ista, & quæ oculis sunt obuia, & inter spiritualia quæ ipse largire solet suis, ostendit. Verũ adhuc loquebatur saxo & stupide muliercula, quæ non assueta hisce disputationibus.

Mulier loquitur ad illum: Domine da mihi illam aquã, ut non sitiam, necq̃ ueniam huc haurire.

Loquitur de aqua admirabili, sed nō intelligit: quæ
 rebat enim suum commodum, ne cogeretur ferre solis
 tos labores, ut egredi è ciuitate, & gestare urceos cum
 aqua. Videtur esse irrisio quædã, erat enim adhuc ins
 credula. Verũ utcunq; illa loquatur, ut in uerbis Caias
 phæ & alijs, cōmendantur tamen nobis alia sublimio
 ra. Videmus humanũ genus quale sit, ut semper cōmo
 dis suis studeat, ut in 6. cap. cum satiassent uentrẽ suũ,
 habemus. Ita illa hic rogat. Quis ita piger est, qui non
 optaret se esse beatũ? Sed hoc non agit in gloriam dei.
 Cæterũ nos qui per Christum didicimus omnẽ salutem
 ab ipso pendere, et hæc sola aqua refrigerari corda no
 stra, siquidem obtinere uoluerimus aliquid, opus est ut
 rogemus continuò, quo dominus gratiam suam conce
 dat, ne opus sit ad fontem, unde gentiles hauriant, quo
 tidie accedere. Omnia solatia huius mundi nihil pro
 derunt: nunc ab amico quærimus, nunc à diuitijs & ne
 scio à quibus rebus: & necesse est ut iterum recurras.
 Hæc aqua est æterna sapientia dei, hæc est Christus
 ipse, &c.

Iesus dicit illi: Vade uoca uirum tuũ,
 & ueni huc.

Miserus est Christus mulierculæ istius, quæ cogno
 seebat damna corporis, & ea quæ corpus affligebant,
 sed dānum animæ non considerabat. Vix aliquis ad
 ducitur ad Christi religionẽ, nisi sibi ipsi reddatur no
 tior.

tior. Qui nō sitiunt iustitiam, illi non satiabuntur. Ea= propter nunc Christus indicabit mulieri peccata sua, ubi sibi ipsi tandē notior facta, quo morbo laboret, medicum querat animarum. Et iterum sicut in alijs locis Christus, quando quidem arcana reuelat, ostendit se esse filium dei, cui etiam abscondita cordiū sunt aperta.

Voca.) Sciebat qualē agebat uitā. Ideo dicit. ueni cū marito tuo, poteris cōsequi hoc quod petis. Illa uerba adducit in mediū, ut extorqueat ex illa confessionē uitę suę peccatricis, & se agnoscat, cum misera adhuc sit, quę tot uiros habuerit. Laborabat etiam mala siti, & non restinguebatur: habebat uiros qui non erant uere mariti. Indicat planē illam parum pudicam,

Respōdit mulier & dixit illi: Non habeo uirum.

Videte etiam hoc loco ingenium humanum: uolumus honestiores uideri quā sumus, quāto scilicet tempore gratia diuina adiuti non fuerimus. Videbatur habere uirum, tacebat de alijs.

Dicit illi Iesus: Bene dixisti, quia non habeo uirū: habuisti quinque uiros, & unum quē habes, nō est tuus uir. Hoc uerum dixisti.

Nunc indicat mulieri, ut se habent res eius. Ecce.

tu es mulier sex uirorum: bene dixisti &c. Non petiuit quasi ignorarem. Tu putasti uerbo tuo posse refellere, quasi ignorarem illa abscondita: scio non solum ut nunc habeas, sed etiam quomodo olim te gesseris. Habent hic allegorias de quinque uiris et lege Mosi: relinquo illa, nihil ad rem. Sed uelim obseruari, quomodo deus omnibus modis urget, ut descendamus in nos ipsos, & agnoscamus quam morboosi simus.

Dicit illi mulier: Domine considero, quia Propheta es tu. Patres nostri in monte illo adorauerunt, & uos dicitis, quod in Hierosolymis est locus, ubi oporteat adorare.

Et quomodo ista superioribus coherent? pulchre. Confusa erat ista mulier, & adhuc se quodam modo honestare querit, quamuis sit peccatrix, & dominis sperat se propitium habere deum: etsi haec non dicantur. Ideo adfert disputationem de Hierusalem: ex colloquio non nihil proficit, sed non ut oportebat. Haeret in istis externis, ut Iudaei, & magna pars mortalium: si aliqua opera faciunt, putant se iam omnia assecutos, & oportere nostris operibus remunerationem. Propterea illa mulier tali honore tenebatur: putat in suo monte gratiam posse consequi, ut audistis in Garisim templum esse aedificatum, in similitudinem Hierosolymitani: & cis
tra

tra uerbum dei, promittebant illic sibi diuinam gratiã affulsuram: & ita in suo monte confidebat. Vbi iterũ pulcherrimum mysterium aperitur, quomodo lex impleatur, & quomodo deus adoretur. Adorandus autẽ erit spiritali adoratione.

LECTIO XXI.

A Dmodũ utilis est sermo, quem dominus habuit cum Samaritana, maxime quod inde discimus qualiter ad cognitionem Christi etiam nos tandẽ perueniamus. Et initio quidem tardi sumus ad diuina mysteria cognoscenda, donec dominus nos nobisipsis reddat notiores, quibus scilicet malis laboremus. Nã quam diu ignota fuerit nobis nostra infirmitas, uel malitia, tandiu neq; Christum ut medicum & fontem aque uuue cognoscemus. Vnde mulier ista ubi à Christo intellexit in quantis peccatis uersaretur, & quã uarijs affectionibus esset obnoxia, tunc tandem didicit illũ esse Prophetam. Sed non mox ut Christum Prophetã esse cognouit, statim ueram rationem seruiendĩ deo simul didicit. Neq; satis est nobis morbos nostros agnoscere, nisi etiam manifestata fuerit ratio, qua deo utilissime seruitur, nempe in spiritu & ueritate per Christum. Quid autem illud sit, nunc manifeste declaratur.

Propheta.) Videte in hisce uerbis confessionẽ mulieris. Prius refutauerat sermonem Christi, et dixerat, Non habeo uirum. Iam autem deprehensa, non ultra

contradicit, sed fatetur peccatū suū. Quid enim aliud est dicere, Tu es Propheta: quā, uere locutus es de me, peccata mea mihi posuisti ante oculos, & quae alijs ignota erant, ea tu mihi manifesta. Vbi igitur confessio peccatorum praecedit, homo idoneus redditur, ut plura mysteria ei reuelentur. Nam si perstitisset mulier

Confessio illa, quā unius à Christo conuicta, nunquā ad meliorem peccatorū frugem peruenisset. Ostendi autē quomodo uerba ista bona. cohæreant. Non manifeste dicit, ascendam in montem adoratura dominum, sciens propitium mihi fore deum. Non de hac re erat contentio inter Samaritanos & Iudæos: sed primo cupit quæstionem illam solui.

Patres.) Duplex est religio. Vna uerbo dei confirmata, quam sequebantur eo tempore Iudæi, & illa certa erat: Altera opinione patrum roborata, quam Samaritani habebant. Igitur ipsa gloriatur paterna religione. Tamen dum patres ibi indicat, uult etiam comprehēsos patriarchas, quasi ipsi magis sequantur illos quā ceteri Iudæi. Incertū tamen erat an perpetuò in hoc loco adorassent: neque lex aliqua constituta, ut in loco isto adorarent. Imò apostatae à uera religione persuaserunt ita populo, postea addiderunt sic patres constituisse. Non est tutum fidere exemplis patrum, quemadmodū continentiae & obseruatarum ceremoniarū, tempore Apostolorū & aliorum patrum subsecutorum. Absque uerbo dei nihil introducendum. Caueat igitur ab illis, quæ

qui conantur introducere religionem, in uerbo domini non fundatam: inutilis enim est. Sed ut est ingenium humanum, tardius ad ueram religionem conuertimur, et alios imitamur, quibus magis quam uerbo dei credimus.

Hierosolymis.) Ibi uerus locus olim erat, quando adhuc incolumes manebant ceremonie Iudaicae. Ceremoniae ideo institutaerant, ut populus collectus unanimititer deum adoraret, ne segregaretur. Multum ad charitatem proximi faciebat, ut omnis Israel uno in loco sua sacrificia offerret: quia quae citra charitatem proximi, deo grata non sunt sacrificia.

Dicit illi Iesus: Mulier crede mihi, quod uenit tempus, quando neque in isto monte, neque in Hierosolymis adorabitis patrem: uos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus est ex Iudaeis.

Eo peruenerat ista mulier, ut externam religionem admiraretur: putabat, si seruaret modum patrum, posse remissionem peccatorum inuenire: sed alia est beatitudo animarum. Plane magnum mysterium, futurum ut neque in monte adorabitis, et alia uerior religio docebitur: quia adorabitur deus in spiritu. Nam illa religio Iudaica, quae addicta est loco et tempori, non est uera religio: neque sic iustificaberis: etiam

Cerimoni-
as deo non
placere ul-
tra.

si aliquibus operibus te exercueris, non tamen assequeris quod optabis. Insignis locus ad rejiciendas inutiles & superfluas ceremonias, tum quod in illis non est constituta salus nostra, tum quod deo ultra non placent, et maiora à nobis requiruntur. Nam si istæ ceremoniæ à deo institutæ, cessarunt tanquam inutiles, & tanquam umbra locum dederunt luci ac ueritati: multo magis ceremoniæ quas homo ipse inuenit, quales sunt monastica ceremoniæ, et ecclesiasticæ, quæ citra uerbum dei institutæ sunt. Aliæ ceremoniæ assumptæ ex ueteri lege, quibus adhuc introducere uolumus sacerdotium, quale fuit in lege, deo non placent: quia subuerso templo, etiã ceremoniæ ablatæ sunt. Nihilominus ecclesiæ paucas ceremonias concessit Christus, & usus est illis, quibus & Christiani libenter utuntur, & cum gaudio cordis.

Vos adoratis.) Vestra religio est longe inferior Iudeorũ, quia absq; uerbo dei est. Gloriabantur multum in patribus, & habebant opiniones quasdam, sed incertissima omnia erant. Connumerat se Christus Iudeis, & tanquam homo etiam nobiscum adorat, cum tanquam deus adoraretur: ita duas naturas in seipso commõstrat. Loquitur igitur nomine omnium Iudeorũ.

Salus.) Id est, uera religio à Iudeis est profecta, quia illi certum uerbum, legem &c. habent. Et eate-
nus salus ex Iudeis. Vane dictum, quod ipsi salutem
possent

possent adferre. In summa, uerba ista uolunt certissimã tunc fuisse religionem Iudæorum. In istis ceremonijs salus nostra quodammodo præfigurata est: sed nõ oportebant perpetuò durare, ne semper pueri essemus & indigeremus pædago, sed aliquando cresceremus in uirum perfectum.

Sed uenit tempus, & nunc est, quando ueri adoratores adorēt patrē in spiritu & ueritate.

Indicare uult tollendum aliquando apparatus istum Iudaicarum ceremoniarum, & homines potius in fide uera, quæ ex spiritu sancto proficiscitur, adoraturos uerum patrem. Iste locus non est contrarius illi, cū Christus dixit: Non ueni soluere legem &c. quamuis enim ceremonias abstulerit, tamen propterea legem dei non abstulit. Præfigurabatur crassioribus lineamētis olim, quomodo deus esset adorandus: postea autem uerius et proprie explicata est religio quæ deo gratissima est. Nunquã holocausta & alia huiuscemodi externa approbauit ita deus, sed ea erant symbola interni hominis mactandi, ut homo innouetur, & ut offeramus nos hostiam uiuam, Roma. 12. Quando igitur Christus ipse cognoscitur, tunc cessant huiusmodi ueterum ceremonie. Homo uere deũ agnoscens, et se ipsum deo offerens, is multo uerius adorabit, quàm qui adhuc cerimo

Holocausta
symbola.

Sacramēto
rum usus.

nijis addictus est in lege. Dicit quis: Reijciemus ergo ce-
rimonias quas Christus instituit, baptismum & cenā?
Nēquaquam. Etiam illa quiddā nobis significāt: pro-
pterea uidentur imperfectionem habere in se. Sed absit
ut talem errorem recipiamus. Nam sacramentis nō eo
modo utimur, quasi Christus nondū uenerit, & quasi
adhuc expectemus lucē uenturā: sed potius aliquo mo-
do gratias agimus nobis illuxisse lucē. Et quoniā chari-
tas deo omnibus modis grata est, eapropter huiusmo-
di sacrosancta symbola nemo charitate præditus res-
pueat. Nam interim siue utatur, siue non, semper deum
adorabit, semper habebit sabbatismū suū, neq; loco &
tēpori addictus erit. Christianus erit memor suæ liber-
tatis: uerum ubi charitas docuerit utendum esse huius-
scemodi ceremonijs, nullus refragabitur.

Etenim pater quærit tales adorantes
ipsum. Deus spiritus (est) & eos qui ado-
rant illum, oportet adorare in spiritu &
ueritate.

Scias deum non potissimū querere tale templum,
quale in Hierusalē. Est aliud qd' deus querit, quia in a-
nimabus hominū tanq̄ in tēplo habitaculū habet. Deus
spiritus est, ideo nō opus tali loco: nā ista omnia imper-
fectionē sonant. Deus igitur cū sit perfectiss. perfectissi-
mo modo adorari querit, id est, absq; omni simulatiōe.

Dicit illi mulier; Scio quod Messias ue-

hit, qui dicitur unctus: (uel Christus) quādo ille uenit, annuntiabit nobis omnia.

Erat tunc rumor maximus in toto orbe, propediē affuturū Christum, nam omnes prophetiæ impletæ erant. Ablatū erat iam à Iudæis regnū ac sacerdotium, iuxta illud: Nō deficiet sceptrū de tribu Iuda &c. Vnō de certissimi erant, nō multis tēporibus affuturū Christum. Ecce muliercula ista tale quād agnouerat. Scio ueniet, qui litē soluet inter uos & nos, & indicabit nobis uerum dei cultū. Neq; enim satis adhuc accipiebat quid esset, in spiritu & ueritate adorare: multū tamen profecerat, quando indicauit se hærere in Christo, cum tamen nesciret Christū sibi loqui. Euangelista illa uulgata nomina ut Messias & Rabbi, immiscet suo libro, nō ut quid superstitiose putemus in hisce uerbis latere: Christus unctus plenitudine gratiarū. Erant reges uncti, sed ille unctus præ omnibus participibus suis.

Ille omnia.) Quæ? Necessaria nobis ad salutem. Non indicabit friuola, quæ aliqui curiosuli requirunt, sed quæ ad uerum dei cultum pertinent reuelabit.

Dicit illi Iesus: Ego sum q loquor tibi.

Cupis præceptorem Christū: ecce ego sum ille ipse magister, quē totus orbis nunc expectat, qui arcana hominū cognoscit, qui uerā religionē docet, et quid pater cœlestis ab omnibus requirat, ut habeamus fidem in ipsum. Videtis nunc quā tarde Christus se reuelat:

prius bene consciam fecit suæ ignorantie & peccatorum, deinde auellit à falsa religione, & ad ueram inducit, sicq; tandē apparet. Ita plerisq; uere cognitus erit Christus, ubi liberati fuerint à superstitionibus istis: nã uere docebit eos in cordibus suis, ut ipsum agnoscant: non solum humanitatem illius, sed etiam diuinitatem.

In hoc discipuli illius uenerunt & admirati sunt, quod loqueretur cum muliere. Cæterum nullus dixit, quid quæris, aut quid loqueris cum illa.

Rarum admodum erat Christum cum abiecta muliere loqui, præsertim cum Samaritana. Sed ita Christus suam humilitatem declarauit, & diuinitatem non abscondit.

Nullus.) Nõ audebant eum interrogare, quia magne autoritatis erat apud illos.

LECTIO XXII.

Samaritana mulier ex colloquio domini id cõmõdi accepit, ut fide illustraretur, & Christum quẽ expectabat, quodammodo agnosceret. Profectò bonũ nequaquam contemnendum sortita est. Nunc sequitur

Fidei fructus. quos fructus fides ipsa afferat. Nam qui fide illustrantur, se ipsos abnegant, & sua non quærunt, sed ea quæ Christi sunt.

Reliquit ergo hydriam suam mulier,

& abiit in ciuitatem, & dixit illis hominibus: Venite, uidete hominem, qui dixit mihi omnia quæcūq; feci. Nunquid hic est Christus ille (quem expectamus?)

Considera quàm efficax sit fides uera in homine, ubi uere cognitus fuerit Christus. Homo nequaquam ociosus erit, sed contemptis rebus proprijs, hoc unum curabit, ut gloriam dei prædicet. Mulier exierat ex oppido aquæ hauriendæ gratia, & refocillari optabat corpore: cæterū ubi de fonte aquæ uiuæ parum quipiam gustarat, reliquit hydriam &c. Hydriæ serè tres. *Hydriæ* restres sunt, propterea corporis nostri symbola. *Symbola:* Vbi igitur Christū agnoscere cœperimus, iam non magnificamus hoc nostrum corpus, & hanc hydriam relinquitur: id est, quicquid est curarum in rebus temporalibus. Tantis seruor illam inuaserat, & tanto studio ferebatur, ut iam nō memor esset amplius hydriæ suæ. Ita fit ut obliuiscamur parentiam, coniugum, puerorū, prædiorum, & omnium rerum terrenarum, ut lucrificiamus Christum: imò necesse est ut relinquamus nos ipsos. Nōne magna fidei efficacia?

In ciuitatem.) Parum fuisset seipsam negligere, nisi etiam alios lucrificasset: proinde apostola facta est, quia facit homines participes sui gaudij. Videtis quomodo comes fidei sit charitas, ut cupiant etiā alios salu-

uos fieri, qui Christum uere agnouerunt. Ipsa oblita fragilitatis suae & sexus, oblita uitae minus honeste actae, & gratiam illam omnibus manifestat.

Venite.) Vocat hominē, quia non audebat uocare deum, sed opera praedicat. Non hominum est, quae occulte fiunt, reuelare, sed Dei. Neque legimus alia ei dicta, quam de quinque uiris: sed illa erant tam recondita, ut ceteri mortales non agnoscerent.

Quaecunq; feci.) Si esset aliquid abstrusius, etiam potuisset. Videte igitur num iste sit Christus, qui potest occulta cordium cognoscere: utiq; plenus gratia. Amplificat factum: dicit, omnia: alias parum profecisset, si dixisset, hoc & illud dixit.

Itaq; exierunt ex ciuitate & uenerunt ad illum,

Erat tempus ut aggregaret se etiam alij populi ad Christum: quandoquidem ut supra commemorauimus, nauis se abatur a Iudaeis, et propter conuertit se ad gentes. Ceterum quod hic fit, tenuis quidem figura est et umbra, quod municipales ciuitatis illius ueniunt ad Christum, audituri sermonem eius, & quae sit conuersatio eius. Nam erat eo tempore expectatio maxima Christi. Iam prophetiae impletae erant. Vnde ubi audierunt hoc miraculum, & talem prophetam, auiditate uidendi egressi sunt. Ceterum qui egressi, typum gerunt omniura gentium, quae aliquando accessurae erant Christum. Ita pulchre

chre

chre prælusit Christus figura quadã. Interim discipuli ueniunt, & uident sic turbas ad Christum properare, & pulchre indicatur eis mysterium. Sed semper utitur uerborum inuolucris, ex quibus alia dicta Christi cognoscenda sunt.

Interim aut̃ interrogabãt illũ discipuli, dicẽtes: Præceptor comede. Et ille dixit eis: Ego cibum habeo comedendũ, quem uos nescitis.

Sicut supra apud mulierculã ista usus est allegoria in potu, ita nunc quoq; in cibo utitur. Esuriebat absq; dubio, ut homo, quia uere nõstra carne indutus erat. Sed hac fame aliam nobis commendabat.

Comede.) Iam satis diu ieiunasti, tẽpus est ut manduces. Iam stimulat famem, & aliam indicat famem.

Ego cibum.) Quis est ille cibus? Erat salus gentiũ: quia illas adducere ad cognitionẽ patris uult. Discipulũ erant Iudei, & contẽti sua et suorum salute, & adhuc ignorabãt gentes accessuras. Esurit nos ipsos, ut nos in se traijciat. Nos in ipsum mutamur, si induerimus mores Christi, per nouitatẽ uitæ. Quem admodũ Christus obediens patri, ita & nos per omnia obedientes sumus. Cogitate quare uenerim in hunc mundum. Nõ ueni ut pascam uentrem, sed ut lucrifaciam omnem populum. Quod maxime desideramus, id dicimus esurire. Ea seruemus etiam in cap. 6. & clarum erit.

Itaq; discipuli dicebant inter se: Nunquid attulit illi ad manducandum?

Sicut Nicodemus & Samaritana, ita discipuli adhuc crassi erant: semper disputabāt de ijs, quæ in communi usu erant. quasi dicerent: Fastidit ne panem? habet ne pulmentum aliud? Adeò tarda est nostra caro ad spiritualia cognoscenda, ut semper abhoremus, sicut etiam in Psalmo habemus: Adhæsit pavimento anima nostra, & cætera.

Dicit illis Iesus: Meus cibus est, ut faciam uoluntatem eius qui misit me, & consummẽ ipsius opus. Nonne uos dicitis, quod adhuc quatuor mensiũ spacium est, et messis adest? Ecce dico uobis, attollite oculos uestros, et uidete regiones, quia albæ sunt iam ad messem.

Illæ uerba admodũ obscura sunt, si quis in solis terrenis hæreat: sed si cogitauerit quis opus Christi, propter quod uenit, ut multitudinẽ gentiũ ducat ad cognitionem patris sui, manifesta erũt. Et sicut cibũ uocauit salutem populorũ, ita nunc quoq; messem uocat cõgregationem gentium: ut in alio loco habemus, Orate patrem ut mittat operarios in messem. quasi diceret, superesse adhuc tempus parũ, & gentes ipsas ad Christũ accessuras. Paruũ tempus erat post tricennium. Scimus
hic

hic primum iter in Hierusalem esse descriptum.

Cibus.) Ioan. 17. Hæc est uoluntas &c. Id est: Nō ueni ut pascam uentrem meum, et carnem hanc, quam paratus sum etiam offerre pro salute hominum: alium cibum quæro, ut faciam uoluntatem patris mei. Admodum iucundum est cogitare eandem uoluntatem esse patris & filij: quia filius se pro salute nostra exponit, pater illum non minori charitate tradidit, ut redimere mur à seruitute illa dura. quasi diceret: Non misit me pater propter cibum istum carnalem &c. Discamus carnalia illa minoris facere, modo salua sint ea quæ pater requirit.

Consummem.) Parum esset aliqua miracula fecisse, nisi consummarem illud opus. Nam in omnibus per seuerantia usq; in finem est opus. Tandiu non est perfectum opus Christi, donec accedat gentium uocatio.

Messis.) Quæ sunt illæ regiones? Vocat populos illos regiones, qui egrediebantur è ciuitate. Videte illos populos, nunc est tempus ut congregentur. Habuistis piscationem, ita hic messem habetis. Aristæ demetianetur, & inserimus in unam aream &c. Hæc igitur erat uoluntas patris, & cibus Christi.

Et qui metit accipit mercedē, & congregat fructum in uitam æternā, ut & qui seminat simul gaudeat, & qui metit.

In hoc enim sermo est uerus, quod alius est qui seminat, & alius est qui metit.

De messe locutus est, & in hanc extrusus erat operarios. Apostoli autē operarij erāt futuri. Promittit illis magnā mercedē, ut multū lætari queant. Conducam uos, eritis messores in hac messe: populum colligētis. In Act. In Samaria acceperūt spiritū sanctū. Illa est egregia merces, quā potissimū spectare debent oparij, ut q̄ plurimos lucrifaciāt, & de eorū salute glorientur.

In uitā.) Quid alij faciūt messores? Colligunt hominibus simul & muribus, et intra unū annū uel duos tota messis absimitur: illa autē messis mansura est in uī tam æternā. Si inuixeritis in arē dei aliquid, uiuet id in æternam. Quis nō tali fructu gauderet? Consolatur interim discipulos, quos potuit terrere laboris magnitudo. Nam cogitet aliquis, quantus labor sit, populum abhorrentem à uero dei cultu, & tot regiones ad Christum ducere sola uirtute uerbi? Vnde plurimum abhorere debebant discipuli. Sed dominus dicit: Messis facili. Patriarchæ laborauerunt, Hieremias concionabatur & ceteri prophete, sed parum fructus attulerunt, quia docebant solos Iudæos. Ita ferè nihil habebāt mercedis. Videtis quod magnū interuallū est inter sementem & messem: intercedit hyems, & non apparet fructus. Ita Prophete fuere quedam preparamenta. Apostolos itaq; pulchre adhortatur & consolatur: Vos acci-

pietis mercedem ferè absq; labore: hoc uerū prouer-
bium in uos competit.

Ego misi uos ad metendū, quod uos
non laborastis. Alij laborauerūt & uos
in laborem illorum ingressi estis.

Vos eritis messores. Modus est loquendi. Absurdi-
tates quidam inuehunt multas, qui literam hic inordi-
cus tenent: quos relinquamus.

LECTIO XXIII.

Quod dominus admodum obscuris & ferè eni-
gmaticis uerbis apostolis prædixerat, hoc re-
ipsa Samaritani ostendunt. Dixerat illis, iam regiones
albas esse ad messem: quo significabat proximam esse
gentium uocationem. Venientes igitur turmatim Sama- Samaritanæ
ritani ad Christum, quoniam ipsi non ueri Iudæi, sed
magis cū gentibus censebantur, manifestant quidnam
uoluerint Christi uerba.

Ex ciuitate autē illa plurimi credide-
runt in illum, propter sermonē mulie-
ris, quæ testimonium dederat: quia dixit
mibi omnia quæcuncq; feci.

Nō solum ostendit Samaritanos credidisse, sed etiā
facilitatem credendi eorū ante oculos proponit. Iudæi
uix plurimis signis adducebantur, inò obstinati ma-
nebant; Samaritanam autem ad tenue uerbum mulieris

Ca. IIII ANNOT. IOAN. OECOL.

conuertebantur. Hæc nimirum etiam causa fuit, quare Christus à Phariseis diuerterat, & iterum perrexit uersus Galilæam per Samariã. Ultra ostendit nobis discrimen inter doctrinam ministrorum uerbi, & doctrinam Christi, quod multo efficacius Christus docet quàm ministri.

Samaritani igitur ut uenerunt ad illum, rogauerunt illum, ut apud se maneret. Et mansit illic duos dies. Et multo plures crediderunt propter sermonem ipsius.

Quia Christum ipsum audierunt docentem. Hoc est discrimen inter efficaciam Christi & ministrorum. Nos enim nihil sanus, nisi Christus in pectoribus hominum operetur per spiritum suum. Licet hoc loco obseruare, quia faciles erant ad credendum, etiam dominus facilis ad habitandum cum illis. Fideles templi sunt dei, & in pectoribus credentium in se libenter habitat.

Fideles templum dei.

Fidelium nota.

Maneret.) Per biduum mansit ibidem. Hæc uota perpetuo quoque sequuntur fideles, ut rogent dominum, ne abscedat. Sicut illi rogauerunt, ita et omnes pii nihil tanto desiderio requirunt, quàm ut dominus apud se maneat. Porro quod solum biduum mansit, ideo factum est, ut sciamus nondum tempus uocandarum gentium, donec Christus passus esset. Dispensatione quadam & præfiguratione rei futuræ hoc cõtingit. Nolebat tamen diutius

diutius permanere, ne daret maiorem occasionem Iudeis aduersus se seuiendi, quasi ipsi cōtempni fuissent, cum ipsi prius contemnerent Christum.

Et dicebant mulieri: Non iam propter tuam locutionē credimus: etenim ipsi audiuiamus & scimus, quia ille est uere saluator mundi, unctus ille.

Fidem ueram absq; dubio sequitur confessio, sicut sepe monui, & ubiq; licet animaduertere. Comitem si Fidei comes des habet confessionem. Sic & ciues illi, quia uere cre- est cōfessio. diderant, non continebant suum gaudium intra se, sed gloriabātur hac fide. quasi dicerēt: Quamuis aliquod initium fidei per te acceperimus, sed iam longe certius credidimus & magis confirmati sumus uiso & audito ipso Christo. Iam certissimi sumus ipsum esse saluatorem mundi. Non cōmemorat Euangelista miracula, etsi posset esse ut miracula facta sint: sed uoluit credulitatem illorū ostendere. Beati isti sunt, qui uero corde eadem loquūtur. Nam fides iunctam habet certitudinē quandā, ut non uacilletur. Fides absq; timore est. Quae opinamur, ita opinamur ut credamus tamen possibile esse secus habere. Qui autem credit, nihil dubitat, sed certus est. Vnde pleriq; falso de fide gloriantur, cum ipsi nō habeant in se experimentum suae fidei.

Post duos autem dies exiuit illinc, &

abijt in Galilæam. Ipse enim Iesus testimoni-
um dederat, quod propheta non
haberet honorem in patria sua.

Videtur Ioânes cõfirmare quod iam diximus, Chri-
stum diuertisse à suis. Nunc dicit quod redierit in Ga-
lileam. Non dicit in patriam suam Nazareth, ut Luc.
4. Perstringit autem ingratitude[m] Iudeorum.

Dies.) Consummatis illis diebus abijt, quia nõ de-
cebat ut diutius illic moraretur, quandoquidẽ quæsitus
erant oues de domo Israël.

Propheta.) Neq; in Hierusalem, neq; in Galilæa
dignũ honorem sortitus est Christus. Quis iste honor?
nempe ut debebant in illum credere. Nam alium uanũ
honorem semper declinabat. Sed incredulitatẽ Iudeo-
rum non solum ipse, sed omnes Prophetae detestantur.

Itaq; quando uenit in Galilæã, exce-
perũt eum Galilæi, cũ uidissent omnia
quæ fecerat in Hierosolymis in festo: ete-
nim ipsi uenerant ad festiuitatem.

Videntur hæc sequentia dissonare cum præcedenti-
bus. Dicit Euangelista: Christus testimoniũ perhibuit,
quod propheta non est acceptus in patria sua. Nunc
subiungit, quod Galilæi ipsum exceperint. Quomodo
acceperunt eum citra honorẽ? Sed hoc additum; Non
acceperunt illum tanquam credituri. Non igitur erat

vera & deo grata fides: exceperunt magis æditorem
 miraculorum, quàm saluatorem: gloriabantur in car-
 ne sua, quod apud se natus esset, & miracula faceret:
 non quod tam grati erant, uel poenitentiam agerent.
 Exceperunt & non exceperunt. Et sic uidetis senten-
 tias illas non inter se esse discordes. Eandẽ Galilæorum
 incredulitatẽ nunc exemplo Regij ostẽdit, qui ægerri-
 me adductus est ut Christo crederet, tametsi seminariũ
 fidei in illo inuentum sit. Interim etiam ostendit Iudæos
 non omnes exclusos, & reliquias Iudæorum per Chri-
 stum collectas, ut impleatur Esaia dictum: Nisi reli-
 quisset dominus semen, facti essemus &c. Sed quoties
 conferimus fidem Iudæorum, minorem alacritatem æ-
 pud illos inuenimus. Ita pulchre hoc per exemplum,
 uel miraculum sequens declarat: unde etiam concinne
 cohæret superioribus dictis.

Venit ergo Iesus iterum in Cana Ga-
 lilææ, ubi fecerat aquam uinum. Et erat
 quidã regius, cuius filius laborabat Ca-
 pernaum.

Hoc miraculum repetit, ut magis condemnet illo-
 rum incredulitatẽ. quasi diceret: Manifeste oportebat
 etiam hoc miraculo duci, quia uiderant ex aqua uinum
 factum. Illud autẽ dicit uel ad probandum miraculum,
 uel ad condemnandam Iudæorum incredulitatẽ.

Ca. IIII ANNOT. IOAN. OECOL.

Regius.) Sunt qui putarunt esse ethnicum, sed plañe omnia magis ostendunt fuisse Hebræum.

Ille ut audiuit, quod Iesus uenit ex Iudæa in Galilæã, uenit ad illum, & rogabat illum, ut descendat et curet filiũ suũ, etenim erat proximus morti.

Hieron. Pa
latinum uo
cat. Erat aliquid fidei in hoc regio, sed multo minus quàm decebat habere erga Christum. Habebat Christum adhuc inter prophetas, et putabat necessariã præsentiam Christi, quasi Christus non posset aliàs curare filium. Hinc apparet Christũ simul esse deum & hominem. Ille autem pro solo homine deo dilecto habuit, quia uere nõ credidit. Quod etiã hodie Iudæi & Mahometistæ libenter admittunt. Quamuis paruã fidem haberet, Christus tamen nequaquã auersatus est illum.

Vt descendat.) Quid opus? Christus potuerat unico uerbo curare puerum illius. Centurio se indignum esse dicebat &c. Ille, nisi maturaret iter, actum esse de puero. Aliud indicium paruæ fidei, posse ægrotum curare, mortuum non item. Hoc probandum est in patre, quod curã habuerit filij. Videte, qui de corporali præsentia Christi contendunt, quid agant, cum nemo neget gratiã ubiq; esse & deitatẽ, & illi corpus Christi etiã uolũt habere &c. Nonne manifeste cõtra scripturã pugnat? Aequè deus ante resurrectionẽ ac post. Unò mule

to maioris fidei est, dum credimus Christum in cœlis sua diuinitate, qua non relinquit suos in seculum.

Itaq; Iesus dixit ad illum: Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis.

Durius aliquanto alloquitur Iudæum: & ideo, quo magis ad credendum illum inducat. quasi diceret: Non oportebat petere à me ut tale signum facerẽ, quod tu cupis: certum parũ fidei te habere. Hic sermo uester perpetuus, Quæ facis signa ut credamus? De Samaritanis nõ legimus quod tanta signa uiderint. Ita ueri credentes, spiritu sancto ipsos illustrãte credunt. Obdurati magis credunt signis, q̄ Deo ipso & scripturis. Scripturæ iam impletæ: nihilominus ipsi nõ credebant uerbo dei.

Dicit regius ad illũ: Domine, descende priusquam moriatur puellus meus.

Neq; iste satis expendit quid Christus uerbis suis uoluerit, quod ad fidem cupierit ipsum inducere: unde persistit adhuc in sententia sua. Ne tardius aduenias, & postea nõ possit curari filius. Nõ opus ut descenderet: sed ille omnino urget ut mox descendat. Quamuis illa petitio nõ omnino displicuerit Deo, quia aliquanta ex fide profecta est. Decet ut precibus uacemus, & tantu diu dominũ imploremus, donec & ipsi cõualescamus à nostris malis & ægri tudinibus. Illa humilitas precandi, etsi nonnunquam ex minima fide proficiscatur, tã

men à Deo non reijcitur. Ita ne simus temerarij in cõmendando alios.

Iesus dicit illi: Vade, filius tuus uiuit. Et homo iste credidit sermoni, quem dixerat ei Iesus, & abiit.

Christus amandat illũ: Vade, filius tuus uiuit. Hoc uerbo Christus absens illius filiũ curabat. Nesciebat homo, credidit tamẽ: & cum sedulo precaretur, propitiũ Christũ inuenit. Ita in ipso inuentũ est etiã donum fidei. Data fides ut iã crederet. Antea planẽ desperasset puerũ posse curari, nisi Christus corporaliter adesset: iam credidit uerbo. Hęc est illa cõmendata fides, quando hoc quod ratio negat accipimus, cõtenti uerbo dei.

Illo autem descendente, serui illius occurrerunt illi, & annunciauerunt dicentes: Filius tuus uiuit.

Hęc nunc Euangelista adiungit, quò manifestius fiat miraculum, & fides etiã illius amplius innotescat. Verũ cum serui uenirent & hoc bonũ nunciũ adferrẽt patri, querit de hora, & sic alios inducit ad credendũ.

LECTIO XXIII.

REgius credere cœpit, et declarauit re & opere, id quod de Christo intus sentiebat. Nã credens statim profectus est, inquirens horam in qua melius habere cœperat filius, ut inde occasionem quoq; acciperet

ret gloriandi, & annunciandi Christum alijs. Hoc se-
rè in omnibus miraculis uidemus: principio credunt,
deinde alijs fidem suam annunciant.

Perquirebat ergo ab illis tempus, in
quo excelsius habebat. Et dixerunt ei:
Hæc circiter septimam horam reliquit
illum febris.

Horam septimam delegit. Scimus hunc numerum
potissimum mysticum esse in scriptura, & plenitudi-
nem temporum significare, & horam salutis. Sex die-
bus conditus orbis, septimo sabbatum &c.

Cognouit ergo pater, quod illud tẽ-
pus erat, in quo dixisset sibi Iesus, filius
tuus uiuit.

Cõfirmata est fides illius. Et sic fides de die in diem
magis potest proficere. Ita serè nonnihil fiduciæ deest,
& semper aliquid imperfecti in nobis inuenitur, sed
post hanc uitam comprehensio sequitur.

Et credidit ipse & domus illius tota.

Id est, omnes qui ad familiã illius pertinebant. Nã
tam manifestariũ erat signũ, quod nõ minus fuit ac si à
mortuis esset excitatus: & propter absentia Christi sig-
nũ clarius. Videmus predictionẽ futurorũ Christo in-
ter miracula tribui, & non inter postrema, unde diuini-
tas eius cõprobatur. Quõ domus illius credidisset, mis-

etiam familiaribus suis gloriam Christi prædicasset?

Iterum Iesus fecit secundum signum hoc, cum uenisset à Iudæa in Galilæam.

Multa etiam alia signa fecit in Galilæa, sed in Casna secundum fecit. Tantum habemus de prima profectioe Christi in Hierusalē: nunc sequitur secundū iter.

CAPVT V.

Secunda in Hierusalem profectio.



Post hæc erat festiuitas Iudæorū, & ascendit Iesus in Hierusalem.

Quidam arbitrantur festū esse Pentecostes, & ita paucis diebus Christum iterum ascendisse Hierusalem: sed uerisimilius est fuisse pascha. Et quod sequenti anno iterum ascenderit, scriptores colligunt Christum tres annos cū dimidio prædicasse, iuxta itinera quibus ascenderit Hierusalem. Sit aut̄ quicumq; dies festus, nihil ad rem. Diem festum elegit, in quo maior populi congregatio, ut doctrinam suam clarius manifestaret. Noluī enim in occulto docere: quæsiuit tempus & locum ut magis innotesceret. Accessit & aliaratio, ut legē omnibus modis tanquā iustam & sanctam cōprobaret, ne Iudæi occasione acciperent inde calum-

A Christo niandi Christum, quasi transgressorē legis: sicq; ueniebat iuxta consuetudinem Iudæorū in Hierusalem. Habebimus iterum insigne miraculum, quo omnium oculos

los

los in se conuertit. Cæterum Euangelista admodum diligenter historiam ipsam describit, deinde iterum ad disputationem cum Iudæis procedit, quæ diuinitatē suam non minus adstruit, quàm antea per miracula insinuarat. Reprehendebatur à Iudæis tanquam uiolator sabbati: unde ipse occasionem accepit ostendendi cur hæc faceret, utpote eiusdem cum patre potestatis. Et hoc se rē agit in præsentī capite. Deinde testimonium suum uerissimum esse declarat. Proponit autem ante oculos Euangelista locum, ubi miraculum contigit.

Est autem Hierosolymis ad probatam piscina, quæ agnominatur hebraice Bethesda.

A Beth domo, & Es caprum uel capram. Etiam בית עז בית עז pecudem significat. Vnde bene uerterunt alij, pecudæ natatorium. Volunt autem quod ibi uiscera & carnes pecudum lotæ fuerint à sacerdotibus. Certe magnum fuit indicium diuinæ beneuolentiæ hoc miraculum: per quod Iudæos esse adhuc acceptum populum, & montem istum à deo electum, ostenditur.

Quæ habebat quinque porticus: in his iacebat magna multitudo infirmantium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium motionem aquæ. Angelus enim opportuno tēpore descendebat

in piscinam, & turbabat aquam. Igitur qui primus descendisset post turbationem aquæ, sanus fiebat, à quocunque morbo tenebatur.

Hæc præmittit ut describat solitum loci illius miraculum. Erat piscina quinq; porticum, in quibus multitudo infirmorum &c. hi omnes expectabant motionem aquæ. An semel in anno ea facta sit uel mense, hoc non indicat. Certum est Christo crucifixo desisse hoc miraculum: ubi populus iste contra Deum, occiso filio Dei, sic peccauit, indignus tali miraculo. Vnde piscina ista sublata est & miraculum. Angelus non uisibili specie descendebat, sed mouebatur aqua illa angelica uirtute. Pleraq; illa externa Deus operatione angelorum perficit. Quamuis Deus omnia operetur in omnibus, angelorum tamen ministerio propter salutem nostram uititur. Reperiuntur aliæ aquæ salubres nonnunquam, quæ uim curandi morbos habent, ut est uidere in Theremis: sed ibi erat miraculum: nam non curabat omnes, sed aliquos, duntaxat illum, qui primus in aquam turbatam descendisset. Nam si aqua habuisset uirtutem tantam natura sibi concessam, curasset etiam alios, qui tardius ingressi fuissent. Propterea eadem uis in curandis grauissimis morbis, & curandis leuioribus. Quod iterum ostendit non fuisse natium aquæ, quia tribuitur angelo, qui mouerit aquam. Hac ratione ductus populus

pulus, diligentius conueniebat in templum. Ferè quo tempore stetit templū, miraculum aliquod fuit. Ignem habuere, quo in prima destructione priuati sunt. Sunt alij qui expendunt hoc miraculum, quod Iudaicus populus in quinque porticibus, id est, deditus sit legi Mosaiæ &c. Sed uidetur parum concinna allegoria.

Aegrotantium.) Hi qui Iudaicis cerimonijs dediti erant, uel addicti lege, inueniebant infirmitatem carnis suæ: neque opera legis poterant iustificare uel perfectum reddere, donec spiritus sancti gratia accesserit. Lex autem declarat uanas nostras infirmitates, & tarditatem affectuum nostrorum.

Erat autē quidā homo illic, qui triginta & octo annos morbo tenebat. Hunc cum uidisset Iesus iacentē, & cognouisset quod iam multum temporis morbo teneretur, dicit illi: Vis sanus fieri?

In sabbato fecit Christus hoc miraculum, presente turba maxima. Videte in isto aegroto, quomodo etiam hodie Christus peccatores curet. Iste etiam nostram spirituale infirmitatē declarat. Longo tempore fuit infirmus. Ab Adam usque ad Christum longū tempus intercessit: hum. nū genus laborabat, Iesus misericordia motus, appropiauit se nobis, & sua presentia attulit desiderium salutis. Ante omnia qui à Christo sanantur,

accipiunt fastidium prioris uitæ, & agnoscunt quàm miseri sint. Nam nisi acceperis quoddam desiderium bonæ uitæ, frustra erit sanitas, nec dabitur. Mittit deus externa, ut internos morbos magis agnoscamus.

Vis sanus fieri.) Quare hoc dicit? nisi ut excitet in illo desiderium sanitatis, ut petat Christum. Sed planè ille Christum ignorabat filium esse dei: ob hanc causam, ut infirmitas manifestior esset, & hoc miraculum magis claresceret. Venit Christus ad nos, ad ualitudinarios, petit an uelimus sani fieri. Pleriq; malunt in suis morbis diutius subsistere. Christus tamen passus pro omnibus, quodammodo offert se nostræ saluti.

Aegrotans respondit illi: Domine non habeo hominem, ut quando turbatur aqua, mittat me in natatorium: quo autem tempore ego uenio, iam alius ante me descendit.

Quoniam ita constitutum est à Deo, ut soli priores capaces huius sint beneficij, ego tardius adsum. Iudæi primogeniti soli participes beneficij Dei. Putabat ille loqui Christum, ut portaretur ab illo in aquam. Miserior cæteris sum &c.

Dicit illi Iesus: Surge, tolle lectum tuum, & ambula. Et statim sanus homo ille factus est.

Vbi Christus desiderium excitauit sanitatis, adest tunc suo auxilio, ut uideamus solum esse in Christo uiam effectiuam. Ille enim desperabat in uiribus suis. Ita neque nos nostris uiribus poterimus saluari: quia in nullo salus, nisi in Christo. Christus seipsum illi declarat miraculo isto: unde uere diuinae gratiae hoc tribuitur, licet precemur, & cupiamus nouam uitam: hisce enim precibus non erit salus nostra ascribenda, sed potius tribuamus suae misericordiae.

Tolle.) Quare hoc iniunxit illi? nempe ut appareret eius sanitas, & incolumitas solida. Christus etiam hodie plene curat.

Et sustulit lectū suū & obambulabat.

Hoc non sine causa dicebat. Absq; dubio sciebat Iudeos inde offendiculum sumpturos, quia in die sabbati portabat lectū. Non attendebant miraculū, quod suo imperio sanasset illum & uerbo: spectabāt enim solum ad sabbatū. Inde q; accipit nunc occasionē de sabbato, ut intelligamus quodnam sabbatum sit electum à Deo.

LECTIO XXV.

OPortebat Iudeos uiso tam magno miraculo, quod operatus est Christus, curās eū qui triginta et octo annis laborauerat incurabili morbo, credidisse. Sed hoc perpetuò uidemus, ut inuidia clarissima quaeque opera sequatur. Vnde magis quaesuerūt quid calūniarētur, q̄ ut admirarētur opus dei, sumpta occasione

ex gestatione lectuli, quē iussus ille sanatus portabat.

Erat autem sabbatum in die illa.

Commemorat hoc ut uideamus unde calumniandi occasionem sumpserint Iudæi. Non licebat opus in sabbato facere. Opus seruire interpretantur omne opus laboriosius cum potius Deus cum illam legem daret, non lebat seruos onerare.

Dicebant ergo Iudæi ei qui curatus erat: Dies sabbati est, non licet tibi tollere lectum tuum.

Principio simulant sanctimoniam, & dissimulant inuidiam: causantur diem sabbati, & ita prætexunt honorem Dei. Qui sabbatum uiolat, is neque diuinum honorem magnificat, quia dies ille deo dicatus est. Ecce quid agis? cuius præcepto ambulas hinc inde licet uideri. Non simpliciter gestauit lectulum suum, sed libere ambulauit & gloriatus. Erat sancta gloriatio: non in suis uiribus, sed potius in ipso gloriabatur qui sanauerat. Facile Iudæi coniectabant, cuius opera sanatus esset: præceptum illi dant & legem proponunt, ut respectu sabbati non ferat lectum. Ibi humanæ traditiones & diuine. Plus Deo quam hominibus obediendum, & magis sectari mentem legis oportet, quam uerba. Iam cum

Legis mens iste gestaret lectulum, esto sudauerit sub sarcina, nihilominus obseruabat mentem legis, quia glorificabat deum

Et Christum, qui etiam iusserat: Et ideo iusserat, ut ma-
 gis honor Dei et gloria inclaresceret. Iudaei autem qui ha-
 rebant in sola externa quiete, hi non obseruabant sab-
 batum, quandoquidem non adeo curabant gloriae Dei,
 neque salutem proximi, quam deus magnificat. Vnde
 ipsi ex diuino precepto pharisaicum faciunt. Verum
 alioqui esset, sabbatum est: si quidem impediretur per
 gestationem lecti honor Dei, indigne etiam iussisset Chri-
 stus, indigne etiam obtemperasset ille: sed quia gloria
 Dei maxime illucescebat, recte iste obtemperauit. Pos-
 teris etiam conferre ad alias traditiones humanas, quae
 plerumque uidentur à diuinis legibus desumptae, ut de ca-
 stimoniam, paupertate &c. Videatur ad mentem legis
 primo. Si obiecero tibi omnino ne iures, uide quae mens *In legē quis*
 Christi: uult cor immune esse ab omni falsitate et falla *peccet.*
 cia: obserua mentem illius. Poteris etiam fallere si non
 iurares. Si autem gloria Dei crescit, iam non pecca-
 sti in legem si iuras. Sic Christus praecipit omnino non
 irascendum. Sunt bonae irae et utiles, nec extra legem.

Respondit illis: Qui fecit me sanū, ille
 dixit mihi: Tolle lectū tuū & obābula.

Certi de diuino iussu ne moueamur, quicquid Pha-
 risaei obmurmurent: Deo magis parendū quā hominibus.
 Curatus ille animaduertebat mirabilem Prophetā, cer-
 te si non filium Dei: propterea non dubitabat illum iu-
 rum Dei, et praecipisse quae Deo placebant. Id est, qui

Cap. V ANNOT. IOAN. OECOL.

potestatis tantæ est, hoc ille mihi dixit. q. d. Quicquid uos præceperitis, non opus ut tanti faciam: alius est maior uobis, is mihi præcepit illud. Pharisei uolebant imminuere gloriam Christi, sed iste resistit illis, & opponit Christum tanquam maiorem & ampliorem.

Itaq; interrogauerunt illum: Quis est ille homo, qui dixit tibi, tolle lectum tuum & obambula?

Videte initio calliditatem illam serpentinam: non inuehantur multum in Christum: blande querunt, quis est ille, cuius tanta autoritas, indica illum nobis. Supprimunt quid secum cogitant. Quis est ille qui se magistratui opponit & legi Mosaicæ? Omnem auaritiam quam in animo gerebant, non curabant, sed solum lectum curant. quasi dicerent: Solue omnia diuina: quis hoc iussit? parcimus tibi, parum scis quæ sunt diuine legis: cupimus scire quis sit homo ille &c. Mysterium, quod Iudæi petunt scire quis ille sit, habet in se. Nam

Lex Moysi lex Mosaica eò tendebat, ut manifestaretur Christus: quò tendat. & tandiu Iudæi habebantur in populo dei, donec Christus reuelaretur. Quædam uidentur nonnunquam absurda, habent tamen aliquid mysterij.

Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim subduxit se, quod turba esset eo in loco.

Egit

Egit autem hoc dispensatione quadam, ut daret illis occasionem loquendi de Christo, & ut admirarentur hoc mirabile opus.

Post hæc Iesus inuenit illum in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es, ne ultra pecces, ut ne deterius quiddam tibi eueniat.

Videtur is, qui incolumis factus, in templo orasse & Deo gratias egisse, ut decet post accepta beneficia, ne ingratisimus. Recte Christus illos inuenit, qui grati sunt. Sicut ingratis quæ data sunt auferuntur, ita gratiis dona multiplicantur. Antea non nouerat Christum quantum esset: iam se ille indicat, ostendens ei in quanto periculo fuerit. Gratitudo docetur.

Ne ultra pecces.) Attende bene quantum beneficium tibi collatum est: incidisti in hanc ægritudinem incurabilem: quare? propter peccata tua. Nam morbi nonnunquã propter peccata immittuntur. 1. Cor. 11. Adhuc homo es, peccare potes, sed iam curatus. Phari sæi omnibus modis insidiabuntur tibi, ut possint te à uera fide auellere. Vnde ne pecces ultra per ingritudinem, ne æterna pœna puniaris. Tolerabiles pœnæ, quæ insiguntur in hac uita. Si hic paupertate premimur, ignominia, morbo &c. sunt correptiones tolerabiles: sed longe deteriora sequentur, si ingrati fueris. Morbi.

mus Deo. Proinde quibus omnia ex sententia in hac uita succedunt, non habent quo latentur, quia manent eos grauiora flagella. Quod tot annis laborasti, perpende. Nonne triginta anni & octo? Ita cōputa annos pueritię quos etiam habueris. Similia quisq; Christianus cogitabit. Sunt quibus non dedignatur Deus ut erudiat eos, quibus satius hic esset flagellari, ut agnoscerēt suos morbos quibus offendunt Deum, quā alibi & c.

Abijt ille homo, et annūciauit Iudęis quod Iesus esset, à quo sanatus fuisset. Et propter hoc Iudęi p̄sequēbant̄ Iesū.

Sunt qui putant hominem illum maleuolo animo Iudęis prodidisse Christum, sed falluntur: melius intueantur uerba. Non dixit sicut Iudęi: Quis est ille qui dixit tolle lectum & c. Sed ille dicit, Iesus est. Ex quo dicto Iudęi accipiebant occasionem calumniandi. Prędicare beneficia accepta coram inimicis Christi, non arguit ingratum hominem, sed gratum. Aliās dixisset, Iesus dedit pręceptum ut uiolarem sabbatum. Verum contrarium apparet. Ecce quanta insania Iudęorum, & quā mala bestia inuidia.

Et quærebant illum occidere, quia hæc faciebat in sabbato.

Hanc causam prętexunt ipsi, quod Christus uiolauit sabbatū, non quod benefecit considerant. Deus non prohibuit

prohibuit ut sabbatis non beneficeret, ut in Matth. & Marc. habemus: Quis uestrum, si asinus in puteū & c. Illi nō attendebant Deum nunquā prohibuisse benefacere. Nā charitas in hisce rebus dispensat. Filius hominis etiam dominus sabbati. Sabbatū propter hominē. Sed quicunq; gaudet hypocrisi, solum uidet externa: nec internam iustitiam, qua Deus colitur, recte curat.

Jesus autē respondit illis: Pater meus usq; hodie operatur, & ego operor.

Querebant occidere Christum. Atqui Iesus mansuebat suam potestatem, quā nihil possint etiam furibundi cōtra se. Respondet illis: quia uidet malevolentiam illorum, cupiens ipsos curare. Nam uere isti erant paralytici qui diutius ægrotarunt: & mansuetissimo dōcto docens quale sabbatum dominus uelit.

Vsq; hodie.) Etiā in die sabbato. Nō ita tunc cessauit in septimo die, ut nullum opus faciat. Deus per se enim est actus. Omnia quæ fiunt, fiunt uoluntate et uerbo dei: per ipsum & ex ipso sunt omnia. Ex ipso sumus & uiuimus. Porrigente Deo manū suam, omnia subsistunt. Nisi Deus conseruaret, omnia perirent. Quid dicet ad hoc? Quieuit ab operibus in Genesi? Non nouo modo producit, sed cessauit à rebus creādis primordijs, nō ut quieuerit ab omnibus. Subsistentiæ rerū & cōseruationes ab ipso sunt. Respicite arbores, uel flumina, uel homines ipsos qui crescunt: uidete res quæ uariantur:

Et cuius hæc opera? utiq; Dei. Non igitur per se malum est operari. Sed quomodo operatur Deus? Benefacit. Nonne die sabbati oriri sinit solem suum super iustos & iniustos? quasi diceret: Videtis opus quod ego facio, esse opus diuinum, ideo non oportebat calumniari. Deo liberum est operari quando uult. Nostrum, ut quiescamus à peccatis, in spiritu & ueritate adoremus illum. Hic perpetuus fit sabbatismus. Dies solennes ad utilitatem fratrum instituantur ut prosimus, & infirmi doceantur. Iterum cæci Iudæi, unde oportebat illos glorificare Christum, magis exasperantur, & nouam causam se nactos arbitrantur seuiendi contra Christum.

Propter hoc magis quærebant illum Iudæi occidere, quod non solum soluebat sabbatū, sed & Deum patrem suum dicebat, faciens se æqualem Deo.

Intelligebant etiam hoc, quasi dicerent: Quamuis Deus hoc facit, tibi non licet facere: ergo æqualis Deo? Dicebat, pater meus, cui ego sum natura & autoritate equalis. Hoc maxime cruciabat Iudæos. Non tit nos dicimus, Pater noster: sed meus, id est, naturalis.

LECTIO XXVI.

A Vdiuimus quantam gratitudinem declarauerit paralyticus, triginta annorum & octo cruciatus, postquam curatus est à Christo: quantamq; etiam
ingræ

ingratitude ostenderint Iudæi, qui occasione hinc sumpta Christum perdendi, propter duas causas, nempe quod soluisset sabbatum, & quod Deum dixisset peculiarem patrem & proprium & uerum. Quoties de gloria Dei agitur, non est cedendum aduersarijs, sed magis obsistendum, etiam si cum periculo uitæ. Proinde non est impatientiæ, quod Christus non cedit: sed requirebat zelus gloriæ patris, ut responderet etiam ijs, qui minime digni erant.

Itaque Iesus respondit & dixit illis: Vere uere dico uobis, filius non potest facere à seipso quicquam, nisi uideat patrem facientem.

Graue crimen intentabatur Christo, nempe crimē blasphemiæ, quod se æqualem dixerat deo patri: quod utiq; maximum crimen erat, si non fuisset filius Dei. Repellit igitur hoc crimen hac argumentatione, quia eadē opera facit quæ pater ipse, nempe diuina. Quare igitur offenduntur hoc nomine? Nam cui pater hunc honorem concedit, ut eadem opera faciat, quæ ipse facit, illi utiq; nomen & gloriam non inuidet.

Filius.) Eadem sunt opera patris & filij, ut sequitur. Et planè non sunt alia opera filij quàm quæ patris. Hæc crebrò apud Euangelistam illum habentur, quasi diceret: Profectò iniuste mihi indignamini. Habemus

apud Esaiam: Gloriam meam nõ dabo alteri. Et tamen gloriam suam, ut creationis, uiuificationis, iudicij, filio concedit: & talia opera planè ostendunt diuinam gloriam. Vnde recte gloriatur Christus de Deo patre. Filius à Deo patre habet, quicquid facit, & habet quicquid est in substantia patris, nisi quod non est pater. Scitis filium, lucem, splendoremq; patris esse, & speculum. Intuetur se pater in filio: filius cognoscit patrem. Filius nihil facit à se: omnia quæ facit habet à Deo patre. Opus hoc quod fecit curando paralyticum, hoc uidit patrem facere. Sicut uerbum quod est in corde profluit à ui imaginatiua, ita sapientia æterna à patre descendit, &c. Quæ igitur per negationem dixit, eadem nunc per affirmationem adducit.

Etenim quæ ille facit, hæc & filius similiter facit.

Quæ facit pater, etiam filius facit, qui eadem potentia est, natura & substantia. Euāgelista noster ubique Arianos & Nestorianos satis redarguit, dans eandem diuinitatem filio & patri.

Pater enim diligit filium.

Diligit filium suum, non inuidet hunc honorem filio. Pater per filium, uerbum, creauit mundum. Quos Deus recreat, renouat per filiū, ut noui homines fiant. Quomodo hoc fit? spiritu. Quid spiritus, nisi amor
 quena

quem habet filius à patre? Eodem spiritu & uoluntate pater quia diligit filium, quæ proposuit creare, per uerbum & uim suam creat: ita ut nulla sit horum trium, patris, filij, & spiritus sancti separatio. Nunquam inuenies patrem & filium absq; amore: deniq; pater nihil condit absq; uerbo & spiritu.

Et omnia ostendit illi, quæ ille facit.

Quæcunq; facit, ostendit pater: sed non separamus patrem à filio. Hunc enim modum loquendi scriptura & fides ostendit. Arguit nunc à maiori. Vidistis aliqua diuina opera? uidebitis maiora, quæ etiam ipsa sunt opera Dei, utpote uiuificatio animarum, resuscitatio mortuorum: illa sunt opera quæ nulli creaturæ Deus concessit.

Et ostendet illi opera maiora illis.

Id est, Deus faciet adhuc maiora per illum: ut sciamus non minorem libertatem in filio faciendi, quam in patre: aliàs uideretur quodammodo libertas ablata à filio. Semper filium intelligimus per modum radiationis & splendoris à luce &c.

Vt uos miremini.

Non dicit, ut uos credatis, quia non ex eorum numero erant. Maius opus est excitatio mortuorum.

Etenim quemadmodum pater excitat mortuos & uiuificat: sic & filius

Cap. V ANNOT. IOAN. OECOL.
quos uult uiuificat.

Quemadmodum pater uiuificat &c. Duplex resuscitatio, carnis & animarum: scilicet quando renouamur in cordibus nostris, accipimus spiritum diuinum, ut poeniteat pristinae uitae. Dominus per Hieremiam loquitur: Scribam legem meam in cordibus illorum. Hoc ipsum facit & filius. Pater per filium mittit spiritum sanctum. Filius dicit se mittere spiritum sanctum à patre. Ille spiritus nos alios facit homines. Eramus per peccatum mortui, & impossibile erat ut homo suis ui-

Liberum arbitrium. ribus seipsum resuscitasset: ipse est qui nobis uitam dat. Quomodo liberum arbitrium, si per deum omnia fiunt?

Quos.) Vnde etiam filio dati sunt: filius accepit eos à patre: sunt etiam redempti à filio. Vult eos qui praedeterminati sunt ad uitam, id est, hi qui credituri sunt uerbo. quasi diceret: Ecce maius opus est mortuum suscitare, quam paralyticum curare. Hoc opus ostendit pater filio ut faciat. Iam de hac resurrectione loquitur, ut sequentia ostendunt: postea de resurrectione alia.

Nec enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio, ut omnes honorent filium, sicut honorant patrem.

Bene perstringuntur hic Iudaei, qui uidebantur Christum persequi diuino quodam amore, quasi non possent ferre iniuriam, quae deo fiebat. Indicare autem uult E-

uangelista

uangelista, non esse aliud nomen sub cœlo, in quo saluos fieri nos oporteat, quàm in nomine Iesu Christi. Pater non saluabit aliquem, qui dixerit se colere Deum qui fecit cœlum & terrâ, si noluerit recipere filiũ eius.

Iudicium.) Videte sequentia, ut omnes colant filium, ut sit idem honor patris & filij. Iudicium igitur erit per filium: si quis filium non receperit, condemnabitur. Qui crediderit filio, etiam is honorabit patrem. Pater non uult solus talis haberi. Iudæi & Pagani etiã putant se pios, quamuis Christum nõ recipiant: sed planè pater non curat illorũ cultum. *ngives* non hoc modo accipiendum, quasi Deus omnẽ potestatem iudicariam à se rejiciat, & non sit censendus iudex: planè omnia nouit, non relinquet malum impunitum: sed non uult solum habere illam autoritatem, nisi cum filio: id est, dedit omnem potestatem filio: nam in iudicio potestas summa cognoscitur. Vult filium igitur appellari Deum, & haberi pro uero Deo: alioqui non honorabimus eodẽ honore ut Deum patrẽ. Si dicimus: Sicut spiritus sanctus habitauit in pectoribus prophetarum, ita in Christo deitas: non honoramus Christum ut Deum. Dedit ei omne nomen & c. Sed non est censendũ, quasi iste due nature suas proprietates amiserint. Caro manet caro: & Deus, Deus: filius Mariæ euectus est in cœlum cum gloria. Iterum repetit:

Qui non honorat filium, nõ hono-

Cap. v ANNOT. IOAN. OECOL.
rat patrem, qui misit illum.

Nemo seipsum seducat, quasi sit religiosus obseruator Dei, si filium non honorat, & non eodem amore colit quo ipsum patrem &c. Omnibus modis uidemus æqualem auctoritatem esse patris & filij.

Vere uere dico uobis, qui audit sermonem meū, & credit ei qui me misit, habet uitam æternā, & non ueniet in iudicium, sed transijt ex morte in uitam.

Explanat quid sit illud uiuificare filij, & quomodo filius uiuificet. Hoc est, si audiatur uerbum Christi, & credatur Deo, qui misit illum, licet assequi inde uis tam æternam. Iam audire externum uerbum, non con-
quomodo eedit nobis uitam æternam: necesse est ut corda nostra
audiendum audiant. Internum magistrum audiamus, spiritum sanctum: quamuis externum uerbum non est negligendum. Qui igitur audit sermonem interno potissimum auditu, & qui non repudiat istum sermonem qui missus propter nos & passus, ille discet ineffabilem charitatem Dei erga humanum genus. Non dicit, habebit: sed dicit in presenti, iam habet, quia in se habet spiritum Dei, qui excitat cor ad credendum: & scit se habere patrem in cœlis, id est, non condemnabitur, quia omne iudicium dedit pater filio. Nulla cōdemnatio ijs qui in sui sunt Christo.

Transijt.)

Transijt.) Nō opus ut quis de illo iudicet: etiam in hac uita, quam primū cœpit sic innouari, transijt à morte. Antea filius mortis & iræ, neq; poterat sibi persuadere Deum esse tam beneuolum, ut omnia dignaretur propter se facere, & ut filium suum qui preciosior est toto mundo, daret in mortē. Nemo hoc credidit. Non poterat prius sibi pollicere diuinam benignitatem: iam autem operatur bona opera, ac quæcumq; facit, facit luens & in gloriam Dei. Cum igitur in tanto honore sunt omnes qui credunt, nō opus erit ut ponamus aliam purgationem peccatorum nostrorum qua reconciliemur Deo, præter eam quæ facta est per Christum. Omnia dona illa gratis data sunt à Deo. Igitur pœnitentiæ illæ & satisfactiões cum Purgatorio transeant & c. Auaritia nescio uel ignorantia tales pœnitentiās introduxerit. Nam dicunt quod omnes fideles transeunt in Purgatorium, infideles non transeunt. Hic habemus uirtutem filij. Et nō uenient in iudicium: id est, nullum peccatum illis imputabitur ut sint puniendi. Etsi quidam hic puniantur, non ut satisfaciant, sed ut humilientur, & alij illorum exemplo edocti resipiscant.

Vere uere dico uobis.

Iudei minus curabant illam internā uiuificationē animarū, quæ tamē maxime petenda est à deo: obstupescabant resurrectionem corporū multo amplius. Dicit igitur Christus, iam adesse horā ut mortui resurrectua

ri sint. Nā loquitur hic de ijs quos ipse uoluit suscitare.

Quia uenit hora & nunc est, quando mortui audient uocem filij Dei, & qui audierint uiuent.

Certum est Lazarū à Christo suscitātū, & filiam archisynagogi, filiumq; uidue: de his tribus tradunt Euangelistæ. Deinde cum emisit Christus in cruce spiritum, aperta sunt monumenta, & Christus excitatus. Ex quibus operibus omnino conuincebantur Iudæi, ut non possent negare illa esse opera diuina.

Etenim quemadmodū pater habet uitam in seipso, sic dedit & filio habere uitam in seipso, & dedit illi potestatem facere iudicium, quia est filius hominis.

Habere uitam in seipso, est natura esse uiuificum, ipsammet uitam esse, & fontem uitæ, ut possit etiam dare alijs uitam. Opus planè diuinum: & tale opus in ipso filio uidetis. Verbum unitum est humanitati. Ideo Christus suo contactu suscitatur mortuos. Indicium absq; dubio in seipso habere uitam.

Potestatem.) Id est, omnem gubernationē & iudicium. Quare? quia filius. Insinuat nimirum hoc loco quod Paulus in Epistola ad Ephes. Omnes fideles electos esse. quomodo? in sanguine Christi, quia seipsum humiliavit obediens factus usq; ad mortem. Ab æterno etiam

etiam praevidit pater in filio se facturum hoc. Ipse attritus propter scelera nostra, ideo dedit ei iudicium, ut quotquot saluantur, saluandi sunt per eum.

LECTIO XXVII.

Quia Iudaei multum offendebantur ex dicto Christi, cum intellexissent quod Deum uocaret patrem suum: uarijs igitur testimonijs se uerum esse Dei filium asserit, nempe patris, deinde Ioannis, postremo scripturarum, quando ex operibus quae fecit (quae erant uere diuina opera, & nullus ea facere poterat nisi uerus Deus) nolent intelligere. Dixit igitur aliqua opera, nempe opus uiuificationis & iustificationis, quando immisso spiritu sancto corda innouat. Deinde secundum opus ex quo clare possent agnoscere ipsum esse filium dei, est, quod resuscitauit mortuos cum adhuc uersaretur in terra, & breui ipse erat resurrecturus à mortuis: quae res planè diuina erat. Promittit & maius opus se facturum eiusdem potestatis, de quo maiorem haberent admirationem.

Ne admiremini hoc, quia uenit tempus, in quo omnes qui sunt in sepulchris audituri sunt uocem illius, & egredientur qui fecerunt bona in resurrectionem uitae: qui autem fecerunt improba, in resurrectionem iudicij.

Cap. V ANNOT. IOAN. OECOL.

Si iam resurgunt aliqui iterum morituri, ne miremini, olim ueniet hora ut omnes resurgant. Quidam opinati sunt quod boni & iusti essent duntaxat resurrecturi: quæ ferè sententia Hebræorum. Quidam uero duplicem resurrectionem ponunt, ut Chiliaste: primo iustorum per mille annos, deinde bonorum & malorum. Sed una generalis solum resurrectio est: quia Christus resurrexit: ex sua satis corroboramur resurrectione, nos esse resurrecturos. Videtis illud ex Dan. cap. 12. de sumptu, etsi alijs uerbis, tamè eadem sententia. Etiam OMNES sunt multi, siue sint mortui uel uiui. Apud Hebræos mos religiosior sepulture, etiam erga illos qui submersi sunt aquis uel exusti &c.

Vocem.) Id est, ad imperium & iussum Christi: ubi ille uoluerit uel iusserit, necesse ut resurgat. Eadem potestate qua condidit Deus coelum & terram ex nihilo, eadem &c. Fideli nulla est hic difficultas: respicit in promissionem Dei & omnipotentiam.

Qui.) Ita discriminat inter fideles & infideles. Potuisset dicere sicut in alijs locis: Qui credit, habet uitam æternam. Sed dicit: Qui fecerunt bona, in resurrectionem uitæ: qui autem fecerunt improba &c. Erit apertum iudicium Dei. Deus nouit quid sit in corde hominis. Vnde ab externis declaratur quinam sint, qui fidem habeant, qui non. Salus ex fide. Fides nequaquam ociosa: sed adfert opera bona secum, nempe charitatis & miseres

et misericordie. Qui nunc se gloriantur esse fideles, titulo insigniti baptismatis, et nulla bona opera egerint, in die iudicij non cognoscentur à Deo. Necessaria confessio ad fidem: ubi desunt opera, necesse abesse fidem. Hæc uita momentanea est, uix digna nomine uitæ. Corpus collabetur in cineres. Licet anima immortalis sit, tamē unietur corpori. Iudæi interim perstringuntur, qui sic exacerbati erga Christum, quod rationem essent daturi, si illum persequerentur, qui esset iudicaturus uiuos et mortuos.

Non possum ego à meipso facere quicquam. Sicut audio, iudico, & iudicium illud meum iustum est.

Propositionem suam repetit quasi in cōclusionem. Et uult dicere, illa quæ facio mihi non ascribo: non sum tam arrogans ut uobis uideor: omnia acceptum refro patri: ne putetis me tam uane gloriosum esse, ut plerique sunt mortaliū.

Audio.) Suprà, Nisi quid uiderit patrem facientem et c. Suprà uidere, hic audire. Suprà facere, hic iudicare. Ne imaginemini cum Arianis errorem, quasi filius patre minor sit: humiliori modo loquitur, et omnem gloriam dat patri.

Iustum.) Quod sum aliquando laturus, et quod nunc iudico etiam iustum est.

Quia non quæro uoluntatem illam meam, sed uoluntatem eius qui me misit, patris. Si ego testimonium perhibeo de meipso, testimonium meum non est uerum.

Vbiq; obturat ora Iudeorū, quibus suspecta erant omnia que loquebatur Christus. Quamuis gloriam dabat patri, tamen semper habebatur ab ipsis quasi gloriam suam quæreret. Videbimus autem hoc loco testimoniorum probationem, & notam quandam qua licet discernere inter falsum & uerum testimoniū. Qui gloriam suam quæerunt, falsi prophete sunt. Vnde Christus sua iudicia uera esse demonstrans, dicit:

Voluntatem.) Sicut pleriq; qui uidentur sanctiores & potentiores, gloriosi sunt, seipso commendant uarijs laudibus: hoc ego non quæro, sed patris uoluntatem. Hæc uoluntas patris, ut summa benignitas Dei uobis innotescat, que non potuit manifestari quam per filium missum: ex quo cognouimus Dei uoluntatem erga nos. Venit igitur Christus nõ ut faciat uoluntatem etc. quasi hic uelit esse uane gloriosus, sed ut uoluntas patris omnibus innotescat: quare nihil felicius humano generi potuit contingere. Filius uult ut totus mundus conuertatur ad Deum, propterea se humiliavit & dedit spiritum. Non sua uoluntas: etsi ista eius sit, sed non communi

communi more, ut solent homines aliud quiddam quæ-
rere quàm Deus quærit &c. Neque pugnancia uerba
sunt. Alij sic sentiebant de Christo, quod esset uane glo-
riosus.

Testimonium.) Loquitur ut supra. Non sector
meam ipsius gloriam. Si egero ut pleriq; mortales, ut
ipsi potius glorificentur quàm Deus, tunc testimonium
uerum non esset.

Alius est qui testimonium perhibet
de me, & scio uerum esse testimonium
quod testatur de me.

Id est, pater, cuius testimonium uerissimum est &
certissimū. Qui gloriatur, in domino gloriatur: quem
dominus commendat, ille uere commendatus est. Nam
in baptismo & monte Thabor, & paulò ante resurre-
ctionem testificatus est deus pater, ut sit filius dilectus.
quamuis de operibus potestis bene intelligere. Id est,
talia opera operatur pater in me, & ille testificat de
me, nihil doli apud me est, certa omnia sunt &c. Chri-
stus hic potissimum probat suam diuinitatem contra Iu-
dæos ex operibus & testimonio patris. Nam alia te-
stimonia, ut Ioannis & scripturæ, etiã testimonia sunt
Dei. Spiritus sanctus locutus in Ioanne, & scripturæ
per spiritum sanctum scriptæ. Transit nunc ad secun-
dum testimonium Ioannis, quod ipse præstitit. Ioannis
maxima autoritas apud Iudæos, ideo testimonium eius

adducit, redarguens eos quare illi non habeant fidem.

Vos misistis legationē ad Ioannem,
& is testimonium dedit ueritati. Ego au-
tem non ab homine testimonium acci-
pio, sed hoc dico, ut uos salui sitis.

Suprà in primo capite clare, quantam legationem miserint sacerdotes ad Ioannem, habuistis. Misistis clarissimos, inquit, uiros, nouistis hominem esse ueracem. Testificatus subsecuturum se, cuius non dignus sit soluere corrigiam calceamentorum. Quid igitur nunc controuertitis?

Ab homine.) Id est, Ioannes non est mei gratia locutus quasi adulator: neque hac ratione accepti à Ioanne testimonium, quasi cupiam laudari: tam alienus sum ab ulla peste uanæ gloriæ. Ita simplicissime conuenit exponere hunc locum. Alij ad uires hominis trahere nituntur: sed hic solum de fuga uanæ gloriæ loquitur. Voluit exemplum Christus præferre optimæ uitæ & sanctissimæ.

Saluimini.) Non usque adeo contendo uerbis, quasi ualde curem testimonium Ioannis, & quasi penitentiam ab humanis laudibus. Absit. Hæc propter uos dicuntur: dignum ut Ioanni habeatis fidem.

Ille erat lucerna ardens, & lucens:
uos autem uoluistis ad tempus exulta-

re in luce eius.

Ioannis testimonium erat planè fide dignissimum. Lucerna erat quæ ardebat charitate, honestissima uita, amore &c. ut sermo Helix, quia flagitia reprehendebat, absq; omni personarũ respectu, non parcebat re gibus uel amicis. Magis hic quadrat ad $\pi\alpha\rho\tau\epsilon\rho\nu\sigma\iota\alpha\psi$ libertatē loquendi Ioannis. Ille nõ respexit personam, utiq; mihi non fuit adulatus. Si autem intellexisset me uanum & malum, non laudasset. Si Herodem reprehendit, etiam uindicasset gloriam Dei propter me. Id est, doctrina sua lucebat: rectius ergo de me sentietis.

Ad horam.) Id est, placuit doctrina eius ad tempus aliquod: sed non multo tempore adhæsisistis ei: nam postquam cœpit uobis prædicare pœnitentiam & remissionem peccatorum, uos ad me, ut audiretis me, respiciuistis ab illo. Principio erat uobis admodum gratus: sed postquam manifestatus est Christus per illum, cœpit uobis displicere & Ioannes. quasi diceret: Dolet uestro nomine, cum habueritis quasi domesticum testem, & illum non curaueritis.

At ego habeo testimonium maius testimonio Ioannis. Etenim opera quæ dedit mihi pater ut perficiam illa, illa inquam opera quæ ego facio, testantur de me, quod pater miserit me.

Sicut audistis, Ioannis testimonium ideo datum est, ut Iudei Christum agnoscerent, non ut Christus per se opus habeat. Vnde dicit, amplius testimonium habeo quam si sexcenti Ioannes essent. Maximum opus est uos ad cognoscendum patrem inducere: inde agnoscitis me uerum esse Dei filium.

Et pater qui me misit, ipse testimonium dedit de me, neque unquam uocem eius audistis, neque uidistis speciem illius, & non habetis sermonem illius manentem in uobis, quia quem misit ille, huic uos non creditis.

Hæc respiciunt ad ea quæ dicta sunt Deut. 18. Vbi populus Iudæorum Deum uidit loquentem ex rubo, tunc populus testatus est, quod non posset uidere in ignem illum maximum: promisit Deus Prophetam uel le mittere. Cum igitur iam missus esset Christus Prophetæ ille, de quo Moses locutus, neque reciperetur à Iudæis, certum esse eos non filios Dei, quandoquidem non haberent uerbum patris in se manens.

LECTIO XXVIII.

Accedit nunc Christus ad testimonium tertium, quo probat se esse filium Dei. Principio nititur testimonio patris per opera, deinde testimonio Ioannis, tertio ex scripturis, Mose & Prophetarum. Possit

mus pro uno testimonio ponere Ioannis & patris testimonium, quod cœlitus datum est. Accessurus nunc ad tertium testimonium, primo perstringit arrogantiam Phariseorum & ignorantiam, quia ipsi confidebant quasi legem optime nossent, & nihil tale inuenirent in lege, quale Christus prædicabat. Videbantur sibi admodum docti de sabbato, nec intelligebant mentem legis: & ita confidentes in sua scientia, erant in summis tenebris: ut serè fit, quanto minus quis literarum habet, tanto temerarius est. quasi diceret: Planè nihil de Deo nostis, etsi uideamini uobis multum scire.

Audistis.) Ita dixi Christum perstringere ignorantiam illorum. Si dicam, tu nunquam quid audiuisti uel cogitasti de Deo, uiolentior erit sermo. Nam uarij sunt modi discendi. Discimus per uisum, auditum, & per cogitationem internã. Dicit, Vos gloriamini quasi habeatis magnam notitiã diuinarum scripturarum, & estis alienissimi ab illa. Nihilominus bene cõstant etiam aliæ expositiones, quia Christus gloriabatur se esse filium Dei. Iudæi cogitabant, patres nostri uiderunt Deum: id est, quando uiderunt ignem & fumum in monte Sinai, putabant se uidisse Deum. Certum tamen est, Deum nihil minus esse quàm talem fumum. Angeli ministrabant huiuscemodi formas sensibiles & uisibiles, nihilominus tamen loquebatur dominus. Si quis contentiosus diceret: Ergo Deus ignis, quia appa-

rui in igne: ecce quàm ineptus esset: sed ut ignis lucidus est, inflamat, incendit: ita Deus alijs amicus, alijs ignis consumens. Suprà: Deum nemo unquam uidit: ita neq; patres uidere, imò neque Moses, etsi facie ad faciem &c. Quamuis etiam legamus Prophetas uisisse Deum, ubi Deus proponit eis uisionem, qua aliter quo modo potuerit cognoscere Deum. Sic quod de specie Dei dicitur, similiter etiam de uoce Dei. Nemo audit Deum loquentem cum spiritus sit: etsi ubique in scriptura legimus de Adam & alijs, quod Deus cum eis locutus sit, sed uisiones fuere per angelos reuelatæ. Neque possumus dicere quod proprie uox fuerit Dei: sed uox Dei, quando loquitur in cor hominis.

Dei uox
quæ.

Manentem.) Id est, non cogitatis etiam recte de Deo. Quæ ratio? quia ignoratis filium quem ille misit. Legatus Dei repudiatur à uobis. Si nuncio non creditis, neq; patri &c. Tantæ misericordiæ est Deus, adeò uerax, & nemo est qui illum nouit, quin habeat ei fidem. Vnde fit quod Deo non credimus? quia putamus illum nimis benignum esse & largum. Alius fortassis putat tantam esse seueritatem in Deo, & iustitiam Dei maiorem esse misericordia eius: neq; is agnoscit deum. Ecce omnia ex ignorantia benignitatis dei proueniunt: quotquot non fidunt diuinis promissionibus, illi errant & ignorantes sunt. quasi dicat: Gloriamini multum de scripturis, cum nihil in illis sciatis.

Inquiritis

Inquiritis scripturas, quia uos putatis in illis habere uitam æternā: & illæ sunt quæ testimoniū præbent de me: & non uultis uenire ad me, ut habeatis uitam.

Nunc dicit, quamuis quotidie uersemini in scripturis, & ita uersemini ut putetis etiã uos inuenturos æternam uitã in illis, planè hoc scripturæ habent, sed nibi hominus nõ uultis ad me uenire. Solent cõmuniter allegare in modo imperatiuo, tamen ob id neminem amare tractabimus. Ideo scripturæ sunt scriptæ ut inquirantur: quod si scripturas non legerimus, uidentur frustra esse scriptæ. Propterea nõ oportet simpliciter uersari in scripturis: sed uirtutem illarũ, & quò tendant cõsiderare, ut queamus ab humanis historijs scernere, quæ multum sublimia indicant & acuta, sed non eò tendunt ut præstent homini fiduciã in Deum. Ibi scopus scripturæ: qui illum non inuenit, nihil habet. Dicitis, ego tot & tanta lego in scripturis Dei, in quibus nihil uideo cõmemorare Christũ: quomodo ad illum referam? Vis scire? dicam. Mox in Genesi promissiones usque ad Abrahamæ tempora habes. Deinde uide genealogias: habuit filios duos, uni facta est promissio, alteri non. Propterea relinquitur tota cognatio Ismaëlis: absque dubio multa præclara gesserunt Ismaëlita. Deinde quare scriptura arripit Iacob & relinquit Esau? quoniam ex Iacob

Christus uenturus erat. Duodecim tribus relictæ, Iudæ tribus seruata. Deinde unus populus, etsi duodecim tribus. Omnia illa fieri eis pædagogium & quædam instructio ut expectarent Christum: ideo populus iste debuit segregari ab omnibus populis terræ. Cultus in Hierusalem quare? quia Deus uoluit illic reuelare Christum. Quare mansit tribus Iudæ? & quare ita descripta est? certe propter Christum. Ex Babel ducta est tribus Iudæ, Benjamin & Leui. Postea quæcunq; scripta sunt per Prophetas, nonne de Christi regno? Populus ille erat sic castigandus, quia Christo conseruandus. Et ita omnia aliquo modo eò tendunt, etsi multa de Christo consonantia ubiq; sint, & præcipue Deut. 18. Suscitatebo &c. Quod testimoniū ad hunc potissimum locum pertinet. Certe si uersamini in Prophetis diligentius, occurrit sæpe Christus. Si quis uerba expendat, etiam trinitatem personarum inueniet. Sed hæc nemo sciet, nisi scrutetur scripturas syncera mente. Sic Iudæi legunt: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: at tamen filium non agnoscunt. Sic de alijs locis.

Vitam.) Hoc est peculiare Iudæis, inflari externa scientia: qua contenti sunt, quasi obtinuerint totum. Optimum ut scrutemur scripturas, & per spiritum sanctum illustremur. Vt Iudæi putabant, quod cõplessent legem absq; interno affectu & spiritu: ita hodie pleriq; putant se probe nosse literas sacras, cum multa testimo-
nia

nia è scripturis commemorant: sed nihil ad rem. Aeterna uita non aliunde quàm per gratiam Christi datur. Scriptura non facit hominem meliorem, neque prædicatio per se, nisi accedente spiritu sancto. Hoc est peculiare uerbo externo, ut præbeat testimonium: sed ut cor hominis assentiatur, hoc ex spiritu Dei est.

Vultis.) Legitis scripturas, & multa opera uidistis, sed semper permanetis in uestra incredulitate: ideo uere non legitis nec creditis. Quid est uenire ad Christum? est fidem habere Christo: Nam uita ex fide procedit. Porro ostendit quomodo doctrina sua & ipse longe alius sit quàm ipsi putant. Et quæ impedimenta Iudeorum quare minus cognoscant Christum? Superius etiam audiistis quomodo excuset se, quod nõ uenietur humanam gloriam, & nihil ostentandi gratia loqui solere.

Non accipio gloriam (illam uanam) ab hominibus.

Id est, quamuis dicam Deum esse patrem meum, tamen non ideo loquor ut gaudeam propter uanam glorificationem ut cæteri homines &c.

Sed noui uos quod non habeatis in uobis ipsis charitatem Dei. Ego ueni in nomine patris mei, & non accipitis me. Si alius quispiã uenerit in nomine proprio, illum suscipietis.

Cap. V ANNOT. IOANN. OECOL.

Nihil oportebat suspicari de me, quasi meam gloriam quaerā. Mandatum à patre accepi, legatus sum ad glorificandum patrem. Sed quia nō suscipitis me, nulla est charitas in uobis est: scripturā etiam frustra profertis.

Si alius.) Vos hoc mihi obijcitis, quod uenerim meo nomine. Et planè nomine meo si uenirē, & quaererem quae homines solent quaerere, & uenirem ut rex, & meipsum magnificarem, adferrem thesauros, distribuerem delicias, tunc susceperetis me. Si quis uenerit carnaliter praedicans libertates, illum sequemini. Non solum de Antichristo haec scripta sunt, sed de omnibus qui terrena praedicant, adulantur populo, & quae libenter audiunt ea magno clamore ebuccinant. Historia de Barcasba tempore Adriani, qui fere 5000. Iudaeorum congregauit, quosq; induxit ad bellum, sed diuina plaga occubuerunt, planè rebellem Iudaeorum mentem indicat. Et multi alij rebellauerunt &c. Quis miserat illos? profectò non Deus. Et hodie hi non misit à Deo, qui aliud praedicant quàm diuinitus praecipitum est. Quando adierunt uani isti gloriosuli, illos audietis. Quandoquidem ego alienus sum ab ulla gloria, non inuenio aures paratas apud uos ad audiendum.

Quomodo uos potestis credere accipientes gloriam mutuum, & nō quaeritis illam ipsam gloriam, quae à solo Deo est?

Ostendit quid Phariseos impediatur, quo minus ad cognitionem

cognitionem ueritatis perueniant, gloria scilicet uana. Non dū satis humiliati, neq; humiliter de se sentiebant. Hodie multi sunt qui nō humiliantur, quia erubescūt discere. Ita & Iudæi erubescabant. Ecce ille Christus doctor uobis est, & illum auditis? Sed nolebant participes esse crucis, nolebant periclitari propter ueritatem, & multum placebat eis cum salutarentur Rabini &c.

Quæritis.) Non satis est exinaniri, & nihil de seipso sentire: nam multi sunt simplices qui fatentur ignorantiam suam, & sciunt se indoctos, sed nihil proficiunt: oportet adijcere seruorem discendi: quærenda est gloria Dei: id est, omne studium impendendum ut placeatis Deo. Placet patri ut agnoscatis filium suum, qui misericordiam suam, iustitiam, benignitatē, omnibus inuocantibus se exhibet. Verum si Christum uolueritis recipere, peribit omnino gloria uestra. Cogitare debetis ut mandatum Dei seruaretis.

Ne putetis quod ego accusaturus sim uos apud patrē. Est qui uos accusat Moses, in quo uos speratis. Si enim credidissetis Mosi, credidissetis & mihi.

Quasi diceret: Scripturæ tam manifeste loquuntur de me, Moses & Prophete, ut non opus sit ut uos accusem: neque ob id ueni. Omnia propter salutem uestram iam facio, sed uos non uultis illud credere: hoc

igitur erit uobis in condemnationem.

LECTIO XXIX.

Postquam Christus ostendit Iudæis ex testimonio Moſis & ſcripturarum, ſe eſſe filium Dei, & indicauit quo impedimento præpedirentur, quo minus tantum myſterium agnoſcerent, ſubiicit nunc alia, quò terrorem illis incutiat, ne ſeipſos perdant. Vana enim gloria perdebat Iudæos & Phariſæos. Miſeri ita inflati opinione ſcientiæ legis, ut non ſitirent ueritatē. Hoc certe non erat paruam peccatum, & neutiſquam futurum impune. Non enim recipere filium Dei poſt tam aperta teſtimonia ſcripturarum, & poſt tam claram prædicationem prophetarum, utique magnam poenam exigit.

Moſes.) Hoc non erit intelligendum tam craſſo modo, quaſi aſſiſtat ipſe Moſes & accuſet alios, tanquã reos: ſed ipſa cognitio legis erit datura teſtimonium. Deus inſcripſit in cordibus noſtris legem, ut cum ex creaturis agnoſcamus: Item, proximo faciamus, quæ uolumus nobis fieri. Eam naturæ legem ſi neglexerimus, ipſa nos in die iudicij accuſabit. Id eſt, Non eſt munus Chriſti ut accuſet. quaſi diceret: Veni ut uobis proſim, nõ ut uos perdam. Sed planè lex illa, quam cognoſcitis, illa ipſa perdet uos, & uos in illam habetis magnam fiduciam. Non cogitabant Iudæi quomodo lex eſſet implenda, nempe ſpiritu, quia ſpiritalis: alioqui opera

Lex implenda ſpiritu.

opera legis neminem saluant. Vt suprâ, Putatis uos habere uitam in eis: Hic, In quem Moſen &c.

Si credidiſſetis.) Quia Moſes remittit uos ad me, ſicut etiam Ioannes perhibuit teſtimoniũ. Si credidiſſent Moſi & Ioanni, crederent & Chriſto. Et quoniam gloriabantur in Moſe, & putabant ſe peritos in lege, propterea nullam excuſationem habebunt.

Etenim ille ſcripſit de me.

Quare accuſabit? quia ſcripſit de me &c.

Si autem non creditis ſcriptis illius, quomodo credetis uerbis meis?

Qui negligēs eſt in paruis, & infideliter miniſtrat, ille indignus eſt maioribus. Dicit, eſtis in Moſe infideles, ideo neq; uerba mea agnoſcetis. Qui non poteſt capere prima elementa, quomodo ille poterit ſumma myſteria agnoſcere? Quæ ſcripſit Moſes ſunt liniamenta ad Chriſtum. Si Moſi non credunt, quomodo iam uenienti Chriſto? Qui propheta non credit, ille planè nihil expectat: & ſi uenerit, nihil recipit. Fuisti in ſeruũ infideles, certum eſt neq; dominum magnificiatis. Multi putant, ſi Chriſtus hodie uiueret, meliores ſe futuros, & pendere ab ore eius uelle: ſed nugantur. Licet illis hoc obijcere: Si Moſi non, neq; uerbis Chriſti credituri ſunt. Videmus hoc loco quantopere commendet nobis ſcripturas ſanctas, & quomodo condemnet nos, ſi in his non queratur Chriſtus. Poſtea autem Chriſtus di-

Cap. VI ANNOT. IOAN. OECOL.

secessit, quandoquidem nihil proficiebat apud illos qui occidere eum uolebant, quia indigni erant. Vnde cap. 6. sequitur, quomodo ad suos redierit.

CAPVT VI.

Argumen
tum huius
capitis.



Post hæc abiit trans mare Ga
lilææ quod est Tiberiadis.

In hoc sexto capite ostendit quomo
do Christus ad gētes diuerterit. Nā hoc
mysteriū nobis ubiq; insinuatur, quod Christus relictis
Iudeis, gentibus cœperit innotescere. Non cis Iordas
nem uolebat ambulare, sed trans. Illic habitabant ma
gna ex parte gentes. Quod indicium erat iam Iudeos
indignos uerbo dei. Certe hoc non paruū terrorem in
cudit ijs, qui habent timorem domini: & facit ut illi cog
itent, si ingratus fueris Dei uerbo, fieri potest ut ille
à te se auertat. Summatim in hoc capite habemus,
quanta beneficia dominus suo populo præstet: Nam
hoc agit miraculis duobus & doctrina. Suos enim præ
scit Christus, & ab omnibus periculis liberat. Hæc
sunt beneficia quæ apud Christum inuenimus, Nam
Beneficia suos implet bonis omnibus, & à malis defendit. Quid
Christi. plus desiderares ab illo? Nonne hoc complectitur om
nem beatitudinem? Habebitis enim duo præcipua mi
racula, nempe quomodo pauperit quinque millia hominū
quinque panibus. Quo miraculo docet quomodo suos
pascat.

pascat. Certum est, non solum pascit corpora nostra,
 sed etiam animā iustitia & alijs uirtutibus. Deinde ha-
 betis miraculum, quomodo periclitati fuerint discipuli
 in mari, & quomodo liberati ne submergerentur: quo
 miraculo confirmat spem nostram. Et quod obscurius
 in miraculis istis ostenderit, postea manifestius uerbis
 suis declarat, nempe quomodo seipsum in cibum & po-
 tum concedat, & quomodo spiritu Christi uiuificemur
 & aliamur. Nam hoc est maximum Dei beneficium,
 quod nobis nunc conceditur, & quod potissimum ab
 illo petere debemus, ut concedat nobis illam fidem,
 quo credamus illum redemptorem nostrum. Iudaei igitur
 indigni erant tantis beneficijs, qui aspernabantur
 doctrinam Christi: proinde conuertit se ad gentes. Pri-
 mo itaque ostendit quomodo populus congregatus sit
 cum Christo, quae congregatio uocationem ecclesiae no-
 bis insinuat. Nam de Christo praedictum est, quod ad
 ipsum confluent gentes: Genesis quadragesimosexto,
 & in alijs locis. Et uerū indicium erat ipsum esse Chris-
 tum: quamuis principio multitudo ista sequebatur ma-
 gis curiositate quam ueritatis inquisitione. Signa ista
 declarant potentiam Christi. Et Iudaeos taxat, cum ma-
 iora uiderant, nihilominus nō credebant in Christum,
 sed quasi clausis oculis solum querebant quid possent
 in Christo carpere & sinistre interpretari.

Et sequebatur illum magna turba.

Cap. VI ANNOT. IOAN. OECOL.

Id est, magnus numerus. Nam ab oriente & occidente uenturi erant, qui in sinu Abrahamæ quiescerent. Magnus numerus, & minor, si conferas ad infideles.

Quia uidebant illius signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur.

Non commemorat illa: sed certum est multos infirmos curasse.

Ascendit autem Iesus in montem, & illic sedit cum discipulis suis.

Vt uideatur maius studium, & ardentior gentiliū feruor, ascendit in montem, & semper populus subsequitur: id est, in montana ascendit, nō in unum collem.

Sedit.) Quamuis hoc etiam mysterium habet, tunc uocandam fuisse ecclesiam. Et quando Christus ascendit in cœlum, tunc emisit spiritum sanctum in discipulos suos, perq; illos ecclesiam pascit & nutriuit. Iterum licebit uidere officium pastorum, quomodo debeant pascere populum. Christus pascit, nihilominus utitur ministerio discipulorum.

Erat autē ppē pascha festiuitas Iudeorū.

Certū est aliquanto tempore à priori ascensu Christi, hoc miraculum contigisse. Christus semper obseruat etiam tempus in faciendis miraculis, quia ipse erat agnus paschalis Iudeorū uerus, quem mactaturi erant in pascha, uel in sabbato ipso quod sabbatum erat sabbatorum.

batorum. Quando summa quies est, Christus suis apparet. Psalmus habet: Vacate & cognoscite quod ego sum Deus, exaltabor in gentibus, exaltabor in terra. Pascha transitum signat. Vbi transferint uetera illa, seruitus ista, qua seruiuimus Aegypto huius mundi, per mare rubrum, id est, per Christum transeamus, facti noui homines.

Itaque Iesus cum sustulisset oculos, & cum uidisset quod multa turba ueniat ad illum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes ut isti comedant? Hoc autem dicebat tentans illum: etenim ipse sciebat quid facturus sit.

Beneficia quæ nobis concedit Deus, non propter nostra merita, sed propter suam largitatem dat, & ex mera gratia. Sustulit nimirum oculos misericordes, uidit in multitudinem populi, & iam fame deficientem, quæ laborauerat etiam longo itinere: ideo tactus affectu misericordie pauit populum istum. Ita omnia diuinae gratiæ danda sunt.

Vnde ememus.) Euangelista ipse excusat dictum domini, quasi diceret: Ne putes quod Christus per ignorantiam quæsierit: sciebat quid esset facturus: tamen interrim rogat discipulum, quot panes habeat. Nam hoc officium uoluit commendare discipulis, pascendi alios.

Deus uult ut ipsi certiores de nobis reddamur, & uires cognoscamus. Quod si ingressi fuerimus in nos ipsos, inueniemus uires nostras nullas esse. Hæc ante omnia, requiruntur in pastoribus, uel qui prædicatorum munere fungi uolunt, ut seipsos agnoscant, an habeant etiam panes, quibus possint populum pascere: non edocti sint in lege domini, & quam doctrinam plebi allaturi sint, &c.

Panes.) Quasi diceret: Ecce uestri muneris erit populum posthac pascere: itaq; scire debebatis, quot panibus opus esset, quibus uelitis illos nutrire. Ita serè accidit ut putemus nostro studio hoc negocium euangelicum uelle & posse perficere: sed impossibile est: nisi dederit incrementum dominus, frustra laboraturi sumus.

Respondit illi Philippus: Non sufficiunt illis ducentorum denariorum panes, ut unusquisq; illorum parum quippiam accipiat.

Videtis quid requirat dominus? Philippus non respicit principio in potentiam & benignitatem Christi, quò tamen illum uult ducere, sed in humanas uires, quibus nihil efficiemus, ut populum hunc pascamus, imò ne unum quidem ex toto illo numero, qui tuæ fidei creditus fuerit, poteris absq; gratia Dei lucrifacere. Nullæ pecuniæ & uires sufficiunt &c.

Andreas unus ex discipulis illius, frater Simonis Petri, dicit illi: Est adulescentulus unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & assata duo.

Ecce Philippus quodammodo humanis uiribus nitēbatur. Andreas dicit adesse puerum adferentem quinque panes. Sic alij confidebant legi naturæ, alij lege Mosaica sperabant se posse pascere populum. Discipulus fatetur posse pascere aliquo modo. Pulchre per puellum illum crassiores significantur. Lex Mosi, id est, illi qui opera legis plurimum prædicant, non adhibentes gratiam & Euangelium Christi, non prædicant illud maximum beneficium. Quid lex prædicat aliud quam ut agnoscamus nos esse peccatores? neque in illa datur consolatio, ut refocillentur pectora nostra.

Sed hæc quid inter tantos?

Id est, neque Moses satisfaciet nobis, si uolueritis intropficere quid dominus signare uoluerit his.

LECTIO XXX.

IN hoc sexto capite discimus, quanta nobis beneficia per Christum concedantur. Nam ipse est qui nos pascit, & consolatur omni consolatione, etiam à malis & periculis liberat. Beneficia ista signantur primo miraculis, deinde doctrina Christi ostenduntur. In primo nanque miraculo legimus, quemadmodum

uenerit ad Christum maxima multitudo: quam cum
 esset per apostolos suos mirabiliter pasturus, primo in-
 terrogauit discipulos, quot adessent panes. Indicatum
 quid per hoc insinuet: ut certi de miraculo essent, deinde
 de quomodo apostoli populum pascere debeant. Do-
 ctrinae enim quae ab humana ratione proficiuntur,
 & à nostro duntaxat studio, seposita diuina gratia, &
 absq; annunciatione Euangelij, non sufficient ad pas-
 scendum populum. Præterea solam legem prædicare,
 non sufficit ad refocillandum animum nostrum, nisi do-
 ctrina Euangelica accedat.

Dixit autem Iesus: Facite ut recum-
 bant homines. Erat autem foenum mul-
 tum in illo loco. Recubuerunt ergo uiri
 illi numero quasi quinquies millia.

Primo iuxta historiam illa sic exacte enumerantur,
 ne suspicio sit de miraculo, & ne quis suspicetur non fu-
 isse tantam multitudinem, ideo locum & omnia enume-
 rat. Datur præceptum discipulis, ut faciant populum dis-
 scumbere. Quantum ad allegoriam attinet, apostoli fa-
 ciunt discumbere, quando poenitentiam prædicant, &
 ad audiendum Euangelium prouocant. Iam non ita super-
 bi & præfractæ mentis erunt. Paulus persecutor cadit.
 Ita illi recumbunt, & humi sedent. Interim licebit ob-
 seruare etiam quid auditoribus opus sit, nempe ut hu-
 militer

milititer de se sentiant. Nunquam enim proficies apud superbos discipulos, qui cum nihil didicerint, tamen se omnia scire arbitrantur. Discipuli sunt humiles, sitiant ueritatem, parent se ad hoc ut possint pasci.

Gramen.) Quantum ad historiam, locus iste ob molliem graminis sessione idoneus erat. Non erat locus lutosus, neque uepribus consitus, sed erat cespes uel thori molliores in granine eo loci. Si spiritualiter pasci uolumus, queramus quantum fieri potest opportunitatem, quietem, & ocium, ita ut à negocijs secularibus non impediamur. Qui adhuc inhaerent loco immundo, opus habent ut abluantur magis, quam ut cibum capiant. Quibus est serena conscientia, hi admodum apti sunt ad audiendum uerbum Dei. Qui absque inuidia, & superbia mentis carent, neque maligno animo accedunt ad audiendum uerbum domini, hi molliiter sedent & bene. Unde dicit, Recubuerunt 5000. Iterum ueritatem miraculi numerus conscriptus declarat. Sed uide tot fuisse chiliades, quot panes: quinque panes, quinque millia hominum. In numeris nescio an hic conueniat multum arguari: alioqui numerus denarius perfectus est. Sed uidemus numerum illum sectum & dimidiatum: quinque enim est dimidium denarij. Maior igitur pars hominum non confluit ad Christum. Interea tamen magna multitudo est quae accedit.

Accipit autem Iesus panes, cumque gra-

tias egisset, tradidit discipulis, discipuli uero his qui recumbebant. Similiter & ex piscibus quantum uolebant.

Christus quidem prior panem accipit in manus. Primus ipse docuit populum, sed uoluit postea per discipulos suos doceri: & non solum per discipulos, sed etiam per alios prædicatores, qui futuri sunt usque ad consummationem seculi. Videmus diuinum ordinem, quem obseruari uult in lucrificandis hominibus. Gratias egit, ut exemplum nobis gratias agendi proponeret. Patri egit gratias, & nobiscum patrem adorat, tanquam homo. Ne igitur ingrati simus: ne putemus quod aliquid ex nobis habeamus. Utitur hoc uerbo etiam in cœna dominica. Ne putes esse quandam consecrationem *ὁλογία*, ut quidam exposuere. Ut hic, ita in cœna. Inde sumptū nomen *ὁχαρῖσις*, quod gratiarum actionem Græcis aperte significat. Gratias tunc agimus Deo propter beneficia, & non solum propter passionem, sed & propter liberationē. Qui alios docturi sunt, sciant se à deo accepisse quicquid donorū habeant, & cum gratiarū actione perpendant. Quod si qui penitius perpendere sua officia, minus intumescerent, cogitarentq; se esse in ministerio dei, et gratias agerent: discipulis enim Deus tanquam organo utitur.

Recumbebant.) Postquam acceperunt à domino panem discipuli, alijs distribuunt. Postquam edocti à Christo,

à Christo, & ipsi interna consolatione refocillati sunt, etiam alios docere & cōsolari possunt. Qui nondū accepto pane à Christo, etiamsi multū uideant ingenijs, & si desit ille seruator, periculum est ne frustra laborent.

(Piscibus.) Non repudiauit panes Christus, qui erant allati: propterea & lex non erit reiicienda, sed cum benedictione Christi populo proponenda. Pascimur bifariam ex lege, nonnunquam crassioribus cibus, nonnunquam deliciarioribus: habet minas & promissiones. Sic neq; pœnas effugiemus, neque præmia assequimur, absq; gratia Christi.

Postquam autem satiati sunt, dicit discipulis suis: Colligite fragmenta quæ abundant, ut ne quid pereat. Itaque collegerunt & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerant ijs qui comederant.

Etiam hoc ueritatem miraculi adstruit, ut discipuli impleant sportas præsentis: quia duodecim discipuli erant, & duodecim cophini sunt, ita ut quilibet discipulorum gestaret unum cophinum repletum panibus. Ne quis putet forsitan, quinque illos panes diminutos in micas paruas, & cuilibet mica data: sed planè panis ille ita creuit, ut nō solum pasti sint liberaliter, sed etiam

Cap. VI ANNOT. IOAN. OECOL.

relictū duodecim cophini, qui testarentur hoc miraculum. Hoc diligenter obseruat Euangelista, ne ullā permittat suspicionem, ne miraculum uerum nō sit. Poterimus etiam confirmare spem nostrā, quod dominus non relinquet nos fame perire: potens est nos pascere, etiam si fuerimus in deserto. Qui olim pauit filios Israel in deserto, Heliam per coruum, & tot millia quotidie, etiam nos pascet. Porrò quantum ad reconditiorem sensum

Quid conattinet, uidetur mihi apostolis etiam curam posteritatis phini cum commendasse, ut conseruarent reliquias, ut non solum panibus si pascerent presentem populum, qui tunc aderat, sed gnificent. etiam eos qui secuturi illos erant: nempe conscriberent nobis euangelia, epistolas, & alia quæ in utilitatem ecclesie cesserunt. Reliquias habemus panum, quibus ecclesia pasci cœpit. Non manifestum præceptum ut scriberent apostoli, sed ut prædicarent, sicuti Marci ultimo. Neq; tamen prohibuit, ne scriberent, sicut quidam temere ausi sunt docere. Non est minus scribere, quam si ore prædices. Bonum est sancta scribere, quemadmodum licet sancta loqui.

Fragmentorū.) Dona Dei quæ nobis concessa sunt, nulla ratione contemptui debent esse: & modis omnibus debemus curare, ut Deus in domo suis magnificetur. Si poterimus fratribus & posteritati cōsulere, caueamus ne inueniatur in nobis socordia.

Illi ergo homines cum uidissent signum

gnum quod fecit Iesus, dicebant: Hic est uere propheta ille qui uenturus est (uel uenit) in mundum.

Hic iterum uidetur officium discipulorum, quid illis deceat, postquam pasti fuerint: nempe ut sint grati, de donis acceptis. Nostra gratiarum actio est, ut laudemus Deum. Ita illi cum uidissent signum, & iam essent sic pasti, dicebant: Vere propheta ille, quasi dicerent: Manifeste ille propheta loquitur, de quo Moses prædixerat, quem scripturæ nobis indicauerunt: iam tempora impleta sunt. Expectauimus enim quando nam ueniat noster redemptor: ecce iam adest. Vere si pasti fuimus cœlesti pane, agnoscemus Christum illum esse, quem Moses & prophætæ dixere, & non solum prophetam, sed etiam uerum redemptorem & saluatorem nostrum. Ille uenit in mundum, ut mundum à peccatis & grauißima seruitute liberaret.

Itaq; Iesus cum nouisset, quod futuri essent & rapturi ipsum, ut facerent ipsum regem. μελλοσιμ.

Non solum fatebantur hi, qui pasti erant, Christum esse prophetam, sed etiam Messiam illum & regem, de quo prophætæ prædixerant. Inde occasionem sumpserunt, ut Christum raperent in regem, eo inuito: nimirum agnoscebant quid prophetiæ de illo prædixisset.

Cap. VI ANNOT. IOAN. OECOL.

Christi duo aduentus. rant, sed regnū Christi non sanè intelligebant. Non uenit Christus in hac pompa regnaturus, ut Solomon & Dauid &c. Scimus duos aduentus Christi, unum in humilitate, alterum in gloria & maiestate. In humilitate, ut apud Esaiam & Zachariam habetis. Cum humilis ueniret, non decebat eum tam terribili comitatu esse stipatum. Regnaturus erat suo spiritu, & adhuc regit suam ecclesiam, dum animos hominum spiritu & uerbo suo inmutat. Iudæi mirum in modum fastidiebant titulum istum, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Et Herodes multum timebat regno suo. Sed non aderat ob id Christus, sed ut mutaret corda hominum. De secundo aduentu, non opus ut aliquid hic dicamus.

Ipse solus iterum secessit in montem.

Non illos reprehendit ob sanctam affectionem & gratitudinem: sed secedit, ut planè cognoscerent ipsum alienum esse ab omni ambitione, neque uenisse in hunc mundum ut sic regnaret. Præterea docuit, ut nos quoque maximopere non solum perniciosissimam illam bestiam uanæ gloriæ fugiamus, & ne queramus in secularibus rebus præesse alijs (relinquamus illis quos deus ad hoc deputauit officium) sed etiam ut omnem uanam gloriam à nobis alienemus, dantes in omnibus gloriam Deo. Quod & Christus hoc loco fecit. Oravit dominum in monte. Et ita postquam seruiuimus proximo, siue docendo illum siue ministrando necessaria, deo
gratias

gratias agamus, & non requiramus laudes nostras.

In montem.) Cœlestia spectemus, terrena relin-
quamus. Addit autem Euangelista quod solus ipse se-
cesserit in montem. Volebat enim sic latere, & postea
discipulos suos ulterius probare. Vnde nunc sequitur
aliud miraculum. Quia didicimus quomodo Christus
nos pascit uerbo & promissionibus suis, uult etiã ultra
nos docere quomodo in medijs periculis nos adiuuet.

Absente enim Christo, necesse est ut tentemur, & pro- Absens chri-
benimur: tamen non abest ita, ut non gratia adsit: & non stus corpo-
minus adest, quàm corpore præsens esset. Discipuli de re, gratia ad-
bebant omnem suam fiduciam habere in Christum, dest.
quem nouerant tam benignum & potentem.

At ubi iam serotinum tempus esset,
discipuli eius descenderunt ad mare, &
ingressi in nauim, uenerunt traiecto ma-
ri ad oppidum Capernaum.

Iterum uidemus hoc loco, quomodo pulchre mira-
culum describitur. Nam discipuli sub uesperam descen-
dunt ad mare in nauim, quia Christus abest ab eis. Vi-
dete quid illud insinuet. Postquam Christus ascendit in
coelum, apostolis incumbabat intrare nauim, & transi-
re mare. Erant enim abituri in totum orbem, & præ-
dicaturi Euangelium. Sed dominus prius uarijs modis
suos probat.

Cap. VI ANNOT. IOAN. OECOL.
LECTIO XXXI.

Didicimus quomodo præsente Christo, omnium bonorum participes fieri possimus: nunc ostendit, quomodo illo absente nunquam non periclitemur, & iterum nos inuisente ab omnibus periculis etiã cum fructu liberemur.

Ingressi.) Quia appetebat uespertinum tempus, & Christus secesserat à discipulis: illi nolentes in desertis locis manere, neque operire Christum, absq; Christi iussu nauigare coeperunt. Sed uideamus quàm infausta sint omnia, quæ citra uerbi Dei auctoritatem facimus. Vnde pericula quædam, quàm quod nos applaudimus nobisipsis? Ita discipuli destituti præceptore Christo, cum potius expectare illum debuissent, in Capernaum uolebant nauigare, quia ibi notos suos habebant. Vnde recte pœnam suæ temeritatis, ut ita dicam, uel consilij, luere debebant. Scitis more Hebræorum lacum mare uocari. Ita lacum istum Tyberiadis, qui primus est, quem Iordanis conficit. Pulchre à Plinio descriptus est lib. 5. ubi Iudæã describit, esse sedecim millia passuum longitudine, 6000. latitudine: unde dicitur mare.

Venerunt.) Id est, ut uenirent: non iam uenerant. Præoccupat, & quid actum sit posteriori loco commemorat.

Et iam tenebræ factæ erant, & Iesus non uenit ad illos.

Vide

Videtur quomodo causam Euangelista assignat, quasi nauigarint: horrebant nocturnas tenebras absq; preceptore.

Mare autem excitabatur uento magno spirante.

Iam cum essent ingresi mare, mox surrexit uentus: sed antequam ingrederentur, mare erat placidum. Ita oportebat agnoscere, quod omnia diuina ordinatione fierent. Interim per mare discamus, quod symbolum est huius mundi, in quo nihil crebrius est fluctibus. Hic duo aduersa habetis, tenebras & tempestatem: quæ multo periculosius contingunt his, qui diuina gratia sunt destituti: ubi principio laborauerint tenebris errorū, & nox ingruerit in mentes eorum, ut non agnoscant diuina, tunc oritur horror: querimus humana præsidia, existimantes nos feliciter habituros, & in media pericula incidimus. Deinde sequitur tempestas, id est, affectio animi, ut uoluntas nostra uarijs modis afficiatur, nunc timore, nunc gaudio, lætitiâq; nunc alijs affectionibus. Absq; dubio ubi spiritus malus inuenerit mentes obtenebratas, illas uexat, & in seruitutem agit. Nam qui seruit peccato, seruus est peccati. Ita cognoscimus quantum malum sit destitui gratia Christi: illi enim qui tales sunt in tenebris agunt, nec læto corde esse possunt: & si gaudent, inepte gaudent, quia omnia indigne gerit homo per se turbulentus.

Cap. VI ANNOT. IOAN. OE COL.

Cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque uel triginta, conspiciunt Iesum ambulantem super mare, & appropinquantem naui, ac timuerunt.

Videtis humano studio nos nihil proficere, ubi diuina gratia destituti fuerimus. Nam quamuis aliquanto tempore remigassent, non ultra promouerant. Erant igitur in summis periculis, & tunc Christus more suo subuenit. Ab utraq; parte procul aberat luttus. Dixi ex historicis quantus sit iste lacus. Alij Genesarenū dicunt, cum sit idem lacus: à uarijs enim ciuitatibus circumiacentibus, uaria sortitur nomina. Ita nunquā suos Deus derelinquit. Quamuis Deus nonnunquā permitat suos cadere, quo postea cautius ambulent in timore Dei, & agnoscant suam fragilitatem, quomodo nihil absq; gratia Dei possint: tamē ubi grauiora pericula incidunt, se iterum Deus illis manifestat. Tres illos in Babel liberauit, cum iam essent proiecti in ignem. Daniele, cum in medio leonum: sicq; Dei beneficentia multo gloriosior apparet. Vnde & Deus auxilium suum differre solet. Eapropter non oportet esse pusillanimis in tribulationibus, cum in tempore opportuno liberet Deus.

Timuerūt.) Videte quid faciunt tenebræ, ubi semel nostrum sensum sequimur, non addicti diuino ministerio. Iam Christum non agnoscunt, putabant phantasma

tasma quoddam nocturnum & terriculamentum esse. Non cogitabant Christi uirtutem, & tot millia paucis panibus esse pastos. Vnde bifariam periclitabatur, corpore & anima. Videamus igitur nunc benignitatem Dei, quæ principio sese ostendit.

Porro ille dicit illis: Ego sum, ne timeatis.

Videtur benignitatem Christi, suos consolatur, ut omnem timorem abijciant. Ego sum, me presente & adiutore nihil periculi imminet. Ego ipse sum, qui antea uobiscum sum conuersatus, qui impero mari tanquam dominus. Quod ambulo siccis pedibus, diuinæ uirtutis est: possum etiam hanc tempestatē sedare. Verum euangelium, ut id nobis polliceamur de Christo: quod si ueri discipuli eius fuerimus, benignitatem eius cognoscemus, quod nolit nobis imprudentiam nostram imputare: quandoquidem se totum nobis dedit, & excusat nos apud patrem. Proinde nulla condemnatio ijs qui insiti sunt Christo.

Voluerunt ergo accipere illum in nauim, & illico nauis appulerat terræ, ad quam ibant.

Quod discipuli dominum recipere uoluerunt iterum in nauim, etiam hoc indicium est parue fidei, quia semper carnalem dominum somniabant, adeo tardi

sunt, cum Christus non opus habeat nauigio &c.

Nauis.) Cum dominus in medio maris illis appareret, & distantia magna usq; ad littus esset, curauit tamen ut breui momento nauis perueniret ad littus. Etiam hoc miraculum ingens est, in quo uidemus Deum cum magna gloria suos liberare: omnis tribulatio cedit pijs in bonum. Fidelis dominus qui non sinit ultra suos tentare quam ferre possunt, ut Paulus inquit. Iam clarius facit miraculum, & pulchre preeparat discipulos ad futurum sermonem, in quo nobis summa beneficia Christi ostenduntur. Videbimus turbam querere Christum, sed pleriq; ex illis non sincero animo subsequerentur.

Postero die turba quæ stabat trans mare, cum uidisset quod nauis alia non fuisset illic, nisi una illa, in quam discipuli illius ingressi sunt, & quod non esset ingressus cum discipulis suis Iesus nauim, sed soli discipuli illius abierant.

Hæc dicta sunt, quo magis commendetur & uerius cognoscatur miraculum. Omnis turba dabat testimonium, Christum absq; nauicula mare transisse: unde ualde admirabantur. Quare hoc dicit, non transierant mare: quia sperabant se inuenturos hoc loco Christum, quia non ingressus erat nauim. Veniunt ad locum ubi Christus pauerit. Vna est nauis discipulorum &c. sed
sinæ

finamus allegoriam incertam.

Aliæ autem naues superuenerunt de Tyberide (ciuitate) prope locū istum ubi comederant panem, postquam gratias egisset dominus.

Signanter addidit dominum egisse gratias, cum ipse benedictione sua multiplicari fecisset panes, tamen gratias patri agit, nobis in exemplum, ne diuinis muneribus ingrati simus.

Itaque quando turba uidit, quod Iesus non esset illic, neque discipuli illius, ingressi sunt & ipsi in naues, & uenerunt Capernaum, quærentes Iesum: & inuenito illo trans mare, dixerunt illi: Magister quando huc uenisti?

Videtur quàm pulchre hoc miraculum approbatur: Nam omnis populus testimonium dat. Coniectabant Christum aliquo modo ad discipulos uenisse: quærentes illum per admirationem dixerunt hoc:

Magister.) Qui participes esse uolunt cælestium doctrinarum, magna diligentia Christum quærent. Porro quod addit interrogasse illos, planè pertinet ad assertionem miraculi. Quamuis Christus illis nihil uideatur respondere ad istam quæstionem, utpote sciens quam ob causam ad illum uenissent: sed dicit eis

quod multo magis conueniebat eos audire.

Respondit illis Iesus, & dixit.

Sæpe admoni Chaldaismum esse, ut dicatur respondere, etiam si quis non interrogatus fuerit, etsi non responderit ad interrogata: ideo ne simus supra modum anxij istis uerbis. Vult dicere: Libere locutus est, & palam dixit eis. Nam & hoc significat respondere in sacris literis.

Vere uere dico uobis, quæritis me, non quod uidistis signa, sed quod comedistis ex panibus & satiati estis.

Miro modo huc adueni, sed non estis hi, qui cupitis mihi dare gloriam: unde non admodum opus est ut uobis respondeam, quando huc uenerim. Certe miro modo huc ueni, diuinitatem meam ostendi. Vos queritis uestram utilitatem, quia comedistis de panibus: estis amantes ocij: si positis alieno pane uiuere absq; laboribus, hoc pergratum uobis esset: hunc morbum inuenio in uobis. Duo præcipua reprehendit Christus: Quando falso queritur cum hypocrisi, & non queritur propter salutem. Id genus hominum licet ubique ferè uidere, qui sola præsentia cogitent, æterna autem bona & coelestia non magnificiunt: quamuis terrena etiam à Christo habeamus, sed illa data sunt nobis quodammodo in uaticum. Vult ut multo maiora quæramus.

mus. Neque hoc quæsiuit ab eis, ut uiderent miracula, sed ut mouerentur per illa, & ipsum agnoscerent ut Deum: sed illi nihil minus cogitabant: licet nonnunquam glorificarint Christum, parua tamen erat glorificatio.

Satiati.) Omnes qui libertatē carnis potius quàm spiritus quærent, non uero, sed ficto corde quærent Christum.

Operemini non cibum illum qui perit, sed illum qui manet in uitam æternam, quem (cibum) filius hominis dabit uobis. Etenim pater illum obsignauit (quis ille pater?) Deus.

Statim ab initio hic distinguit inter duos cibos, externum & internū: cibum temporarium & spirituale. Primo externū cibum, qui in os ingreditur. Ne autem putemus nos felices esse si satiemus stomachū nostrum hoc pane: perit cibus ille. Hodie si manducaueris, cras iterum esuris, & nondum eris beatus. Oro bene aduertatis, dum de cibo dicit qui perit. Putatis Christum solum ab illo cibo nos auellere, & non ab alijs nociuis?

Damus sacramentis etiam honorem, quatenus

res externæ, sed nō cor hominis confortant, ut proxima lectione

audietis.

Disputatio hæc de pane coelesti non admodum difficilis & obscura esset, nisi contentiosi homines illa nõ intricassent. Alij sacramentorum hic institutionem uoluere introducere: alij nihil hic de sacramentis dici uolunt: tamen neutris accedimus. Nam hinc licet multa discere, quæ utilia sunt his, qui scire sacramentorum rationem cupiunt. Ad hæc non habemus hic institutionem uel promissionem sacramentorum, ut quidam arbitrati sunt, qui salutem nostram in elementis constituere. Audiamus quid dominus loquatur, quia sermo non est difficilis, si quis mentem cognoscere uoluerit dictorum. Auocat nos Christus ab omnibus perituris, & cœlestia nobis commendat querenda. Cibus qui perit, querebatur ab illis: erant enim mancipia uentris. Et quia antea satiati à Christo, semelq; inescati, & allekti hisce edulij, querebant Christum, negligentes gratiam, propter quam uenerat Christus. Non ut pasceret corpus uenerat, sed ut aleret mentes. Certum, dominus locutus est de quotidiano cibo, quæ pereuntẽ uocat, sed sub illo licet intelligere alia. Quicquid arripueris & spem posueris in illud, est cibus qui perit, & qui non sustentat perpetuò. Si honores tanti feceris, uel opera, uel quæcũq; magna uidentur in oculis tuis, ut omnem fiduciam in illa ponas, recte cibus qui perit dicitur. Vocat aut nos dominus semp ad summa, id est, ad seipsum.

seipsum. Ipse est panis, qui manet in uitam æternam. Verbum dei quo creat cælum & terram, & quo totus mundus sustentatur, foueturq; si illud cibus noster fuerit, et traherimus in animũ nostrum, tunc poterimus uiuere perpetuò. Ne igitur sequeamur umbras & uanitatem, sed dominum ipsum.

Quem.) Scilicet filius hominis dabit. Alij, ad quã, scilicet uitam referunt

illum.) Scilicet filium hominis. Habuistis supra in 3. cap. appellari Christum filium hominis, propter geminas naturas, quas in una persona complectitur, quia deus & homo. Et una persona utriusque nature idiomatica recipit. Propriũ est dei, dare uitam æternam, & hunc panem. Et quod proprium dei est, hoc loco filio hominis tribuitur, propter adiunctam diuinã naturam uerbi, in humana natura. Nõ est ut arguteris, filius hominis est filius Mariæ: licet uerũ sit: sed tropus Hebraicus: etiam in Ezechiele sæpius, quasi per contemptum filius hominis appellatur. Erat ferè cõtemptibile nomen, appellari hominis filium. Id est, ego quem uos habetis pro solo filio hominis, & pro uulgari aliquo homine, dabo uobis hunc cibum, si illum uolueritis accipere & querere. Infra: Pater dat hunc cibum.

Filius hominis.

Obsignauit.) Quãuis uidear uobis esse homo uulgaris, & nõ habeatis me in tanta dignitate qua habendus sum. Scitote longe me esse aliũ quàm putatis. Deus

proprium suam filium esse declarauit, & segregatum ab alijs dignitate, gloria, potentia, utpote natura filii dei singularibus donis obfignauit, ut iam non comparatur cum cæteris sanctis, qui omnes alios antecellit. Alij, obfignauit spiritu sancto. Hoc quidem uerum est, sed hæc præmissa ratio aptior & clarior. Obfignauit sum ut esset redemptor noster, benefactor & saluator. Patrem nominat. Scimus quomodo selegerit eum in filium. In illo enim & per illum facta est nobis redemptio. Hortatur nos Christus ut relictis omnibus alijs, hoc potissimū cogitemus, ut æternam uitam habeamus, & omnem fiduciam in eum colloceamus. Certum est si illa nobis fuerint persuasa, non salutem quaeremus ab alijs elementis.

Itaq; dixerūt ad illum: Quid facimus, ut operemur opera dei?

Hæc uidentur contemptim & ἐῖρωμικῶς dicta. Iudæi enim sublime de se sentiebant, quasi iam essent sanctificati ex operibus legis. Sensus: Quid audimus de te? affers nobis nouam legē, unde æternā uitam acquiramus? Nōne si perseuerauerimus in lege Mosi, adipiscemur uitam? prescribis ne aliud quiddam, præter ea quæ edocli sumus in lege? &c. Vt quidam sunt qui nihil aliud sectantur, quàm commoda carnis, & crassa, & terrena, mancipia uentris: ita alijs spirituali sum
perbia

perbia abducuntur, qui fiduciam ponunt in uiribus, uel operibus suis. Istorum etiam morbo medetur nunc Christus. Ut mundanis istis iam dicto sermone remedium dedit, ita nunc quoque his, qui operibus suis nimium fidunt, consulit admodum fideliter, & superbis istis Phariseorum uerbis humiliter respondet pro mansuetudine sua Christus.

Respondit Iesus & dixit illis: Hoc est opus dei, ut credatis in illum, quem misit ille.

Quandoquidem gloriamini de operibus, et putatis uos implere opera dei, quæ uobis præcepta sunt: unum præcipuum opus est, quod potissimum à uobis requirit deus, ut fiduciam in illum, quem misit ille ponatis. Si legatum promissum per Moysen contemnitis, frustra facietis omnia alia opera. Ita indicat iustitiam non esse sitam in operibus legis, si quis absque fide illa operetur. Hoc autem dicit esse opus dei, quod uere deus operatur in nobis. Id est: Videte ut habeatis omnem fiduciam uestram in me. Ita planè ponit quid sit operari cibum, qui manet in uita æternam. Adeo ubique huc tendit scriptura, ut ex fide sciamus nos uitam habere. Fidem proprie non dicimus esse opus, quod nos operamur: sed spiritus sancti operatio est, & tractus ipse patris, illustratioque. Cum placet nobis filius Dei, fiducia illa non relinquet nos ociosos.

Ita respōdet ijs qui gloriabantur in suis operibus, quod seruarent sabbatum, darent decimas & c. Hoc possu-
mus etiam nostræ ætatis hominibus obijcere, qui addi-
ti suis operibus sunt, fiduciam non in solum Christum
ponentes. Omnia opera nostra sicut pannus mensrua-
tæ multeris. Serui inutiles sumus, ut in Luca patet.

Dixerunt ergo illi: Quod igitur tu fa-
cis signum, ut uideamus & credamus
tibi: quid operaris? Patres nostri come-
derunt manna in deserto, sicut est scri-
ptum: Panē de cœlo dedit illis ad man-
ducandum.

Pulchre dialogus ille iterum proponit nobis cr. as-
sos & rudes illos discipulos, quo ueritas magis inno-
scat: tamen si ingratitude & malitia Iudæorum satis ap-
pareat. Etiam hæc quoq; per irrisionem dicere uiden-
tur. Nam carnalibus istis uerba cœlestis sapientiæ stul-
tissima esse uidentur.

Facis.) Quasi dicant: Nouam doctrinam affers:
Non sumus tantæ leuitatis, ut statim cuiusquam doctri-
nam recipiamus sine iudicio: necesse est ut antea probe
mus eitamnum talis ex deo sit: ideo cupimus certiores
reddi, an habeas aliquod mandatum ex deo, ut nouam
doctrinam apponas. (An non antea signa fecerat? Ges-
neratio praua & c.) Vis credamus tibi & toti à te pen-
deamus,

de. anus : quid facis ? Parum illis erat audire uerba uitæ
 æternæ : respiciebant potius ad libertatem carnis, &
 inde uolebant maiestatem Christi probare &c.

Patres.) Etiam si tu nos paueris ad unū diem, opus
 tuum non erit conferendum cum illo opere quod fecit
 Moses, qui quadraginta annis nos pauit, liberauit à ser-
 uitate, reduxit in terram promissionis. Et in Psal. 77.
 dicitur : Panem angelorum manducauit homo : id est
 cœlestem, quia in nubibus erat formatus. Verum illum
 cœlestem panem non manducabant omnes, de quo hic
 Christus loquitur, sed illi erant sectatores ocij, ut uiue-
 rent absq; labore. Pleriq; etiam hodie talia nobis obij-
 ciunt. Volunt dicere illi : Si faceres signum ut Moses,
 tunc nos essemus tibi subiecti.

Dixit ergo illis Iesus: Vere uere dico
 uobis, non Moses dedit uobis panē il-
 lum ex cœlo, sed pater meus dat uobis
 panem ex cœlo uerum (uel uere.) Etenim
 panis dei est, qui descēdit de cœlo, & ui-
 tam dat mundo. Dixerūt ergo ad eum:
 Domine semper da nobis panē istum.

Tametsi isti non merebantur tantam domini lenita-
 tem, nihilominus blande instruat eos, in uilitatem etiā
 nostram. Dicit: Gloriamini multū de pane quem dedit
 Moses: non dedit ille, sed pater meus. Moses non po-
 tuisset deducere manna, nisi paterna beneuolentia. Sed

ut nunc uiuatis lex Mosi non concedit: id est, quatenus
 pendetis adhuc in lege non cognito Christo. Dat, in
 presenti dicit. Adest nunc alius qui longe maiora facit
 quam olim Moses fecit, qui longe sublimius docet, &
 delicatius pascit. Antea dixit filius hominis: nunc pa-
 ter: ut uideatis eum omnino esse eiusdem potestatis cū
 patre, nam quæ patri ascribit, & sibi ascribit. Hoc non
 oportet ignorare, quod panis in scriptura significat
 omnem cibum, unde sustentationem homines recipiūt.
 Ita etiam non oportebat imaginari uel triticeū uel simi-
 lagineum, sed uim illam sustentatiuam, unde sustentamur,
 ut perpetuò possimus uiuere. Quis est autem nisi
 si filius dei, per quem creati sunt coeli? Si igitur illum sus-
 ceperimus, uerum panem suscipimus, qui uere nos pas-
 cit: quoniam uerbum illud, et æterna sapientia coniun-
 cta est humanitati Christi, & uidemus in ipsa humani-
 tate dei beneuolentiam. Ita carnem accepit ut spiritum
 suum nobis communicaret: cuius spiritus si participes
 fuerimus, utique incorporamur tunc Christo, & eris-
 mus unum cum Christo, & tunc pascemur in uitā eter-
 nam. Ille spiritus qui suscitauit Christum, ille suscita-
 bit & nos. Oremus interno uero corde, ut deus se nos
 bis communicet.

LECTIO XXXIII.

Quod antea dominus miraculis insinuarat, sese
 discipulis suis futurum autorem omnium bonorum

norum, id nunc in hac disputatione satis aperte ostendit, dicens se esse panem illum uitæ, se esse sustentatorē omnium, & à se bona omnia expectanda. Cum igitur per contemptum & risum dicerent, Domine da nobis panem istum: quasi de pane illo iam gustassent, quæ tamen nondum gustarant: intelligebant de pane quæ priori die acceperant. Sicut mulier Samaritana petebat aquam, cum esset adhuc rudior, ne ueniret ad hauriendum: ita illi. Christus tamen manifeste distinxerat panem illum qui daret uitā toti mundo ab alio pane, nihilominus benignus dominus adhuc consulit eorum infirmitati, & rem clarius declarat.

Iesus autem dixit illis: Ego sum panis ille uitæ. Qui uenit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam.

Satis clare erant uerba ista dicta, si habuissent illi aures audiendi: tamen si satis intelligebant aliquid sublimius commendari: sed cum minus de Christo sentiebāt, non capaces huius dicti erant. Certe quotquot diuinæ gratiæ participes sunt, non aliunde quàm per Christū pascuntur. Nos pascimur gratia, per fidem scilicet, si Christum accesserimus. Non est ut obijciatis Mosem, uel alium ex prophetis: neque est quare alium Messiam expectetis in futuris seculis: ego sum ille à quo uestra uita tota pendet. Hoc satis planum est cuilibet

Cap. VI ANNOT. IOAN. OECOL.

intelligere uolenti, & confitenti, quod Christus deus et homo. Quia deus est, ideo potens est nos uiuificare.

Qui uenit.) Venire ad Christū, idem est quod postea dixit, credere. Hoc commodi secum adfert, ne unquam sities: id est, satiabitur homo, & sciet sibi deum amicum, & nullo destituendū bono. Cum scimus Christum nostrum esse & nobis datum, scimus omnia cum Christo nobis esse concessa. Et ita poterit animus nosster, qui alioqui inexplebilis est, satiari. Diuitie non ex plent, neq; longa uita: sed sola gratia dei, quando scimus deum nostrum esse proprium. Hoc cui persuasum est, is nequaquam somniabit externam quandam saturitatem ab externo cibo. Nunc scimus, ut ex posteriori Symbola te bus licet coniectare, quod perceptio mysteriorum per stes sunt. se non satiat, nisi antea homo satur sit: solum attestatur symbolis illud desiderium.

Qui credit.) Non requirit aliud poculum. Venis per fidem ad dominum, quasi diceret: Si cibum quaerere, nempe gloriam dei, quam per me possitis inuenire, iam satisfactū esset desiderio uestro. Sed alij cibum corporis quaeritis, alij in opera confiditis: ita nunquam perfecte erudimini: semper in uobis manet magna imperfectio. Et bene obseruate fidei uirtutem, quantum fides possit, & quomodo omnia bona secum adferat. Qui autem haeret, iam illud, iam aliud amplectitur, et nunquam uere credit. Quisquis crediderit, huic iam sa
tis

satisfactū est. Quod si in ulla aliare q̄ in Christo quesieris salutem, uel remissionem peccatorū, uel gratiā, nō est tibi satisfactum. Si credidisti, iam tuus est Christus. Hic posset quis occurrere: Ideo fideles nō poterint peccare, et iam habent perfectam beatitudinem? Hoc non licet inde colligere. Nam dum perseuerant in fide, utique tales sunt. Tamen si uerum est, fides eorū, qui uere crediderūt, non omnino extinguetur: qui in libro uitę inscripti sunt, eorum semen erit perpetuum: etiamsi ceciderint, tamen dominus restituet illis semen & resuscitabit illos, ut in Petro accidit. Neesse est ut fateamur credidisse illum, & peccasse. Seminarium fuit in eo fidei. Sic homo peccator, ubi primum inceperit respiscere, et recurrerit ad Christum suum, is inuenit oportuna remedia. Sed illa non debent nos facere negligentiores, quia filij dei tanto magis ambulabunt in timore domini, quāto magis uoluntatē domini norunt, ne in illa peccata ueniant, ut Christum persequantur in suis membris, & mortaliter peccent. Nam reliquit dominus in nobis quandam imperfectionē, ut caro repugnet spiritui: et ita quādiu uiuimus in hoc corpore, semper erit nobis militandum.

Remissio
 peccatorū
 ubi quesieris
 rendat.

Sed dixi uobis, quia & uidistis me & non creditis. Omne quod dat mihi pater uenit ad me, & eum qui uenit ad me minime eijciam foras.

Sermonem nunc retorquet in irrisores illos: Vos uide-
distis me, & opera quæ deus operatus est per me: uidi-
stis me diuina operantem, & nihilominus non credidistis:
quantum attinet ad prædicationem uerbi, iam nihil est prætermis-
sum, et tamen uos non creditis. Graue certe hoc est & horrendum uobis.

Pater.) Certum est uos esse ex adultera progenie, neque esse uos filios lucis: quia omnis quem pater elegit ad uitam, & scriptus in librum uitæ, is ueniet ad me, isq; credet: ubi hanc uirtutem meam intellexerit & audierit, non auertet faciem suam, dabitq; fidem dictis meis. Ita fides indicium filiorum dei est. Illis loquimur qui iam præditi sunt ratione. Si quis uenerit ad me, quem pater dederit, operabor etiam mira per illum: uacuum non dimittam à me, qui fideliter crediderit. Seruabo illos non solum in hac uita, sed in alia. Videte igitur quò tendant uestra ludibria, & sanne: habetis me adhuc pro uili homine, quasi non sum alius quam uos &c. Cuius meriti sunt electi: nullius nisi dignitate filij: eorum benignitas filij est, ut suum spiritum communicet his, qui sibi à patre dati sunt, sicq; per spiritum filij fatientur in cordibus suis, ut clament, abba pater. Ea igitur charitate erga patrem coelestem, & ea gratitudine beati sunt & apud regno coelesti.

Quia descendi de coelo, non ut faciam

uolum

uoluntatem meam, sed uoluntatē eius qui me misit. Hæc est autē uoluntas patris eius qui me misit, ut omne quod dedit mihi non quid perdā ex illo, sed resuscitem illud in ultima die.

Duo dixerat: Primo, beneficio patris ad se uenire omnes, quos pater dederat. Secūdo, neminē foras eijcere. Illam suam & patris benignitatem per hoc quod dicit, declarat, sibi eandem uoluntatē patris esse, ut eos quos prædestinauit, uelit glorificare. In hoc etiam patri obediens fuit. Quemadmodum pater hoc ab æterno præuidit, ita filius paratus illud adimplere, hocq; perficit in plenitudine dierum.

Voluntatem eius qui me misit.) Ne quis posset suspicari quod se ceter meam gloriam, uel commodum carnis queram, uel ut agam in delicijs: uoluntatem patris perficio: quia una est nobis uoluntas, ut saluemus filios lucis: ob id factus sum homo, natus in mūdum &c. Sic & alibi dicit se querere gloriam Dei. Quomodo dat nobis uitam? quomodo impetrauit? nisi summa obedientia: tradidit enim se in mortem crucis. Nullus prædestinatorum perit: nam de his loquitur. Prædestinati credent, ut postea. Adeo uiuificus sum, non solum non perire sinam, sed resuscitabo, & in die ultimo dabo uitam omni carni.

Hæc autem est uoluntas eius qui me misit, ut omnis qui uidet filium, & credit in illum, habeat uitam æternam, & resuscitem illum ego in ultimo die.

Hæc est ratio nostræ salutis. Primo omnium præcedit prædestinatio, deinde cruce & merito Christi constituta est nostra salus. Sed deniq; requiritur à nobis ut credamus & fiduciã habeamus in filiũ, demusq; illi gloriam. Pater uoluit etiã eum exaltare, ut haberet æqualem secum honorem. quasi diceret: Pater uult non ut perpetuò sim exinanitus: neq; est hæc uoluntas patris cum me obedienter gero &c. In hoc constituit salutem mortalium, ut isti habeant uitam æternam, qui cognouerunt filium, scilicet esse redemptorem & panẽ celestem. Videtis quæ sint mysteria nostra, quo compendio omnia perstricta sint. Si illa persuasa essent, non diuerteremus ad aliena dogmata.

Murmurabant itaq; Iudæi de illo qd dixisset, ego sum panis ille, qui descendi ex cœlo. Et dicebant: Nonne hic est Iesus filius Ioseph, cuius patrẽ & matrem nos scimus? Proinde quomodo dicit ille descendi ex cœlo?

Semper in turba sunt uaria iudicia, scismata et murmura. Multiceps bestia uulgus: tot sensus ferè quot capita,

pita. Certissimum est fuisse multos in hac multitudine,
 qui bene uolebant Christo, et qui applaudebāt ad hanc
 doctrinam, neq; contradicere poterant ad tanta mira-
 cula. Interim rudes & ingrati, pleni inuidia, qui nihil
 perpendebant secum, quam quod oculis obijciebatur.
 Murmur itaq; ortum inter eos: quia postea dicit, Nolite
 murmurare &c. Duplex murmur: quidam dissidebāt,
 quidam fouebant murmur intestinum, nempe hi qui in
 cordibus murmurabāt, ut Iudas, de quo postea: & alij.
 Nunc sermo de multitudine. Alij bene, alij male de
 Christo, eo quod dixisset Ego sum panis, loquebantur.
 Nihil sublimius præter carnē Christi secū cogitabant.
 Immensa beneficia Christi non expendebant. Erat per
 suasa uulgi opinio Ioseph patrem esse Christi, cum so-
 lum custos Mariæ esset. Verū autem eius patrem coele-
 stem minime noscebant, sicut in 5. cap. dictū est. Totus
 error illorū in hoc erat, ne permitterent Christum uerū
 esse filium dei. quasi dicerent: Ecce ipse dicit se descen-
 disse de cælo: nos scimus quod natus sit Ioseph, & ipse
 gloriatur de cælesti natiuitate. Ita adhuc crassi sunt. Sic
 certum, qui non fatentur Christum esse uerum deum
 & hominem, illi abnegarunt omnem fidem, illiq; nun-
 quam uere communicabunt.

Respōdit ergo Iesus, & dixit illis: Ne
 murmuretis unus aduersus aliū. Nul-
 lus poterit uenire ad me, nisi pater qui

misit me traxerit illum, & ego suscitabo illum in ultimo die. Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docti à deo.

Inuidiæ in-
commoda.

Pacificus est Christus, & princeps pacis, abominaturq; discordiam & dissidium. Ideo ut melius doceat, conatur eos componere ut cessent à murmure. *Quantu diu locum inuenit inuidia, et dominatur in homine tam inquietus spiritus, nõ erit locus ueritati cognoscendæ.* Hoc certe filij dei agnoscent sibi esse dictum, ut à contentionibus libenter desistant: non tamen ut aliquid decedat diuinæ gloriæ: sciunt enim modum quatenus liceat respondere & contendere.

Ne murmuretis.) Prima causa est deus ipse omnium. Quod aliqui ad me ueniunt, hoc diuino munere habent, neq; imputetis alijs rebus id accidere. Nemo nisi per gratiã dei me accedet, etiamsi audierit sexcenties per Christũ contigisse salutẽ. Sed illi obturant corda, quia non sunt filij lucis. Hæc necesse est ut ad prædestinationem exponas contra liberũ arbitrium, quasi liceret accedere Christum sequestrata gratia: necessum est diuino munere id contingat.

Trahat.) Est benignus tractus patris. Quare illum pater trahat, et alium minime, non cognosces. Pij auditis beneficijs Christi immutantur, & sciunt deum non esse fallacem. Qui ita tractus, illũ suscitabo. Cuius affectus

affectus innouati, illi erunt docti à deo.

LECTIO XXXIII.

Christus saluator noster in disputationibus suis magis gloriam patris defendere, quàm aliorum ruditatem confutare studet: promptior est ad nos excusandos, quàm ad accusandos. Vnde cum quidam ex Iudæis blasphemarent Christum, dicentes eum solum filium Ioseph, et scire eius patrem &c. à murmure coërcuit auditores, & ostendit hanc grãtiam non nisi diuinitus hominibus concedi, ut quis Christum uere agnoscat deum & hominem.

Nullus.) Hęc mens est Christi: Id mysteriũ nemo cognoscet, nisi pater reuelante. Venire ad Christũ, est credere. Qui autẽ credituri sunt in illum: illi qui beneuolentiam patris agnouerint, quod pater filium propter salutem nostrã miserit: sicq; cognita illa beneuolentia trahuntur. Vt agnus herbæ uisæ amœnitate trahitur quodãmodo, ita beneficia patris quæ in Christo exhibentur, si ante oculos mentis proponuntur, trahunt. Nihil ita efficax ad conciliandũ in nobis amorem dei uel fidem, ut cognitio exhibiti Christi. Porro ut hoc beneficium agnoscamus, necesse ut pater reuelet. Caro et sanguis non manifestant, sed pater in coelis: quia sequentia satis indicant mentem esse uerborum illorum, & de dono fidei loqui. Opera trinitatis indiuisa sunt, &c. Hoc minime facit homines licetiosos, qui absque omni

freno sint peccaturi, si agnoscant hanc bonitatem non aliunde proficisci quàm à deo. Pater est qui nos ad filiū trahit. Iam si quis libertatem arbitrij uelit contendere in nobis esse sitā, is planè præiudicabit diuinæ gloriæ, hac sua disputatione. Certum tamen est, in homine esse uoluntatem, in alijs rebus aliquo modo liberam. Non dico in totum liberam, nisi deus dederit. Sed in his quæ sunt gratiæ, omnia ita pendet à deo, ut sit planè impiū hoc nobis ascribere. Vnde ualde claris uerbis loquitur **N V L L V S**, per quod neminem excipit. Nihil ibi est uirium, ut homo ad me ueniat, cum uiderit crucem, flagella, & despectum Christi. Haud mirum si nihil sublimius sentiamus de Christo, si non fuerit ille à patre reuelatus. Si autem pater manifestat, tunc uenitur ad Christum. Christus quidem omnes suscitatur, bonos et impios: sed impij licet reuiuiscant in carne, tamen non ad gloriam: & uita eorum tam misera erit, ut satius illos mori & nunquam natos esse, quàm sic separari à deo.

In Prophetis.) Habemus id apud uarios prophetas: unde non de uno loquitur. Esa. 11. dicit: Repleta est terra. Item 44. Erunt omnes docti. Hiere. 31. Non docebit unusquisq; proximum suum &c. Quid aliud est quàm doceri à Deo? Ita Iohel: De spiritu meo effundam super omnem carnem. Hæc est doctrina dei, quando cor recte persuadetur, de his quæ Dei sunt, & quæ nostræ salutis. Propterea non reijcitur apostolicum misterium.

mysterium. Nam omnes fideles fatebuntur Christū esse redemptorem: hocq; scribetur in pectora eorum, ut uerbum dei locum habeat: ideo etiam hæc superioribus coherent. Non est ut si quis donum habeat scientiæ, ut possit omnia loca scripturæ enarrare. Omnibus concessum est ut deum ament, sed ut propterea omnē scripturam possint enarrare, non est. Singulare donum illud est spiritus sancti, qui distribuit prout uult.

Omnis itaq; qui audierit à patre & didicerit, ueniet ad me.

Videte quàm aperte uerba sua interpretetur Christus. Quid est uenire ad me? Est audire à patre & discere. Hoc igitur quod antea dixerat trahi, nunc uocat docibilem esse, ut quis audiat & discat à patre. Quisquis sortitus fuerit internum doctorem spiritum sanctum, is planè ueniet ad me, quia nouit me panem esse uitæ.

Non quod quis uiderit patrē, nisi (filius) qui est à deo, hic uidit patrem,

Refellit stultam Iudæorum imaginationē, qui corporeo modo de deo loquebatur: & sic audire deū ut olim uisus in monte Sinai in specie sensibili, in forma ignis, uolebant. Dicit igitur: Ne talia cogitetis: qui à deo illustratur, hic uidet patrē: et qui non illustratur, uidet patrē minime. Qui est inter filios dei, ille uidebit patrē aliquo modo: non ut patrē quis uiderit, nisi per

Videre patrē.

filiū agnouerit. Quomodo dicemus patrē cui non est filius? & quomodo filius, cui non est pater? Patrem in sua natura nemo perfecte nouit, solus filius perfecte. Primo hoc nobis contigit, ut agnoscamus patrem, quia præordinati sumus in numerū filiorū dei, deinde filius de spiritu suo nobis cōmunicauit. Sed tunc cognosceamus patrem, si et filium cognouerimus, & immensam bonitatem quam in filio experti sumus. In summa, hæc mysteria, Christum illum esse redemptorē nostrū, nulla humana mens capiet, quæ non diuinitus illustratur.

Vere uere dico uobis, qui credit in me habet uitam æternam. Ego sum panis ille uitæ.

Itaq; cōfirmo sermonem meum. Prius, Qui uenit: nunc, qui credit, dixit: & in eandē sententiam ea tene-
dunt: certus est de æterna uita et de beneuolētia patris.

Ego.) Indicaui per panē intelligi, quicquid susten-
tat, confirmat & pascit. Ita uirtus dei, per quam totus
mundus subsistit, etiam in Christo est: quandoquidem
uerbum à carne Christi nunquam fuit separatū. Vnde
recte dicitur panis uitæ. Reducatis nunc posteriora ad
principium sermonis: quia antea audistis, Operemini
cibum &c. Vestrum fuerit, dicit Christus, in me cre-
dere. Iam non indigetis istarum terrenarum rerū, qua
breui periturae sunt, & nunquā beatos reddunt, quin
potius

potius conuertite ad me ipsum, ego ero panis uitæ uobis. Et ideo respondet eis, quia gloriati sunt in patribus suis, qd' panem de cælo accepissent, ut supra: Patres nostri comederunt &c. Huic igitur obiectioni nunc uberius respondit, & ponit discrimen inter panem quem illi manducauerunt in deserto, & inter cælestem panem, qui ipse est.

Patres uestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis ille de cælo descendens, ut quisquis comedat ex illo, non moriatur. Ego sum panis uiuificus, qui de cælo descendi. Si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternum.

Ita distinguit inter manna: quia manna non absque diuino dono concessum est patribus: sed illud nemini concesserat æternam uitam. Qui hodie comedebant, solum uno die pascebantur, & sequenti die iterum colligere cogebantur. Vult dicere, externus ille cibus non potuit illis æternam uitam concedere. Nam si patres tunc haberent ueram fidem in Christum, quemadmodum Moses credidit in uenturum Christum, uitam habuere. Deus est uiuorum deus, non mortuorum. Non propter cibum externum, sed propter fidem in Christum: ille enim panis conseruat omnes: & eadem fide, qua nos saluamur, saluati sunt. Dicit: Patres uestri, qui solum manna comederunt, et solum ad æternum manna respexerunt &c. ille autem panis ex cælo est: kōge

alia utilitas hic habetur. Hic solent ea quæ Christo ipsi competunt, potissimum quidam etiam elementis attribuerè, quod planè fidei Christianæ indignum est, ut credamus, qui sacramentis aluntur, habere uitam æternā. Non huc spectant uerba Christi. Sed Christus creditus esse redemptor humani generis, si hoc credideris, etiam absq; symbolo saluus eris. Ex Christo uitā habemus, non ut hoc sacramentis tribuamus, uel pani: quia plerosq; uidemus participes panis, tamen non uiuunt, quia alieni sunt à fide. Certum est uita non continget nisi ijs qui filij sunt Abrahæ fide. Christianus non curat amplius panem, si accedit ad mensam, sed toto animo intentus est in Christum, & illi gratias agit: neq; salus in pane, sed in Christo. Ita ponit hic discrimen: Nam qui uere agnoscunt Christum, illi sciunt Christum esse panem. E cælo descendit, factus est seruus, sacrificiū, mortuus pro nobis. Qui comederit ex illo, non peribit &c. *Viuisicus panis est Christus, nō sicut nos uiuimus, sed etiam alijs uitam dat &c.*

Et panis quē ego daturus sum, caro mea est, quā ego dabo pro uita mundi.

Exponit quomodo uitam habituri simus ex illo: quia ipse pro nobis satisfecit in cruce, & concedit etiā se nobis communicato spiritu.

Caro.) Quando dat. Bis dicitur dabo. Ibi quidam colligere uolunt factam promissionem cœnæ: sed nihil
hic

hic talium meminit Christus. Sententia, panis quē daturus sum uobis, est caro mea &c. Secundum dabo, ad immolationem crucis pertinet. Quando Christus dat suam carnem nobis? quando sumus participes spiritus illius, ita ut credamus Christum esse filium dei. Videte quo modo factus nostræ carnis particeps: quia noster frater est, quia humanam carnem assumpsit. Ita si nos de spiritu eius acceperimus, iam nos illius carnis participes erimus. Et dato spiritu, tunc certe poterimus nobis polliceri per Christum resurrectionem: unde hoc in sanctis illis symbolis pollicemur. Ita igitur accipite. Cum dicit carnem, nō separat diuinitatem à carne, sed quia illi abhorrebant ab humanitate, recte dicit, Caro mea: quia in carne erat satisfaciendum pro nobis: unde nunquā potuissimus diuinum beneficium agnoscere, si Christus non factus fuisset caro. Id est, tunc cognoscetis me uere redemptorem, si licebit cognoscere uerbum crucis. Multi arguantur dicentes: Dabo semel in cruce, & dabo in mensa. Cūr non potius ad illam dationē respiciunt, ad quam dominus ubiq; respicit, quod dicit se dare panem &c.

Igitur Iudæi pugnabāt inter se, dicentes: Quomodo potest hic nobis dare comedere carnem?

Illi adhuc manent in suo crasso sensu: arbitrantur

Cap. VI ANNOT. IOAN. OECOL.

Comedere
carnem. ad Christū, est credere. Ita spiritualiter comedere carnem, est recipere per fidem filiū hominis. Hæc signanter uoluit sic loqui Christus, ut cognoscamus carnem longe aliter à uerbo diuino esse assumptā, quā carnē prophetarum. Non accepimus prophetas, quasi salus ab illis pendeat. Christus non solum templum diuinitatis, sed pater illū signauit, & omnia plene in eo &c.

Bohemi. Bohemi olim cum uellent in hoc concilio usum coenæ contra abusum asserere, quod laicis altera species non sit deneganda, usi sunt hoc testimonio: Nisi ederitis &c. quod utrunq; hoc loco ponatur. Cæterum parum apposite sunt hoc testimonio usi, & nihil pro illis faciebat: neque unam uel utranq; possumus hic uendicare, nam non hic loquitur de symbolis. Rectius egissent si ab institutione argumentati essent: iussit Christus, omnes ut biberent &c. Propterea etiam ueteres quidā ita mordicus literam sectati fuerunt, ut etiam putarint pueris opus esse cōmunionem: & etiam ipsi usi hoc dicto, ut tempore Cypriani & aliorum qui ante eum (de aliquibus loquor) in usu fuit. Communicarunt etiam illi pueros, putantes dominum sic urgere externā communionem. Sed certum est dominum non fuisse locutum de illis symbolis. Cæterum in institutione satis indicat Paulus, quā recte soli isti participes fiant, qui possint iudicare corpus domini: tamen si propter hunc errorem nequaquā ueteres damnauerimus: absq; dubio sine per
tinacia

tinacia fecere. Vos igitur synceram mentem tenete istorum uerborum. Nam nisi participes fuerimus spiritus Christi, utiq; nostra salus non subsistet. quasi diceret, Salus uestra à me pendet: etiã si de sanguine loquatur. Carnem reijcere, est Christum reijcere. Ita uerbũ, quia neq; uerbũ ab humanitate separatur uel diuiditur. Igitur qui Christum respuunt, illi uitam respuunt: qui autem per fidem Christũ recipiunt, illi ipsi carnis & sanguinis Christi participes sunt. Certum est Christum loqui in presenti, & cum nondum instituta essent symbola cœnæ: tamen eo tempore, quo istis loquebatur, tenebantur edere carnem filij hominis. Quod certissimum est non de symbolis illa esse dicta. Nisi me receperitis, cibum illum cœlestem, nequaquam habetis iam uitam in uobis. Certi sumus uitã totius mundi pendere à Christo, maxime autem uitam spiritualem. Si in gratia agere uoluerimus, non aliunde habemus quàm per filium accepto spiritu illius. Caro illa, sanguis meus, id est, illa mea humanitas uobis est admodũ cõtemp̃ta: nisi cesauerit uobis esse contemptibilis, nequaquam uitã habebitis. Quia si Christum agnouissent ut filiũ dei, iam habuissent uitã. Scitis hunc morem huius Euangelistæ ut rem bifariã soleat affirmare necessariam, primo per affirmationem, deinde per inficiationem contrarij.

Qui manducat meã carnem, & bibit meum sanguinem, habet uitã eternam.

Cap. VI ANNOT. IOAN. OECOL.

Proponi solet $\mu\sigma$, id est meum, & non alterius sanguinem: hanc emphasim habent ista pronomina $\mu\sigma$ et $\sigma\sigma$. Quod bene cōuenit huic loco, ut inde maior Christi dignitas & præcellentia humanitatis ipsius nobis commendetur.

Qui ederit.) Non eo modo quo caro editur. Iam certum non aliunde nobis uitam dari quam à spiritu, quia spiritus uiuificat. Et ita quidem nunc participes sumus uitæ æternæ, accepto seminario: & ille spiritus deinde suscitabit &c.

Et ego suscitabo illum in ultimo die.

Quomodo? per spiritum suum, Roma. 8. suscitabit nostra mortalia corpora &c.

Etenim caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus.

Iterū adfirmat quod dixit: Caro potest suscitare et uiuificare. Ego sum panis uitæ. Quare ita loquitur: ut scias carnē non esse contemptibilem. Si uulgaris esset caro, nequaquam cibus: sed quia uerbum & diuinitas habitat in ista carne, & per diuinitatem omnia sustentantur. Ita Christus uenit ut nos saluaret, & ut renasceremur per illū. Ita illa caro, quæ pro nobis est oblata, quatenus fide manducatur, eatenus est nobis cibus. Nā licet Christus sit saluator mūdi, tamē nisi fide recipiatur nō pascit, neq; iudeos, neq; paganos, ob penuriā sē dei &c. Hic $\mu\sigma$ postponitur, sed nō est contrariū huic quod iam dixi.

Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo.

Vis scire fructū huius meae manducationis, & qui sint q̄ carnē meā māducent, hoc modo quo ego loquor? Quis manet in Christo? quis unitur? Per fidē utiq; manemus et unimur Christo, ut infrā in cap. 15. de palmis tibus qui insiti sunt uiti. Id est, in illis ego uicissim etiam operor: quia si manemus fide in Christo, iam Christus operatur in nobis per dilectionē. Cibus externus cōfortat hominem, ut possit operari. Ita si Christo adhæserimus, manemus in illo. Auellimur à deo ubi fidē amiserimus, abscidimur etiā à capite Christo. Qui igitur sicut in uite uera, manserint in Christo, & Christus in illis, eam habent fidem, quæ operatur per charitatem, ut in epistola Cor. habemus: Queritis experimentum eius qui in me loquitur Christi? Christus manet in aliquo, quando opera illius operatur. Si quis seipsum castigat & mortificat membra quæ super terrā, sitq; homo nouus, nimirū illud per spiritū Christi facit. Quomodo possumus dicere Christum esse in illis, in quibus Satan dominatur? Vis scire mentem illorum dictorum? Si qui manserint in me & receperint, utpote saluatorem, illi salui fient. Qui per fidem non incorporantur Christo, illi non manent &c. Latius illa sic declarat.

Quemadmodum misit me uiuens

pater, & ego uiuo propter patrē. Et qui manducat me, & ille uiuet propter me.

Vos putatis me esse hominem. Ego propter unitam diuinitatē tantus sum & uiuificus. Ita illi qui manent in me, manducāt carnem, & per meipsum uiuēt. Cauete à fermento Arianorum propter hoc dictū, *Uiuo propter patrem: quasi pater maior sit filio, & filius minor: hoc planē esset omnem mentem Christi excludere: sed Christus dū de sua humanitate loquitur, quia uerbum habitat in Christo, uerum erat uerbum cum carne una persona. Recte dicit, propter patrē. Pater non unitus carni, sed patris iussu filius humanam carnem accepit. Non propterea uult indicare quod Christus minor sit. Attendat quis potius cum quibus hic loquatur. Si quis admiretur, quo modo fieri hoc potest, attendamus potius carni illi adiunctam diuinitatem, et spiritū esse uiuificum. Scimus quid egerit filius, quā se humiliauerit propter nos. Sicut Christus obediēs patri, ita & is qui fide adhæserit Christo, humilis erit & charitate flagrabit. Nunc colligit:*

Hic est ille panis qui de cœlo descendit: non sicut comederunt patres uestri manna, & mortui sunt: Qui manducat hunc panem (*id est me*) uiuet in æternum.

Hoc est quod uolui uobis dicere, in quo tota disputatio

tio pendet. Ego panis sum, longeque alius panis, quam patres uestri comederunt. Si manseritis in me, manducabitis panem, qui dat uobis uitam æternam.

LECTIO XXXVI.

Quamquam Christus pergat fideliter docendo, tantum & pertinaces pergunt in sua infidelitate, deterioresque efficiuntur, & blasphemiam blasphemij addunt. Cum Christus satis declarasset, quinam manducant carnem suam, & bibant sanguinem, nempe in eo, ut maneamus in ipso, facti participes spiritus ipsius: hoc crassi illi auditores omnino non curantes, pergunt in suis blasphemijs.

Hæc dixit in synagoga docens in Capernaum. Plures itaque cum audiuissent ex discipulis ipsius dixerunt: Iste sermo durus est, quis potest audire illum?

Suprà non indicauit Euangelista, ubi inuentus fuerit Christus: sed hic manifeste dicit, in synagoga, non in foro. Ita semper lucem diligit ueritas. Vbi maior populi conuentus, eò se conferebat Christus. Id etiam Annæ respondit: Nonne semper in aperto docui? Hæc autem dixit ut Iudæi nullam excusationem habeant. Palam dicta sunt, quæ Christus docuit, ut nulli inficias ire possent. Sed quid profecit sua doctrina? Ex ijs qui uidebantur esse addictiores Christo, magis sunt offensi.

Cap. VI ANNOT. IOAN. OECOL.

Durus.) Imò spiritualibus nihil posset suauius dici: nihil etiam gratius, quàm Christum esse filium dei, & redemptorem, ab ipso pendere nostram uitã. Sed ipsi expectabant solum externum corticem uerborum de sanguine. Hoc uidebatur durum & Scythicũ uesci carne humana. Carnalis manducatio in se magnam duritiam, ut scriptura dicit in Iob, habet. Carnem humanã comedere nõ significat affectũ pietatis, sed seuitiã lupinam. Sed per fidem manducanda est Christi caro. Igitur ipsi qui nihil intelligunt aliud quàm externa uerba sonant, durus est sermo. Et alioqui etiam uerbum crucis scandalum est Iudæis, & offendiculum Græcis.

Quis potest.) Dura uerba loquitur, ut necesse sit edere carnes ipsius: sed si quis singula uerba Christi expendit, obseruabit miram sapientiam, quomodo peruenit ad panem. A collatione mannae, ad panem caelestem peruenit &c. Quæ alia uerba possunt refrigerare conscientiã hominis, quàm nos saluãdos per Christum? Imò alia audire sapientes non absq; fastidio possunt. Verum illi agunt more omnium obstinatorũ, qui aures occludunt ueritati, & nolunt doceri.

Sciens autẽ Iesus apud semetipsum quod murmurarent de hac re discipuli ipsius, dixit illis.

Euangelista noster inter cætera bene obseruat beneficium

ficium Christi in cognitione arcanorū cordis. Dei proprium est nosse arcana pectoris: unde diligenter hoc adiungit. Quemadmodū cæteri Iudæi litigarāt de hac re, ita etiā ipsi discipuli offēsi sunt. Hæc etiā pertinet ad consolationem doctorū, si uiderint deficere suos, eorum animos alienare, cogitent id ipsum etiā antea Christo accidisse. Ipsi crassi erant nondum percepto spiritū sancto, attamen medetur illis qui doceri uolunt.

Hoc uos offēdit: Quid igitur si uideritis filium hominis ascendentē eò ubi erat prius? Spiritus est ille qui uiuificat, caro autem nihil penitus prodest.

Bene sunt expendenda ista uerba. Nam Christus *οὐδέ τι οὐκ,* mentem discipulorum probe inspicit & instituit, ut me *fortis negatio,* fortius sentiant. Dicit: Offēdit ne uos sermo? (Non solū *et penitus nihil.* sermo, sed res ipsa proposita est, nempe ut pascendi scimus per Christum.) Quod tanta et tam magna de me prædico, offēdit uos hoc? quasi diceret, minime oportebat uos hinc offēdi, nisi uelitis me negare filium dei. Dixi me panem esse de cælo, que maxima gloria patris & mea.

Contemplati.) Longe amplioribus uidebitis priuilegijs filium hominis donandum, ubi resurrexerit à mortuis, & ascenderit in cælos: ubi locus offēdiculo tunc erit? Modus loquendi est de filio hominis. Nos

propterea possumus cū Valentiniānis colligere, quod corpus humanum, in quo frater noster est, descenderit sic de cœlo. Fatemur quidē non ex uirili semine, nihilo minus natum ē Maria uirgine, uerum corpus, non cœleste corpus, quasi per canalē duntaxat uenerit ē Maria: necesse ut θεοτόκου fateamur illam. Mos scripturæ, ut ueritas diuinitatis Christi nobis clarius commendetur. Non enim duos filios ponimus, alium hominis et alium dei, ut error Nestorianorum, qui unum filium dei et alium hominis dicunt. Iam si de filio hominis dicūt, quomodo exponunt illum locum, Vbi prius erat? Certum filius dei non plorat, attamen dicimus flere illum, propter unitatem personæ. Si quis dicat de deitate ut uelit personam quæ diuinitatis ad humanitatem adferre, is planē solueret mysteriū nostræ fidei. Spiritus sanctus ideo obseruat illud, ut magis commendetur nobis hoc mysterium.

Prius.) Id est, illa persona, Christus heri et hodie: etsi in tempore assumpsit humanā carnem per Mariā, ille tamen prius in gloria patris, et rediturus. Posset quis dicere, Nunquid Christus aliquo tempore illi gloria destitutus? Absit, sed exinaniuit seipsum, id est, uoluit nobiscum humiliter uersari, quasi dissimulans suam diuinitatem. Per dispensationē omnia egit, passus est, flagellatus etc. Id est, cum iam non uersabatur ultra humiliter, quæ humilis conuersatio et assumptio

ptio huius seruitutis, uidetur quodammodo esse exinan-
 tio deitatis. Humiliauit se in numero seruorum, qui rex
 regum est, nec renunciauit regno suo. Vt rex deposita
 corona & purpura, uersatur in medio seruorum, ut li-
 beret eos, nec iactat se regem, licet rex sit: ita Christus
 se humiliavit propter nos etiam si rex esset: quamuis di-
 gnitatem non abiecit, tamen non usus est illa &c. Cum
 miracula operatus est, umbram ostendit suæ gloriæ.
 Iam non dissimulat ultra se filium esse dei. Si uideritis
 ascendentem, ubi peruenerit ad summam istam gloriam,
 tunc longe maiora apparebunt. Quid dicetis de me?
 Mittam in pectora uestra spiritum meum, ut agnoscatis
 me panem esse uitæ.

Spiritus.) Quis spiritus? utiq; diuinus & Christi
 spiritus, is uere est qui omnia uiuificat. In Actis: In ipso
 sumus, uiuimus & mouemur. Iam per hoc uerbum ex-
 ponit omnia alia, quæ supra uidebantur esse obscura.
 Quid promittebat per esum carnis & potum sangui-
 nis? nonne uitam æternam? Hic dicit: Spiritus est uiuifi-
 cator. Vis uidere quomodo Christus sua carne nos ui-
 uificet? Spiritu suo id fit: quando dat hoc credere, tunc
 uere uiuificamur.

Caro.) Quia de spiritu locutus est, etiam de carne
 sua locutum, nequaquam dubitamus. Ita Augustinus
 & alij pleriq; interpretantur. Sed ut ista superioribus
 cohercant, indicare uoluit discipulis suis, hanc carnem

Abire
Christi.

ab oculis ipsorum esse aufrendam, & inuehendam in
 cœlos. Carnalis præsentia nõ uiuificat, sed spiritus san-
 cti missio, ut cap. 15. & 16. Nisi abiero, paracletus non
 ueniet. Quid est abire Christi? qui usq; ad consumma-
 tionem seculi & c. Planè indicat carnem ab oculis aufe-
 rendam in cœlos. Nõ est hæc sententia, quasi impie sen-
 tiamus de Christi carne. Factus est homo: neq; hoc be-
 neficium reijcimus, ut dicamus hanc carnem inutilem:
 Omnes creaturæ bonæ: & hanc nobilissimam refute-
 mus? Sed hoc, quod Christus ipse dixit, quid nobis sit
 profuturũ: & nos dicimus, ut uiuificemur spiritu Chri-
 sti. Etiam si perpetuò Christus ambulet super terram,
 & etiam uersetur inter dentes nostros, ut ita dicam, ni-
 hil proderit, neque uiuificabimur, nisi spiritu illustre-
 mur. Caro nihil prodest, ut illi putant, ad comedendũ,
 traiecturi in uiscera & c. Facile alijs possumus obuia-
 re, respondeant utcuq; uelint. Sed uere dominica ista
 sententia satis nos admonuit, ne absurdum sermonem
 admittamus, quasi Christũ carnaliter comedamus, ut
 isti uolunt. Vnde planè in genere negat, Caro nihil pro-
 dest. illi effugia quarũ misera. Dicunt: Non loquitur
 de carne sua & c. Est ne alius spiritus qui uiuificet? Nõ
 alium dabunt quàm spiritum Christi. Sed si de suo spiri-
 tu hic loquitur, uere & de carne sua loquitur: non ut ni-
 hil prosit caro eius, sed in comestione nihil. Alij, spiri-
 tus est qui & c. Id est, spiritualis intelligentia est quæ ui-
 uificat.

ificat. Caro, id est carnalis. Ita planè carnalis sapien-
tia stulta est. Fatemur illud. Sed ibi non loquitur de car-
nali sapientia: nam de hac re hic non erat disputatio.
Volunt huc reducere cum uocat illos carnales Caper-
naitas &c. Quamuis si sic dicam, quæramus quid sit
spiritualiter intelligere & carnaliter. Ita ipsi apprehen-
duntur in suis laqueis. Fides ipsa docet spirituale intel-
ligentiam. Nemo qui aliquid admittit, quod huic fidei
derogat, spirituales sapientiã habet. Iam cum illi docu-
erint aliud præter illam fidem, & in cœna dominica
nouam rationem manducandi inuehunt, hoc spirituale
intelligentiæ præiudicat. Vnde tutissimum est simpli-
cissimam expositionem recipere. Est sententia: Meus
spiritus si datus fuerit, tunc intelligetis illa planè: et quæ
talia intelligit, ille consolationem accipit.

**Verba quæ ego loquor uobis, spiritus
sunt, & uita sunt.**

Hæc mens istorum uerborum: Quod uobis dixi, illud
est spiritus. Quid dixit Christus? Se esse panem ui-
tæ. Illa sunt uerba: per uerba intelligimus rem, quæ
uerbis commendatur. Nam illa uerba quæ Christus lo-
cutus externa, non erant spiritus uel uita: neq; in di-
uisibus rebus uitam instituit Christus & diuersis. Igitur
nunc colligit, idem quod ante dixit, ut infra: Tu es
filius Dei uiuentis. Illa utique uerba, credere scilicet

Cap. VI IOAN. ANNOT. OECOL.

Christum esse filium dei, hæc uere uitalia sunt. Quid alij adstrant, cum uerba tam plana habeamus, ne curetis, somina enim sunt.

Sed sunt quidam ex uobis, qui non credunt.

Non credunt me esse filium dei: & hæc causa est quod non credunt me spiritum uiuificantem dare. Scimus quam rem potissimum fides expetat. Quare hoc dixit? Ideo, quasi diceret, per noui pectora uestra quod similes cæteris Iudæis estis. Fieri potest, ut Christus priuatim hæc dixerit discipulis. Id est, qui simulatis uos esse meos discipulos, summum mihi dantes honorem, agnosco cor uestrum, non creditis &c.

Nouerat enim ab initio Iesus, qui essent non credentes, & quis proditurus esset ipsum. Et dicebat: Propterea dixi uobis, quod nemo potest uenire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo.

Euangelista dicit, Ab initio. Fieri potest, ut Christus hoc dixerit eis: Sciui ab initio quales estis &c. Vere Christo ab initio dati sunt, & ante conditum mundum nouit deus, quinã credituri essent, & qui nõ credituri: quiq; tam à fide alieni, ut etiã ausint cum postea tradere. Et cõmuni modo loquendi, quidã sunt nõ credentes Christus loquitur. Quis inter non credentes ad tantam
malitiam

malitiam ueniret? &c. Suprà exposui illa, non esse huius
manarum uirium tanta mysteria nosse, sed diuinitus con-
cedi à patre coelesti.

LECTIO XXXVII.

Fidelissimum præceptorem agit dominus noster Ie-
sus Christus: nam postquam recte et satis instituit
discipulos suos, & indicauit quanta bona speranda sint
ijs, qui sequuntur se, & ueri discipuli sunt: nunc sub fi-
nem, quantum illi profecerint ex sua doctrina, inquit
& examinat. Et ostenditur nobis typus uerorum discipu-
lorum Christi, quorum alij reprobj & hypocritæ sunt,
alij fideles. Reprobi non perseverant usq; in finem:
etiam facile quouis uento agitantur: at huiusmodi non
sunt ueri discipuli.

Ex eo (tempore) multi discipulorū eius
abierunt eo relicto, & nō ultra ambula-
runt cum illo.

Primū, inquit, quidā auditis illis sermonibus (quia
constāter Christus suos sermones defendebat) opus esse
nobis manducatione carnis suæ, & bibitione sangui-
nis: præterea filium dei se indicabat, & nouo quodam
parabolarum genere loqui uidebatur, pertæsi, nolue-
runt cum eo amplius ambulare. Ideo dicit:

Abierunt.) Desciuerunt ab illo. Apud Latinos de-
sciscere, in malam frē sumitur partem. Id est, non sunt

Cap. VI ANNOT. IOAN. OECOL.

confessi Christum, coeperunt erubescere Christi, noluerunt amplius eius sequi doctrinam. Vnde illi fuere notati? Audiuimus. Repulsi à Christo, quia mutuo querebant honorem. Qui gloriã hominũ & libertatem carnis querunt, illi non sequuntur Christũ: præterea qui suis uiribus fidũt, abhorrent à doctrina Christi. Nã de duobus istis hominum generibus principio audiuimus. Legimus quidẽ, quod præter duodecim etiã septuaginta habuerit discipulos, neq; isti septuaginta ita prorsus abierunt: nam post resurrectionem Christi etiam ipsi se coniunxerunt alijs discipulis, expectantes spiritum sanctum. Vnde illi discipuli qui aliquãto addictiones Christo, etiam offensi his sermonibus sunt, noluerunt eum pro præceptore habere & magistro. Hi sunt qui non edunt carnem Christi.

Dixit ergo Iesus ad duodecim: Num & uos uultis abire?

Ita pertentat animos istorum Christus, qui tamen optime sciebat quid in illorum penetrabilibus pectorum latèret, sic examinaturus quantum ex hac sua doctrina profecerint: nam audiemus satis manifeste ex responso Petri summã eorũ, quæ in tota disputatione dicta sunt.

Et uos.) Videtis magnã deficientiũ multitudinem, nũquid sequemini etiã uos quãplurimos? Ita nos nõ moueat, etiã si multi deficiãt: nã qui uere crediderint Christo, illi nõ mouebuntur à multitudine deficientium. Ad
duodecim

duodecim quasi electioribus dixit talia.

Itaq; Simon Petrus respondit illi: Domine, ad quem abibimus? habes uerba uitæ æternæ, & nos credidimus & nouimus, quod tu es Christus ille filius dei uiuentis.

Omnes interrogatur, & Petrus qui os erat omnium discipulorum, respondet. Imò nō solum nomine duodecim, sed hæc uox omnium fidelium est, ut Matth. 16. ca. habemus. Cum interrogaret Christus, & alij alia responderent, Petrus inquit, cū ipsi interrogarentur, Tu es Christus filius dei uiuentis. Eadē uerba locutus est, quæ et hic ponuntur ab Euangelista. Quæ uox ita eo loco laudatur, ut super illam, scilicet confessionem, Christus ecclesiam suam se collocaturū promittat, ita ut neque portæ inferi &c. Ex ijs uerbis poterimus dinoscere, quinam ueri fideles, id est, Christiani sint, et qui nō. Pauca uerba sunt, sed summā fidei nostræ cōplectuntur

Verba.) Quæ si diceret, Non est quare à te recedamus, non est quare ad aliquem alium præceptorem nos conferamus, uerba æternæ uitæ habes. In uerbis tuis licet uidere promissiones æternæ uitæ, & uerba tua si quis crediderit, uere poterunt illo præstare uitam æternam. Ex uerbis tuis ueram consolationem accipimus. At non item si conuertamus nos ad Phariseos, uel philosophos huius mundi, qui haudquam uerba uitæ

æternæ deprompturi sunt: Nam semper magis relinquit nos hypocritas quàm uere iustos. Christus autem ita instituit ut satis lique scat, inde uitã æternam concedi hominibus. Stultum igitur esset à tam fideli præceptore recedere.

Et nos.) Ecce Petrus satis intellexit, quod Christus parabolicis uerbis & tectioribus ad fidem prouocarit, quæ nobis necessaria est. Vult dicere: Et nos in eorum numero erimus, qui pasci cupimus tua carne, ut assequi ualeamus uitam æternam. Nunc credidimus, & cognouimus, intellectum inquam accepimus rerum diuinarum. Es. ut LXX. adducunt: Nisi credideritis, nõ intelligetis. Consectancum, si credideritis, certe intelligetis. Credunt quorum cor planè persuasum est, & quorum cor neuitquam dubitat. Non illi censendi sunt credere, qui nunc hanc nunc aliam amplectuntur opinionem, & ab hominibus pendent. Nisi persuasus sis à spiritu sancto, & à doctrinis prophetarum, non erit uera fides: ubi aut illa fides illuxerit in corde hominis, absq; dubio habebit suũ incrementũ: etiã clara aderit scientia, tandem post hanc uitam illud contemplaturi facie ad faciem, quod hic solum iam ex parte cognoscimus.

Tues.) Id est, Nos non habemus te pro puro homine, neq; uulgari propheta quopiam. Fatemur te uerum, & illum promissum à prophetis, quem patres nostri expectarunt & patriarchæ. Et qualis? filius dei uentis.

uentis. Ita deum & hominem fateri Christum, completur summam fidei. Nunquam legis Christum illam fidem exquisuisse à quopiam, ut credat panem esse corpus filij dei. In hoc non recreatur anima hominis neque satiatur. Et cum nobis tantopere fides commendatur per quam uiuimus, etiam summum illud mysterium nobis commendatur, ne quis contemnat.

Dei uiuētis.) Id est, uiuificantis dei, qui habes æqualem potestatem à patre, à quo omnis uita, qui das spiritum &c. Et non solum uiuificas in hac uita, sed in futura: quia de uita æterna nobis potissimum sermo est, de qua initio locutus est: Operemini cibum permanentem in uitam æternam. Apostoli igitur dicunt se hoc cognouisse, quod sit ille qui possit dare uitam æternā. An non satis paucis istis uerbis possumus uidere quid prædicta sibi uelint? Edere carnem, & bibere sanguinem, quid aliud est quàm in Christum credere, ut habeamus uitam æternam? Igitur uerba illa satis explanant nobis quid in toto sermone docere uoluerit. Utinam plerique hoc expenderent, & cessaret plurimum discordie in ecclesia dei. Nam si illa professio, qua profitemur Christum filium dei, illæsa esset in cordibus nostris, facile possemus coire. Si una fides, unus erit dominus, & coimus in unam ecclesiam per eundem dominum. Etiam si aliæ opiniones sint & sectæ, sed non oportet propterea ita discindi: quandiu enim adhaeremus capiti Christo, pro mem-

bris habēdi sumus. Nihilominus qui gregi Christi prae
sunt, eorum est illos qui uarios errores inuehunt, uera
bo dei redarguere. Nam aliud redarguere quorundam
errores, & temere condēnare. Videāt qui priores dis-
cesserint. Videte quā multi abierint: sed propterea
non erit nobis cōtristandum, manent pauci apud domi-
num, duodecim solum. Neq; in causa est Christus, ne-
que doctrina eius: sed ipsi fuerūt autores sui mali. Erat
igitur scisma quoddam & defectio multorum. Sed inte-
rim consolationem accipiunt qui hodie docent, si inti-
mi recedunt: non contingit ob id quod minus pure do-
ceatur: fieri solet quo purius doceatur, tanto plures de-
ficiant discipuli. Et ecclesia melius habitura est, si fue-
rit purgata ab ijs ulceribus. In illo paruo numero disci-
pulorum, etiam futura erat cribratio. De Iuda loquor,
quasi etiam ipse hoc crederet uidetur. De electis audi-
uimus, nunc de reprobis habebimus.

Respōdit illis Iesus: Nonne ego uos
duodecim elegi, et ex uobis unus aduer-
sarius est? Dicebat autem de Iuda Simo-
nis Iscariote. Hic enim erat proditorus il-
lum, cum esset unus ex duodecim.

Nō approbat uocem Petri Christus, ut apud Mat-
thaeum Euangelistam, sed in officio continere cupit, &
ostendit quicquid boni habent, diuino beneficio habere
ri:

ri: electos quidem illos esse, sed non tamen esse omnes probatos.

Elegi.) Scilicet uos in numerum Apostolorum & duodenarium. Neq; hæc parua dignitas, electos fuisse in hoc fastigium. Gratis uos elegi &c. quamuis hoc nõ manifeste dicat. Vestrum est qui estis futuri doctores orbis, ut teneatis illam doctrinam illæsam. Absque dubio potuerint agnoscere ad quantũ officium electi essent. Quid mirum si aliqui discipuli abierint, cum neq; uos duodecim qui omnibus cæteris præstare debebatis, estis satis fideles? Satan diabolus dicitur calumniator, accusator, qui non confitetur illam doctrinam, sed accusat. Est unus inter uos qui maxime affligit cor meũ: quãuis nõ minus doleã defectionẽ, ut discipulorũ: sed etiam ad uos loquor de proditore aliquo, ut infrã cap. 13. Non minimus dolor ab amicissimis etiam relinqui. Quid igitur proderat Iudæ operatio miraculorũ? quid dignitatis altitudo? quando quidẽ caruit uera fide, neq; profuit ore laudare Christũ, etsi uidebatur subscribere Petro. Non reclamabat, non habebat adhuc pro blasphemia, nihilominus hoc uirus in corde suo erat. Igitur qui stat uideat ne cadat. Est lucifer è cælo eiectus, Adam è paradiso, & Iudas è summo loco excidit. Quid mirũ si nos non tantis priuilegijs insignes facile labamur? Bonum ut ambulemus in timore domini, tunc facile fiduciam nostram collocabimus in deum. Ita portæ inferorum

Cap. VI ANNOT. IOAN. OECOL.

nihil aduersus nos sunt praeualiturae. Si Iudas semen fidei in corde habuisset, perseuerasset utiq; usq; in finē.

Dicebat.) *Explanat Euangelista uerba domini. Certum dominus non nominauit Iudam, sed patienter secum tolerauit, dans nobis exemplum patientiae, ut eos qui non manifesti sunt alijs, & adhuc uita sua nullum damnium inferunt, feramus patienter. Longe secus est, si manifesti essent, & hoc contagio etiam alios inficerent. Iudas conuersabatur inter ceteros absq; omni offensione. Quod si praeiudicasset consuetudo Iudae ceteris discipulis, nequaquam dominus Iudam tolerasset. Vnde non omnis patientia laudanda in pastore, praesertim si uelit permittere ouem morbidam, ut perderet totum gregem. Eos sine iactura aliorum ferre possimus, de quibus spes est emendationis.*

Iudam.) *Auico Iscariotes dictus est. Ex hoc agnosceimus Euangelistarum fidem, qui non solum Apostolorum uirtutes, sed & uitia narrarunt. Matthaeus confitetur se teloneum &c. Ita Ioannes diligenter scribit hunc fuisse discipulum Christi: & ita historica narratio minus erit suspecta, si non uideatur scripta in fauorem discipulorum.*

Vnus.) *Signanter hoc dicit: uocat eum diabolum, cum solum organum esset diaboli: Nam etiam membra diaboli, eam appellationem propter communionem eiusdem uoluntatis sortiuntur &c. Etiam postea habebimus*

mus

mus quomodo diabolus miserit in cor eius, quoniã uas
Satanæ. Satan aduersariũ Hebræis significat: quæ ex-
positio aliquibus magis arridet: etiam non aberrabis se
hominem malum & impium dixeris diabolũ, qui dia-
bolo aliquo modo incorporatus est.

LECTIO XXXVIII.

A Dornat nunc Christus iter tertium in Hierusa-
lem. Ostendi enim & promisi quatuor profre-
ctiones Christi haberi in hoc Euãgelista. In prima pro-
fectione docuit de regeneraione filiorum dei, & quo-
modo abluantur. In secunda docuit quomodo alantur.
Nunc discemus dijudicationem doctrinarum, & de li-
bertate Christiana. Interim etiam miracula admiscen-
tur & salubres doctrine. Et iterum habemus histori-
cum epicherema, id est, instructionem, quomodo se ac-
cinxerit itineri. Licebitq; non pauca inde discere, quas
liter prodire debent ueri doctores, ne currant non uo-
cati, sed tanquam electi à deo. Hoc habebimus inter-
principia, antequam Christus ueniat ad probationem
doctrinarum.

CAPVT VII.



T Iesus ambulabat post hæc *Profectio*
in Galilæa. Etenim nolebat *tertia.*
in Iudæa uersari, quia Iudæi
queriebant illum occidere.

Quasi diceret: Illis temporibus uersabatur Iesus in Galilea. Quidam arbitrantur ordinem rerum gestarum aliquo modo esse confusum, quod non raro solet contingere apud Euangelistas: id tamen incertum est &c. Post hæc, in illis ipsis temporibus, siue respiciatis ad miraculum panum, siue ad istam doctrinam habitam, à Iudæa discesserat. Causam adiungit:

Quia Iudæi.) Se indignos fecerāt uerbo dei, quod respuerunt. Cap. 5. causam habemus, quia occidere Christum uolebant. Displicebat illis quod sabbato curasset, & dixisset se esse filium dei. Videns igitur malitiam illorum Christus, nolebat ambulare in Iudæa. Non hoc agebat metu: potuisset inter medios Iudæos docere, & se seruare illæsum. Sed docuit interim nos, ut furori nonnunquam cederemus, cum uideremus gloriam dei, inde nullum sumere incrementum, tunc enim multo scitius est cedere & se subducere à furore hostium. Nam cum hoc exemplum uideamus in Christo ipso, non est imputandum alicui ex inferioribus. Temere periclitari nequaquam laudabile est. Ita etiam ubi gloria dei poscit, pericula fugere damnosum est. Decet ut confiteamur Christum. Qui illum non confessus est &c. Neque ita cesserat quasi nunquam rediturus, sed opportuno tempore erat rediturus iuxta præscriptum patris.

Festum tabernaculorum. Erat autem in propinquo festiuitas Iudæorum scenopegia, Dixerunt igitur ad illum

IN EVANG. IOAN. 144
illum fratres illius: Transi hinc, & uade
in Iudeã, ut & discipuli tui uideant ope-
ra tua quæ facis. Nemo quippe in oc-
culto facit aliquid, & quærit ipse palam
esse. Si hæc facis, declara te ipsum mūdo.

Dixi uobis sub initium, istud doceri nos, quomodo
aggrediendum sit docendi officium: Nam non est pa-
rendum amicorum carnalium afflictibus, & tunc pos-
sissimum, quando speramus gloriã dei per nos proue-
hendam. Ita cum Christus moneretur à suis fratribus,
egit. Fratres Christi consanguinei sunt. Scimus Mariæ
non fuisse filium alterum post Christum. Mos scriptu-
ræ est. Ita Laban & Iacob fratres, ita Abraham &
Loth. Illi igitur consanguinei instigabant Christum, et
cupiebant etiam ipsi per Christum honestari, eo quod
ex suo genere prodijisset tanti nominis propheta. Ita
magis proprium sectabantur honorem quàm Christi,
ut etiam ipsi essent honorifici, ut in loco celeberrimo
operaretur opera, & celebrabilis esset in toto mundo.
Sed Christus illis parere nolebat, dans nobis exemplū,
ne siamus hominū mancipia, & ne sectemur uanã istã
gloriã, quæ nõ paucos pessundedit. Expelemus tēpus
idoneū annunciando uerbo. Scitis Iudæis præter sabba-
ta & neomenias, id est nouilunia sua, fuisse tria præci-
pua festa, Pascha, Azymorū festum, & Encenia. Item
festum Pentecostes, in quo memores datæ legis in mona

Cap. VI ANNOT. IOAN. OECOL.

te. Etiam alia festa, tubarum, & expiationum: festum
abernaculorum, quod celebrabant per dies octo, quan-
do patres in tabernaculis habitauerunt in deserto &c.
Christus ipse ut obseruator legis, festa ista non negligebat,
sed uidebatur nunc cessare et nolle ire ad diem festum.
Quod consanguinei eius obseruantes, carpebant in Christo
illud quasi præ metu hoc ageret, uel opera Christi non esse
tam sincera atq; prædicabantur. Putabant à dæmonio proficisci:
unde male de Christo sentiebant, & ea quæ hic loquebantur,
non sine aculeo & scommatibus proferebant.

Transi.) Vera diabolica tentatio: nam ille Matth.
4. instigat ad uanam gloriam huius mundi. Habetis apud
Marcum, quomodo Christus ubiq; gloriâ huius mundi declinet,
& prohibet ne miracula eius prædicentur. Docet nos etiam
si quid boni facimus, ne prædicemus, ne amittamus in totum.

Opera.) Videntur sanè amicorum uerba esse. Nos qui
sumus discipuli tui, tibi addictiores, uideamus opera tua:
quasi non uiderint in Galilæa miracula &c.

Nullus.) Sententia est uera quidē. Qui uult gloriosus
apparere in hoc seculo, ille omnibus modis curat ut
opera sua palam fiant & proponantur omnium oculis.
Si quis hominum gloriam uenatur, nequaquã queret
latebras & tenebras, oportet ut prodeat in lucem,
& agat aliquid dignum fama, ut celebretur. Sententia est,

tia est, quasi diceret: Et querit ipse celebris esse, necesse ut quid agat. Sed Christus non erat ex illorum numero: neque hi qui Christi sunt, sic optabunt ab hominibus glorificari: imò numeramus inter beatitudines, si maledicimur ab hominibus. Si hominibus placemus, iam non serui Christi erimus. Pleriq; docent solum ob uanam gloriam, ut uideantur doctiores & celebriores quam cæteri.

Manifesta.) Hoc cupimus ut fias conspicuus mundo, ut aliquid gloriæ ad nos perueniat.

Nam ne fratres quidem illius credebant in illum.

Non erat illorum solida fides, etiam qui iuncti sanguine: nam præcipue contemnebant Christum: uiderant illum per omnia illis similem, laborantem, comedentem &c. unde diuinitatem minus cogitabant.

Dicit ergo illis Iesus: Tempus meum nondū aduenit, tempus autē uestrum semper est paratū. Non potest mūdus odisse uos: me autē odit, quia ego testimoniū fero de illo, quod opera eius mala sint. Vos ascendite ad festiuitatem illam. Ego nondum ascendo ad festum hoc, quia meum tempus nondum impletum est.

Cap. VII ANNOT. IOAN: OECOL.

Tempus quod decretū est à deo patre, quando ego glorificandus sum, nondum adest. Ego non quero gloriam super hanc terram: non propterea non ero gloriosus: per crucem autem sum glorificandus. Instigatis me ut ascendam Hierusalem, & accipiam gloriam ab hominibus. Cum surrexero à mortuis, & misero spiritum &c. Hæc q̄q; gloriosa requies Christi. De illo igitur tempore intelligendum est, si uelis loqui de tempore, quod prædixerunt propheta &c. Volebant illi miseri ut Christus ueneraretur uana illa gloria.

Tempus.) Vos qui talia sectamini, poteritis quotidie illud agere: & si glorificari uultis apud mundum, semper offert se uobis aliqua opportunitas.

Mundus.) Vos non contristatis mundum reprehendendo de peccatis suis, propterea uos non habet odio. Mundus est amicus suis. Me odio habet. Et causam ponit.

Testimonium.) Christus est lux redarguens tenebras & opera tenebrarum. Christus non uenit mittere pacem, sed gladium. Hinc sunt illa disidia, quando deteguntur impietates hypocritarū, qui felicitatem suam in falsa gloria constituerunt: ubi eis illa aufertur, spoliantur omni felicitate sua: ideo maxime succensent. Euangelium arguit mundum de peccato, ideo mundus semper persequitur pios. Eapropter nō erit concionatori spectandum ad temporalem felicitatē. Si diceret.

Si mundus

Si mundus coeperit fieri placatior, annuntiabo uerbum dei: sed id nunquam fiet, quia mundus semper malus erit. Poterant Iudaei ferre Christum reprehendentem latrones, fures &c. sed quod detegebat hypocritarum iniquitatem, hoc agerrime ferebant. Quis enim persequetur Christum praeter phariseos? Me odio habent: quare? quia tenebrae fugiunt lucem. Ad tale festum uos accedite, qui talia quaeritis. Ita nihil hic erit diuersum a sequenti: idque sub finem repetit et confirmat. Nostrum quoque tempus non est in hac uita ut gloriemur: sed festum tabernaculorum agemus, id est, cogitemus nos esse peregrinos. Festum illud plane admonebat humilitatis: sub tabernaculis uiuere debebant, ut agnoscerent patres fuisse peregrinos, & sciret se ciues ciuitatis Hierusalem. Qui municipes caeli, hi non quaerent gloriam huius mundi. Omnes ministri uerbi ante omnia curent ne uanam gloriam sectentur. Praeterea si gloria sequatur, non ideo omittenda, nobis curantibus minime. Neque aliquid praetermittendum quod ad gloriam Christi pertinet.

Haec autem cum dixisset Iesus, mansit in Galilea. Ut autem ascenderunt fratres illius, tunc & ipse ascendit ad festum non manifeste, sed uelut in occulto. Iudaei ergo quaerebant illum in festo, et dicebant: Vbi est ille?

Permisit igitur ut fratres ascenderent, & simulabat quasi non esset ascensurus. Sed uerba eius eò tendebant, se nolle uanam gloriam.

Ascendit.) Ne uideretur esse cōtempitor legis. Nō manifeste cū pompa aliqua, neq; multo comitatu ascendit. Id est, nolebat uideri, quasi irritaturus Iudæos, si se turbis illorum immisceret: nam ubiq; etiam pacis rationem habebat. Insinuat etiam Euangelista consiliū Christi, propter quod ita fieri decebat. Sed fr̄e sunt nobis gratiora, ea quæ magis desiderantur. Quæ in quotidiano usu sunt, uilescunt aliquando. Ita Christus detinuit se aliquanto tēpore, ut desideratior fieret Iudæis, utq; acciperet occasionem ad communicandum utilissimas doctrinas. Ecce iam desiderium. Absentem desiderant &c.

LECTIO XXXIX.

Non satis est bona & sancta docere, sed decet ut bene etiam doceantur sancta, habeaturq; temporis ratio. Hoc uidemus Christum ubiq; seruare, & occasionem expectare docendi, ut maiorem fructum faciat uerbum. Atq; hoc consilio noluit cum amicis suis ascendere Hierusalem ad diem festum, & permisit populum sui desiderio teneri. Dicūt: Vbi nam est ille? Veritas enim non addiscitur nisi ab ijs, qui ueritatis audiunt. Stomacho fastidienti nullus cibus, ut decet, sapit. Hinc est quod hic murmur nascitur in populo.

Et murmur multum erat in turbis de illo. Quidā enim dicebant, bonus est: alij autē dicebant, nō, sed seducit turbā.

Hoc perpetuò fit, ut uaria sententia uulgi habeatur de Christo. Nam alijs est odor uitæ in uitam, alijs odor mortis in mortem: alijs est in resurrectionem, alijs in ruinam. Alijs uerbum crucis est scandalum & stultitia, alijs sapientia & uirtus dei. Ita ubiq; inuenies qui contradicant: inuenies filios dei, licet minori copia, qui laudent & extollant: inuenies etiam filios diaboli &c. Hoc loco hi, qui bene dixerunt de Christo, existimãtur fuisse populares: alij uero qui Christum dicebant seductorem, putantur fuisse ex hypocritis & Pharisæis. Quauis dicere, seduci turbam, non solis uerbis indicare oportebat. Sed hoc est temerariū populi iudiciū. Quod autem instituit loqui de probatione doctrinarum, & de reiectione temerarij iudicij, pulchre præmittitur temeritas illa.

Nemo tamen palàm loquebatur de illo, propter metum Iudæorum.

Potentiores illi male sentiebant de Christo, male etiam loquebantur: nam nullus bona loqui de Christo eo tempore audebat, adeò inualuerat iniquitas. Erant adhuc omnes infirmi, & metum Iudæorum timebant.

Cum autem iam dimidium festi per-

Cap. VII ANNOT. IOAN. OE COL.
actum esset, ascendit Iesus in templum
ac docebat.

Permisit ut increaseret de siderium illorum. Ascendit quidem ad initium festi, sed non manifestauit se statim ab initio, etiam cum esset Hierusalem. Non statim prodijt in medium docturus, sed oblata opportunitate, cum uideret mentem illorum discendi desiderio teneri.

Templum.) Vbi maior hominū frequentia erat, ne suspecta esset eius doctrina, libere docebat et palam, contemptis Iudæis. Vnde apparebat prius secessisse illum, non metu perculsum, sed singulari consilio,

Et mirabantur Iudæi dicētes: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit?

Semper obliuiscuntur Iudæi diuinorum miraculorum, et adherent in sola externa Christi persona. Inade est quod tanta admiratione tenentur.

Quomodo.) Mirū non oportebat illis esse, æternam sapientiam dei nosse omnia. Non minora uiderāt apud Prophetas, qui spiritu rapti, etiā futura prædicebant. Sed notabant Christum, quasi arte demoniaca suā scientiā obtinuisset, et nō quod tanquam filius dei omnia cognosceret. Hoc est quod mirabantur. Id est, Quem nouimus: egit aliquanto tempore fabrum, uixit inter opifices, non edoctus est à Phariseis, nihilominus tenet literas. Hic non ostendit Euangelista, que tunc Christus

Christus docuerit. Certum est tamen, quod prophetas
 & scripturas explanauerit: quas autem, non est nostrū
 scire, neq; magnopere refert.

Respondit illis Iesus, et dixit: Mea do-
 ctрина nō est mea, sed eius qui me misit.
 Si quis uoluerit facere uoluntatem illi-
 us, cognoscet de doctrina, utrū ex deo
 sit, an ego à meipso loquar. Qui à semet
 ipso loquitur, gloriā propriam quærit.
 Qui autē querit gloriā eius qui misit illū,
 hic uerax est, & iniustitia in illo non est.

Videte, nunc aggreditur eximiā istā doctrinam de
 probatione spirituum & doctrinarum, quæ planè non
 est contemnenda. Nam perpetuan certamen fuit serē
 à condito seculo, & futurum usq; ad consummationem
 seculi, quæ doctrina uera et quæ fālsa: nam semper cum
 ueris prophetis irrepsērunt hypocritæ & falsi docto-
 res: unde operæ precium ut possimus internoscere inter
 ueros & falsos doctores. Hæc usq; ad 11. cap. tractat,
 ut uideatis omnia pulcherrime & concinne coniungi.

Primum asserit doctrinam suam non esse suam.

Doctrina.) Hæc uerba hanc habent sententiā: Do-
 ctinā quam putatis uulgaris esse cuiusdā hominis, cui-
 us doctrinæ fidere non licet, qui possit fallere, mentiri
 &c. Planè erat illa doctrina Christi: sed nō sua, id est,

non talis hominis, qualem Christum suspicabatur. Ipsi putabant eum esse purum hominem, & indignum qui cum alijs cōferretur. Vult dicere: Quum ego profero doctrinam, est mea: sed nō ita mea, ut putetis à solo homine proficisci, et ut uos suspicamini me purū hominē, et nō cognoscitis pro filio dei: Sed cuius est? eius qui me misit, id est diuina. Discernit inter diuinam & humanam doctrinam. Vbiq; dicit se missum à patre, quāuis non uulgariter missus ut alij prophete, esset. Doctrinam quā auditis ex ore meo, non est uulgaris doctrina, sed uere diuina. Diuino enim iussu attulit hanc doctrinam. Si seruus missus à domino, annunciarit aliud præter id quod dominus commendarit, iam ille non erit uerax: sed si fideliter fungitur officio suo, narrabit id quod sibi est demandatū: non loquetur ex proprio capite, sed quod dominus commisit. Ponit notas, & discrimina doctrinarum.

Voluntatem.) Vis peruenire ad cognitionem dei? primum para cor tuum, ut uoluntatem tuam uoluntati diuine subijcias: queramus ante omnia facere uoluntatem dei. Nam quādiu allubescit tibi adhuc mundus, & uis hisce rebus adherere, frustra admoneberis, nihil proficiet apud te omnis doctrina: unde necessarium est ut doctrinam dei accipias. Quid de censoribus doctrinarum censendum est, qui nunquam induerunt animum pium, semper in delicijs uiuentes, & de omnibus
spiritis

spiritibus pronunciant? Vis cognoscere quæ doctrina sit uera? Vide ut renuncies tuæ uoluntati, & dei sequaris iussum. Iudicandum etiam sepositis affectibus. Si omnino liberi, tunc uere cognoscemus. Primum placeat tibi deus, & cupias esse mancipium illius, tunc statim innotescit tibi doctrina, an ad deum ducat uel à deo. Si quis autem statuerit in corde suo idolum, id est, dogma malum, & huic adherere uoluerit, is iam infectus est, neque uidet an ducatur ad deum, uel abducatur.

Iudicandū
pio affectu

Loquor.) Id est, sicut alius homo loquor, ut uos de me sentitis.

Loquitur.) Inter cæteras affectiones intimior et perniciosior uanæ gloriæ affectatio, uel etiã propria laudis. Homo seipsum amat, uult magnificari, sapere præ alijs: & est maximum damnum anime, & summum impedimentum ne quis ueritatem uidere possit: et ille ferè non adfert sanam doctrinã, sed quam ipse somniauit. Hoc mali contingit huic, & ex hoc uitio, quod cupit magnificari ab hominibus, neque spectat an deus per gloriam suam magnificetur uel non.

Misit.) De se loquitur, & de omnibus qui docent. Qui dei gloriam querit, est uerax: huius doctrina crit etiam sancta, & omni suspitione caret. Iam si uolueritis examinare etiam hoc seculo doctrinas, accipite errorem illorum, qui tanti faciunt imagines. Deus præcepit illas tolli, ut clarius cognoscatur & adoretur in spi-

Cap. VII IOAN. ANNOT. OECOL.

ritu & ueritate. Multi habet zelum, sed citra scientiã. Iudæi ceremonias habent. Sed deus spiritus est, & lōge alium cultum querit. Christus docuit patrem in spiritu adorandū. Pharisei externa docebat, & magis querebant gloriã suam quã dei. Gaudent illi audire, Ecce sanctulus homo est, colit imagines &c. Ita apparet aliquo modo gloria illorum quam ipsi querunt. Orare autẽ patrẽ in spiritu & corde, fit in abscondito, & hoc hic uidemus. Quid aliud docet Christus quã Moses? Verũ illi indicãt se intestinã inuidiam habere. Si alienũ est à fide aliquid, & si iustitiã tribuamus nostris operibus, potius nosmetipsos glorificamus, q̃ deum ipsum.

Nõne Moses dedit uobis legem, & tamen nemo ex uobis factis præstat legem? Quid me quæritis occidere?

Nunc de doctrina sua loquitur, & illã esse piã dicit. Hoc redarguebãt in Christo, quod sabbato sanauerat infirmũ, & propter querebãt occidere illum. Quia igitur contẽptores erant Iudæi legis Mosaicæ, & diuine neglectores charitatis, & homicidæ, quomodo poterat sancta esse illorũ doctrina? Ita bene coheret uerba ista. Suam doctrinam confert cũ doctrina Iudæorũ, qui placebant sibi in externis ceremonijs, & spiritum legis euacuabant, neq; ob id faciebant sibi conscientias.

Nullus.) Quomodo nullus? Possent quidam hic arguere,

arguere, legem nulla ratione posse impleri, hoc est humanis uiribus. Sed Christus nolebat hoc hic dicere, an humanis uiribus uel spiritu lex impleatur: sed dicit non facere eos, quod in lege preceptum est. Iudaei alieni à charitate erant, quamuis seruarent sabbat., uictimas occiderent, ieiunarent &c. Sed contemnebant quod potissimum est in lege.

Occidere.) Si legem facitis, quare occidere me uultis? Vbi charitas est, ibi deus. Dei uoluntas est in charitate, ut etiam curemus suas creaturas.

LECTIO XL

TRactatur in hoc capite de probatione doctrinarum. Iudaei enim doctrinam Christi ut legi aduersariam reijciebāt. Hanc autem notam dedit Christus, ut sanam doctrinam ab adultera cognosceremus. Qui suam gloriam querit, à seipso loquitur: id est, non diuinam adfert doctrinam: sed qui gloriam dei querit, is sanam adfert &c. Iam spectandum erit quidnam potissimum ad gloriam diuinam pertineat, quid deus maxime querat. Gloriam suam non dat alteri: nihil deo familiarius quam sua misericordia: unde in tota lege misericordiam commendat, quam longe magis uult quam sacrificia. Conferenda doctrina Christi cum Mose. Christus dicit, queritis me occidere, pleni estis inuidia. Hec planè non est mens dei, innocentem perdere: ego autem cupio facere uoluntatem dei: ut mox audietis. Et ut deus uult uiuere

re hominem, ita ego cupio seruare hominem. Etiam
 Moses talia praecepit. Ita uidemus charitatem & mi-
 sericordiam potissimum nobis commendari in scriptura.
 Quod si doctrina pugnat cum charitate uel misericor-
 dia, certum est non esse doctrinam dei. Tamen etiam refert
 dum quis uult misericors uideri, ne crudelis inueniatur:
 parcere membro putrido et perdere totum corpus, in-
 sania est. Igitur cum Christus ita perstringeret horum
 conscientiam, ipsi male sibi conscij, ut solent facere homi-
 nes impij, simulat se innoxios, & abhorreere a caede.

Respondit turba & dixit: Dæmonium
 habes, quis te quærit interficere?

Antea prae misit Euangelista, fuisse mentem Iudaeo-
 rum occidendi Christum, & apprehendendi, ut in s.
 cap. & principio huius scriptum est. Fingunt illi se esse
 innocentes: uidebant Christum dæmonium pellere, &
 adeo impudentes sunt ut talia dicant. Non respondent
 ad ea, ad quae respondere oportebat, nempe quare do-
 ctrina Christi aduersaria sit Mosi: de hoc nihil agunt,
 sed transeunt ad personam. Hoc perpetuum est ijs qui ma-
 lam causam fouent, ut commisceant et confundant om-
 nia. Christus autem orationem suam coeptam persequi-
 tur, nec respondet ad illam iniuriam: interim nos patien-
 tiam docens, et inuidorum nugas ferre æquiore animo.
 Sed infra 8. cap. dicit se non habere dæmonium & c.

Respondit Iesus, & dixit illis: Vnum opus feci, et omnes admiramini. Propter hoc Moses dedit vobis circuncisionem, non quod ex Mose sit, sed quia ex patribus. Et circunciditis hominē in sabbato. Si circuncisionem homo accipit in sabbato, ut non soluatur lex Mosi: mihi succensetis, quod feci sanū totum hominem in sabbato?

Puchre opus suum, quod curavit in die sabbato paralyticum, excusat. Nam ad illud unicum opus Iudæi respiciebant. Multa alia miracula fecit Christus quæ non obseruabant. Vnum opus dicit, quamuis multa alia fecerat.

Admiramini.) Nō tam curationem infirmi, quàm quod curabat in sabbato, ut haberent occasionem contra Christum.

Circuncisionē.) Est modus loquendi. Ita dedit Moses, ita se res habet, non quod ipse primus dederit circuncisionem, uel primus acceperit, sed iam antea etiā alij acceperant circuncisionem. Abraham primus accepit signaculum fidei, quod omnis posteritas eius obseruare debebat, usq; ad præscriptū tempus. Deus est auctor per Mosē. Ita circuncisio ex patribus, quia patres acceperunt à deo. Certum est, deus iussit Abrahā

ut circumcideretur, cum esset ferè centenarius. Præceptum ex deo habebat, neq; ex se finxit circumcisionem. Nolumus de uerbulis contendere, sed potius mentē scripturæ uidere. Per hoc enim indicat dignitatem. Si spectanda est dignitas in rebus & antiquitas, circumcisio antiquior lege Mosaica. Si legem sanctorē dicitis die sabbato, non licebit circumcisionem admittere. *ἡ δὲ εὐαγγελία* habetis et moderationem legis. Quare hoc facitis? nempe ex eodē argumēto quo ego benefeci homini illi. Ita homo accipit circumcisionē in sabbato. A sacrificijs argumētari potuisset, quæ offeruntur in sabbatis: sed hoc spectabat ad gloriā dei. Quāuis circumcidatur quis in sabbato, tamen sanctum sabbatum & non uiolatum. Adeò non oportet esse addictum omnino literæ, et negligere mentem illius, qui legem tulit. Id fit si charitas negligitur, quasi diceret: Quid mihi succensetis? non circumcidi unum membrum, sed totum hominem: id est, feci hoc quod deo potissimum placet & probatur. Igitur qui nihil aliud respicit quàm charitatem, is facit opus dei, neq; soluit legem, sed implet.

Ne iudicetis iuxta faciē, sed iudicate iustum iudicium.

Ante oculos uestros magnus apparet Moses, qui sabbatum præcepit: ego autem uilior: sed non sic iudicandum. Solemus & nos ita loqui. Hæc per magnum apostolum, hæc à uiro non apostolica dignitate præditum,

ditum, dicta sunt &c. Rem ipsam expendite: ne simus hominibus addicti. Multi enim in concilijs hoc approbarunt, igitur hoc est condemnatum? Contrarium non est accipiendū. Hoc esset iudicare iuxta faciem, uel externa specie. Si quis uelit solis uerbis adherere neglecta mente scripturæ, utiq; nō iudicaret iustum iudiciū, quia non iudicaret iuxta mentem legislatoris. Si hodie legislator esset pronunciaturus, non pronunciaret hisce uerbis, ut solet obijci. In probatione doctrinarum, spirituum &c. curate ut rem ipsam expendatis, & magis mentem quam nuda uerba sectemini. Ita omnia pulchre coherent. Nihil habebant Iudæi quod hisce diebus obijcerent.

Itaq; quidam ex Hierosolymitanis dicebant: Nonne hic est quē querunt occidere? Et ecce cum fiducia loquitur, & nihil dicūt illi. Nunquid uere cognouerūt principes, qđ hic est uere Christus?

Cum uinceret Christus omnibus modis, & obstruxisset Phariseorum, aliorumq; Iudæorum ora, populus adherere coepit aliquatenus Christo, & iam coepit magis suspecta haberi doctrina Iudæorum. Negarant illi quod quæsiuissent Christū ad occidendū: dicebāt: Demonium habet &c. Iam cōstabat fama in tota Hierusalē, Vnde quibus notū cōsiliū principū, hi dicebāt:

Nónne.) Suprà ita impudenter negant, quasi hoc non esset palàm.

Libere.) Non caret miraculo, quod tam efferi ani mi nihil audent, qui Christum quæerunt ad occidendũ.

Cognouerunt.) Id est, uicti sunt sermonibus illius & miraculis. Sed illi non obseruant, quid Christus dixerit: neq; intelligebant tantam doctrinam, sed magis spectabant quid pronuntiabant summi sacerdotes, & iudicabant secundum faciẽ. Dicunt: Nónne agnouerunt illi? Fortassis secuti fuissent aliquo modo, si proceres sacerdotum Christum recepissent: sed quia illos uidebant Christum contemnere, subscribebant illis. Nũc, stultum eorum iudicium reijcit Christus.

Sed hunc scimus unde est. Christus autẽ quando uenit, nullus scit unde est.

Ita argumentantur illi: Nos scimus eum esse Galileum &c. Et Nathanaël, Nunquid à Nazareth aliquid boni ueniet? Hęc mens Iudeorũ, spectabant Christum humilem, & Mesiam cum magna potentia uenturum de prædicabant.

Nullus.) Hoc putant acceptũ ex Michæa, Egressus eius à diebus æternitatis, ut ignoretur passim, unde nam sit, qui cum tanta potentia ueniat: de illo autẽ qui fabri filius, unus ex popularibus &c. Iterũ iudicabant Christum ab illis externis. Non cogitabant diuinam uim quæ in Christo erat, qua tanta miracula operabatur,

tur, quæ planè erant diuina. Vnde Christus iterum eos refellit, & ignorantia eorum ante oculos proponit, docens nullos Christum cognoscere, nisi deum optimum et benignissimum auctorem salutis cognoscant, tuncque facile filium accepturos. Qui Deum non agnoscunt, & potius pro tyranno habent, haud mirum si filium non agnoscant.

Itaque Iesus clamauit in templo docens ac dicens: Et me nouistis, & unde sim scitis.

Per irrisionem dicit: Me scilicet nostis, & unde sim nostis. quasi diceret: Nihil horum probe scire uultis.

Et à meipso non ueni, sed est uerax qui misit me, quem uos nescitis. Ego uero noui illum, quod ab illo sum, & ille me misit.

Aliquanto obscurior sententia est, ut illa etiam infra quæ sequuntur. Sed uideamus quæ Iudæi proposuerint, tunc mens Christi erit apertior. Dicunt, si esset filius Dei, adesset longe cum alia potentia. Hanc orationem pulchre eludit. Me scilicet scitis. quasi diceret, minime me scitis, uel scitis me iuxta humanitatem. Est ne ita boni uiri, ut sciatis me, quem dicitis habere demonium, quemque cupitis interficere? scitis ne me? quasi diceret, Nescitis me: & hoc per irrisionem. Etiam Pilatus quærit in hoc sensu. Non ueni à meipso, ut uos arbitramini. Indicium quod nesciatis meipsum, quia putatis me esse ut alium impostorem: sed est uerax deus qui me misit. Scire oportebat primo promissiones Dei & ueritatem, tunc

non difficile esset cognoscere Christum. Qui reiicit promissiones prophetarū, ille non agnoscat Christum. Deus semper uerax promisit per prophetas mittere filium: nescitis eius benignitatem & quantus sit.

Novi illum.) Quia ab illo sum: ut supra in tertio capite audistis.

Vos.) Discimus igitur patrē, si agnoscamus etiam filium: discimus benignissimū esse, si illum recte agnosuerimus &c. Christus benignitatem patris declaravit in 10. cap. Proinde uere docebat. Et si nos ita interne edocti fuerimus, ut benignitatem patris agnoscamus, recte incipiemus iudicare: ijs sepositis nunquam recte iudicabimus de scripturis. Ecce omnes illi nō poterant contradicere, sed potius uel Christū perdere conantur.

Quærebant ergo illum apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum uenerat hora illius. De turba autem multi crediderunt in illum.

Videte quā male habuerit Iudæos, quia dixit illos non nosse patrē, cum tamē inter omnes gentes maxime gloriarentur se nosse deū. Propterea insinuabat se esse filium dei. Sic & nunc quærunut ut apprehendant eum.

Hora.) Id est, nondum uenerat decretū tempus, quod patri placuerat: decreuerat prius satis docere populum, ut nullus excusaretur. Discimus non temere periclitari

ticitandum, sed ubi hora aduenerit, ibi tunc fiducia-
rer agendum in domino.

LECTIO XLI.

Suprà auditum est, quomodo Iudæi magis exaspe-
rati sermone Christi, quo se indicabat filiū Dei: et
quomodo conati sunt Christū apprehendere. Quam-
uis aut̄ omnibus modis instarent, tantus tamen timor te-
nuit eos, ne auderent manus in illum iniicere, quia non-
dum hora eius uenerat. Hoc cæteri animaduertebant,
tanquam magnū miraculum, quo uel solo admoniti po-
terant ipsum esse Christum agnoscere. Cohibere enim
ora tam sanguinariorū hominum, ne innocentem hunc
agnum inuaderent, miraculo nō caret. Vnde sequitur:

Et dicebant: Christus cum uenerit,
num signa plura edet ijs quę hic edidit?

Cum igitur non caperetur Christus à Pharisæis, ut
ipsi statuerant secum, plebs cœpit credere in Christū.
Confessi sunt: Nunquid sat signorū? Posses ne alius plū-
ra signa facere q̄ iste? Dicuntur illi credidisse in Chri-
stum, sicut de multis alijs etiam legimus, quorum fides
non est perfecta adhuc. Nam pendebant potius à mira-
culis, & Iesum opinabantur esse Christum: sed an uere
illum agnouerint, hoc non liquet. Miracula enim sola
non satis ostendunt Christū: quamuis suprà in 5. cap.
remittat ad opera sua: sed illa solum dant testimonia,
& miracula propter infideles sunt. Verum fideles meo

liorem cognitionem habent, quàm ex miraculis. *Esai.*
 35. Cæcos fecit illuminare, mortuos excitauit. Et mul-
 ta magna miracula fecit Christus: sed multa deinde fe-
 cere apostoli: quamuis magnum discrimen inter mira-
 cula quæ Christus fecit, et apostoli, qui in nomine Chri-
 sti ea fecerunt. Sed quid dicis, cum Antichristus miracu-
 lorum operator sit, ut in Epistola ad *Thes.* patet? Proin-
 de nobis certiore scientia opus erit, quàm solis miracu-
 lis. Vnum miraculum cõmendat Christus, nempe resur-
 rectionis: perq; illud magis Christum agnoscimus. *Pos-*
pulares isti credebant in Christum, quia uidebant *si-*
gna, & quod tam libere docebat inuitis sacerdotibus.

Audierunt Pharisei turbam mussi-
 tantem hæc de illo: & miserunt Pharisei
 isti & sacerdotes præcipui ministros ut
 caperent illum.

Quandoquidem timor ipsos inuaserat, ne appres-
 henderent Christum, cõductis ministris, uel missis suis,
 conati sunt Christum in uincula conijcere. Audiere tur-
 bam non libere dicentem, sed mussitantem: unde Pha-
 risei multo magis commoti sunt. Videbatur illis indig-
 num sua religione, si permisissent tantam blasphem-
 iam, ut ipsis uidebatur, impunitam. illi qui sibi pers-
 suadent se esse religiosos, & charitate destituti sunt,
 magis scire solent.

Dixit ergo illis Iesus; Sum uobiscum
 adhuc

adhuc paruo tempore, & uado ad eum qui me misit. Quæretis me & non inuenietis: & ubi ego sum, eò uos non potestis uenire.

Aliud miraculum interserit, nempe quod Christus cognouit arcanas cogitationes Iudæorum, & quam ob causam missi essent sacerdotum ministri, nempe ut ipsum caperent.

Adhuc.) Iam uobis non permittitur, ut me capiat, sed quando uenerit hora mea. Igitur ne nunc laboratis, ne sitis solliciti, hoc uobis non continget. Iam non morior, neq; ero captiuus uester: quamuis pusillum sit adhuc tempus &c.

Vado.) Ad Deum qui misit me. Videte igitur quantum facinus perpetratis occisuri me. Id est, sponte uadam, non uiolentia uestra me poteritis ad mortem trahere, & me inuoluntarium.

Quæretis.) Hæc oratio uidetur mihi esse prouerbialis, de ijs qui morituri erant. Nam nemo qui uiuit sequitur mortuum: nõ possumus uiuentes uenire ubi sunt mortui. Vnde etiam infra in 13. cap. Christus eadem uerba repetit: Quæretis me &c. Solent hunc locũ de Iudæis exponere, quod non potuerint uenire ubi fuerit Christus, id est ad illam gloriam Christi. Apostoli ad eandem gloriam peruenerunt. Nam mox: Sequimini &c. Ideo nihil aliud hoc loco accipio, quàm, Planè mo

riturus sum, ut non iam uos qui uiuitis poteritis me inuenire & sequi. quasi diceret: Ita est, iam sum inuisus oculis uestris, breui abripiar per mortē à uobis, si etiam maxime uelletis me, ut adsum uobis, ut uideatis miracula: iam abero, & ita abero, ut nemo uestrum possit ad me pertingere. Illa expositio simplicior. Alij aliter interpretantur. Iam, si placet, ista uerba referte ad ea quae populares locuti sunt de miraculis Christi. Vbi signum Ionæ prophetae inter miracula ponit, uidetis illud commendari, quandoquidem illi à miraculis cognouerunt Christū. Et uult potissimū ab hoc cognosci, ut sciamus non solum eum mortuū & suscitātū, sed etiam pro salute nostra mortuū, ut iustificationē esse sciamus nostrā. Verus est sermo Christi, quando dicit: Adhuc parum. Nonne semper ubiq; Christus est iuxta diuinitatē? Testatur aut palam corpus suū non fore amplius praesens, ne quis crassum quid somniet, quasi corpus ubiq; sit, cū in uno loco Christi corpus est. Stultum glossema est. Abest quidem uisibiliter, adest inuisibiliter. Omnino corpore abfuturus erat ab eis: sed animo poterimus semper habere Christum praesentem. Sed quae animo complectimur, ea non replent locum, neq; circumscribuntur. Possumus praesentia nobis facere, quae nondū sunt, sed futura. Sed non idem de Christo est, quia sua gratia adest suis: neq; est diuinitas à corpore sic separata, neq; corpori nouum locum circumscribendum &c. Quia
 sit 160

fit uenire ad eum qui misit, in alijs locis habetis. Exin-
 niuit se, seruiuit nobis in hoc seculo, fuit seruus noster:
 ubi surrexit, redit ad ipsum qui misit cum humanitate,
 & gloriæ eius particeps fuit. Non sine miraculo Chri-
 stus Deus & homo, uere tentatus ut nos &c.

Non potestis.) Cæteri qui moriuntur habent su-
 am congregationem, suam paradysum. Fideles quiete
 uicturi sunt, infideles secum habent uermem suum. Chri-
 stus in summa gloriâ. Pij ad eam gloriâ ibunt in qua
 Christus est.

Itaq; Iudæi dicebant inter sese: Quô
 hic iturus est, quod nos nō inueniemus
 illum? Nunquid in dispersionem Græ-
 corum (uel paganorum) perrecturus est, &
 docturus Græcos? Quis est ille sermo
 quem dixit: Queretis me & nō inuenie-
 tis, & ubi ego sum, eò uos non potestis
 uenire?

Videte, quamuis sermo ille alijs non admodum in-
 cognitus erat, tamen semper Iudæi apparent crassio-
 res: nihilominus tamen Deus uoluit per os eorum my-
 steria reuelare, ut postea per Caiapham. Non intellige-
 bant de morte, dicebant:

Dispersionem.) Id est, Ibit ne ad cæteras gentes?
 Hoc planè futurū erat, sicut coniectabant secū, & erat
 docturus gentes, quia Iudæi querebant occidere Chri-

strum, et repugnabant spiritui sancto. Indigni posthac erant tanto magistro: unde apostoli relictis Iudæis conuerterant se ad gentes: tamē Iudæis principio erat prædicandum. Iudæi præsentiebant hoc etiam ex prophetis, Christum futurum expectationē gentium. Ex Daniele sciebant res suas esse dissipandas. Occæcatio Iudæorum, illuminatio gentium. Aliquo modo hoc Iudæi sciebant. Vnde hoc quod à suis sciebant, suspicabantur. Neq; poterant sibi polliceri mortuum Christum resurrecturum: nihil talium ueniebat in mentē: unde patrum docti de hoc mysterio, talia dicunt.

In nouissimo autē die magno festi stabat Iesus ac clamabat, dicens: Si quis sitit, ueniat ad me & bibat. Qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de uentre illius fluent aquæ uiuæ. Hoc autem dixit de spiritu, quem accepturi erant credentes in illum. Nondum enim erat spiritus sanctus, quia Iesus nōdum erat glorificatus.

Mirari quis posset, quomodo illa uerba superioribus cohæreant: sed tenete scopum. Vult nos docere ut ipsum agnoscamus & miracula discernamus: unde docet quid uere faciat hominem à Deo doctum. Nouissimus dies magis cæteris festiuus, cum iam soluendæ festi-

riæ, nimirum in maxima hominum congregatione.

Clamabat.) Vnde indicium est, admodum memorabile esse dictum, ut possit à cæteris conspici & commodius audiri. Stetit, non sedit.

Si quis.) Si quis ueritatis est sitiens, salutis, uitæ, & beatitudinis, ita ut sedat desiderium suorum affectuum, ueniat ad me & bibat. Si quis à Christo ipso uere doctus fuerit, & agnouerit illum filium Dei, æternam sapientiam, qui se humiliavit propter nos, ille bibat de fonte illo, ut omnia desideria sua satientur. Quis uenit? quis bibit? nimirum is qui credit in me, ille uenit & bibit. Petimus salutem à Deo: sed cognito Christo, scimus exauditas esse preces nostras. Credimus in Christum, tanquam in redemptorem & reconciliatorem: in quem si non crederemus, nunquam affectus nostri satiarentur: ubi autem crediderimus, ut in 6. cap. audistis, iam planè satisfit nobis, & erimus edocti, ita ut etiã alios postea possimus docere. Sed non fit hoc nisi per spiritum sanctum, ille uere docebit. Nam ita persistit in sua parabola. Alibi, Ego sum uia, ueritas, & uita. Vbi igitur uere credimus, bibimus, & anima nostra refrigeratur, ut amplius non sitianus, sed potius prorumpemus ut alios doceamus, & non confundemur annunciare Christum. Credens in Christum, non pudebit ut annunciet Christum: qui plenus hoc fonte scientiæ Dei, ille eructat flumina aque uiuæ. Non est autem crasse intelligendum. Ex

A N N O T. I O A N. O E C O L.

uentre memoriae, ex intimis: nihil erit ibi fucatum, nihil plenum hypocrisis. Confessiones istae quibus confitemur Christum, istae procedent ex intimis, ex puro corde. Per uentrē intima intelligimus. Vbi habetis: Sicut dicit scriptura: sunt quidam admodum anxij, ubi scriptura haec dicat. Sed non inuenietis locum: sententia autem ubiq; adest. Psalm. Credidi propter quod locutus sum &c. Et innumera alia loca. Hoc quidem in omnibus pijs est & fidelibus, sed excellenter in apostolis ea uirtus Christi declarata fuit in Pentecostes die.

De spiritu.) Exponit seipsum. Hoc praecipue manifestatum est postea in apostolis. Capto Christo Petrus negabat, etsi praesente Christo audax esset, sed in Pentecoste uirtutē dei induit &c. Videte Erat. Si quis cōtentiosus, diceret, aliquando spiritus sanctus non erat. Sed dona spiritus sancti ipsum spiritū sanctū dicimus, quae debebant dari post Christū passum & exuscitatū &c.

L E C T I O X L I I.

Vltimam istam uocem dominus clara uoce protulit in templo. In nouissimo die. Memorabilis planē sententia & tota euangelica, quae summam Christianae uitae paucis perstringit. Vocamur ad Christum, cum siti & desiderio: nisi excitatus fuerit in nobis affectus & desiderium, nequaquam bibemus, & nequaquam ueniemus ad illum. Indicatur Christus ipse, quod sit seruator noster, qui expleat omnia desideria nostra.

Supra:

Suprà: Panis uitæ. In religione nostra potissimum requiruntur, fides & charitas. Charitas fidem sequitur. Venientes ad Christum, fideles efficimur: deinde operante in nobis spiritu sancto, alios etiam ad gloriam Christi prouocabimus. Quando dicit: Flumina de uentre: Euangelista noster hanc sententiam ut obscuriorem explanare dignatus est.

De spiritu.) Nuper etiã indicauit illa potissimũ de apostolis exponi, in quibus maior aquarũ uiuentiũ uis, & amplior fides, & efficacia spiritus sancti, q̃ in alijs. Is enim cuiq; pro sua portione distribuit, alteri plus, alteri minus. Apostolis quinq; talenta erant cõmittenda, quippe per totum mundum predicaturi: quid mirum dominum illos magis locupletari propter tot hostes?

Credebant.) Maxime in primitiua ecclesia accepturi erant dona spiritus sancti: quia hoc non raro fit, dum de donis loquitur scriptura, ut de spiritu dicatur. Si quis addictus literæ, omnino spiritum sanctum negaret, & faceret ex eo creaturã ut Macedoniani πρὸς Ἀποστόλους, negantes spiritum sanctum æqualem patri & filio. Sed infra clare multa de spiritu sancto. Ex quibus licet cognoscere, eandem esse naturam patris & filij & spiritus sancti. Quidam legunt, datus spiritus, sed textus non habet. Nam antea apostoli erant pusillanimes & segniores ad gloriam Christi annunciantiam: satis patet cum resurrexisset Christus: adeo

Cap. VII ANNOT. IOAN. OECOL.

tardi erant ad credendum &c. Vnde Christus illos ob-
iurgabat, sed accepto spiritu sancto erant prompti.

Iesus.) Iuxta humanitatē scilicet nondum resurre-
xerat, & nondum ascenderat in cœlos. Ita gloriam sus-
cepisse dicitur. Absoluta nunc hac sententia, nam redi-
turus est, & de eadem re non pauca allaturus &c. or-
tum iterum dissidium in populo: quidam credebant in
Christum, quidam omnino reiciebant. Varia iudicia
hominum cognoscere potestis ex illis, ut in sexto capi-
te in fine habuistis.

Multi ergo de turba cum audissent
hunc sermonem, dicebant: Hic est uere
propheta. Alij dicebant: Hic est Chris-
tus. Quidam autem dicebant: Nun-
quid ex Galilæa ueniet Christus? Non
ne scriptura dicit, quod ex semine Da-
uid, & de Bethlehem castello, ubi erat
Dauid, ueniet Christus?

Plures audito hoc sermone, accesserunt & confesi
sunt de Christo, alij uerum prophetam, & non sedu-
ctorem ut supra. Etsi ab hoc errore resipuerint, tamen
Christum in totum non cognouerunt. Certe non intelli-
gebant Christi uerba, alioqui quid sublimius dixissent,
sed audiebant mirabilem uim docendi. Christus doce-
bat non ut Pharisei, sed ut potestatem habens. Ideo li-
cebit

tebit Christum aestimare non ut uulgarem doctorem.
 Infrà ministri sacerdotum : Nunquã homo sic locutus
 etc. Vnde oratio Christi plena miraculis. Qui neq; insi-
 gniter boni, neq; ualde mali, ita de Christo sentiebant.

Est Christus.) Magis aspirati accesserant ad Chri-
 stum, & iam biberant non sine desiderio salutis. Iam
 fluebant flumina & c. dicentes: Hic est Christus. In hoc
 numero utiq; fuere apostoli, & Petrus, & ceteri qui
 hoc dicebant. Ita Christus uoluit nomen suum celebra-
 ri in conspectu omnium. Sed nihil illi mouebantur tan-
 to miraculo, sed magis perseuerabant in blasphemijs
 suis. Quod non scripturis refellere poterant, hoc uana
 argumentatione tentant.

Galilea.) Hi erant ex doctioribus, sed scripturis
 abutebantur. Quamuis uere scriptura ita sonat Mi-
 chææ 5. cap. ubi manifeste habemus, ut à Matthæo cita-
 tur, requirentibus Magis ubi natus etc. eo quod Dauid
 olim ibi natus erat: per spiritum sanctum prædictum,
 quomodo Christus etiam ibi nasciturus esset: hoc igno-
 rabant, et uolentes simulabant. Bene citant scripturas,
 quãdoquidẽ gloriæ Christi inuidebãt, eapropter male
 illis cessit. quasi dicerent: Vbinã habetis ex scriptura?
 Nazarenus is est, consuetudinẽ in Galilea habet. Non
 ne Michæas in Bethlehẽ prædixit? Sic quidem cõtigat.
 Sed uoluit aliquanto tempore obscurari propter Hero-
 dem, quem scimus multos perdidisse pueros. Non dili-

Cap. VII IOAN. ANNOT. OECOL.

genter inquirebāt de patria Christi: etiam de sensu scripturæ nō admodum anxij. Quamuis Christus natus in Bethlehē: sed scriptura nō sonat ut Iudæi interpretantur, quasi Christus omnem uitam acturus sit in Bethlehē, ut in Nazareth, & ut potius Bethlehemitanus quā Nazarenus diceretur. Nam certum est uenit de Galilea: sed propterea non possunt negare eum nō in Bethlehē natū esse. Illi plus tribuunt dicto Michææ, quā quod ubi habeatur inquireant. Illi citant ita, quasi Christum multo tempore uiuere illic oporteret. Præterea nusquam habent in scriptura, quod uiuere in Galilea præiudicet aduentui Christi, quin potius Matthæus ipse originem Christi ostendit fore à Neptalim: in illis enim tribubus sumpta est prophetia ab Esaia propheta. Periclitata erat tribus Neptalim & decem tribus, plus quā tribus Iuda & Benjamin: unde etiam illis tribus prius promittitur annunciatio uerbi, & manifestatio Christi: quia illi etiam prius in captiuitate. Ecce prius iste Nathanaël etiā respiciebat in Bethlehē. Nunquid à Nazareth &c. Sed idem nō fuit offensus ut isti. Respexit ad opera & uim quæ in Christo, reliqua Deo committens: dubitabat autem sicut cæteri. Voluit deus hoc adumbrare, & obscurius reddere illis ignauioribus, qui iure permittuntur, ut hac cæcitate puniantur: Deinde abutuntur scriptura.

2. Semine.) Hoc non poterāt negare, Christum de semine

semine Dauid esse. Etsi non naturalis filius Ioseph, sed ex spiritu sancto carnē nostrā assumpsit sine peccato, tamē ē uirgine Maria &c. Nō ut corpusculū fierit ali- quod antea, ipsa fouit eum, suo lacte pauit. Eam ob rem Christus nostr̄ cognatus, nobis sanguine & carne con- iunctus. Ad Ro. 1. Christum oportere nasci ex semine Dauid habemus, ut aliæ prophetiæ etiā sonant, Ponā super sedem meam &c. Videtis iterū contentionē oriri de doctrina: quid agendū est? quā accipiemus? quā rei- ciemus? &c. Prius. Nolite iuxta faciem iudicare. Si ad Christum accesseritis, & biberitis, facile iudicabitis.

Diffidium itaq; in turba factū est pro- pter illum. Quidam autē uolebant ex illis apprehendere illum, sed nullus &c.

Suprà, Pharisei conati sunt apprehendere Chri- stum: ibi eadem uerba. Quod illi non poterant, cōmita- tebant ministris: sed neq; illi ausi sunt: quod non care- bit magno miraculo diuinitatis Christi. Magnā nobis adfert fiducia, ut non capillus de capite nostro per. &c.

Venerunt ergo ministri ad summos sacerdotes & Phariseos, & dixerūt eis il- li: Quare non adduxistis illū? Respon- derūt ministri: Nunquā sic locutus est homo sicut hic homo.

Omnino Christus miraculum hoc uoluit prædicari per ministros, quo admonebantur summi sacerdotes, ut

rem penitius perspiccerent, quidnā agerent. Nam quod ipsi agnoscere nolebant, ministri nequaquā in scripturis exercitati cognoscebant, non esse uulgarē illam doctrinam: propterea etiam sacerdotes hisce dictis uidentur reprehendere. quasi dicerent: Absit à nobis tantum scelus, qui hominem innocuū, qui plus est quàm homo, cōprehendamus. Tale testimoniū Iosephus etiam perhibet. Ita loquitur non uulgari more hominū, ut planē indignum uideatur nobis apprehendere talem uirum. Quo dicto carpebant mores sacerdotū eorum, sed seruius. Nō audebant dicere prophetā uel Christum, sed solum hominem. Quamuis hęc dicta erant in laudem Christi, tamen inferiora erant quàm ut dignitas eius et uirtus merebantur: quamuis melius quàm ipsi sacerdotes, qui cupiebant Christum perdere, sentiebant. Sed unde commendant illum? A sola doctrina. Erant enim aliquo modo afflati diuino spiritu, ut non possent contradicere: minor autem confessio quàm ut decebat: cisi non possumus dicere illos fuisse sanctificatos.

Responderunt ergo illis Pharisei:
 Num & uos seducti estis? Num quis ex principibus credidit in illum, aut ex Phariseis? Sed turba hęc quæ non nouit legem, execrabiles sunt.

Christus suprā ita docuerat nos, ne secundū faciē iudicā

iudicemus, sed iustum iudicium. Videtis ut illi iudicant. Volunt uti respiciamus in principes & Phariseos, & condemnant infirmam plebem. Hoc est indignissimum iudicium, ut supra ostendit Christus. Id etiam hodie facere solent quidam sapientes huius seculi: respiciunt in principes & quosdam religiosulos, nescio quam doctrinam adeptos: sed hoc iudicium plane falsum est. dicunt: Non erit uera doctrina, si ab episcopis reiiciatur, &c. Cum autem illi homines sint, errare etiam possunt, imò contingit illos magis errare, quia honorem magis inuicem querunt, ut supra 5. cap. & mancipia gloriæ ferè sunt, ut nō inueniat ueritas locum apud illos. Sic etiam illi Pharisei solam externā sapientiam sectantur, quæ in lotionibus, uestibus, & similibus sita est rebus. Sed qui gustarunt donum illud cœleste, quiq; spiritu sancto afflati sunt, ut Matth. 11. Confiteor tibi pater &c. Qui uere humiles sunt, & ueniunt ad Christum, illi satiantur. Quod excelsum est coram hoc mundo, illud abiectum est coram Deo. Non propterea ut principes non possint esse fideles: nam Nicodemus testimonium perhibet: sed propterea non condemnemus alios propter illos. 1. Corinth. 1. Non multi nobiles &c.

Maledicti.) Iterum illi falso iudicant, quia potius ad externa respiciunt. Illi uero legem sciunt, qui mentem legis faciunt, in quibus fides, charitas. Sed illi Phariseis sunt maledicti, qui foris non apparent sanctuli,

cum illuminatissimi sint per spiritum sanctum.

LECTIO XLIII.

Docemur in hoc capite probationē spirituum, quomodo non iuxta carnem, sed rectum iudicium iudicandum sit. Vnde cum principes sacerdotum obijcerēt ministris, Num quis ex principibus credidisset in illum? statim licet obseruare quā deprauatū fuerit iudicium illorum: nō enim causam ipsam expendebant, sed magis expectabant illos, qui causae adherēbant. Turbam deo gratiore maledictā censebant. Sed nō timenda illorum maledictio. Malach. Benedicā uestris maledictionibus. Docemur item fiduciam habere in Deum, cōtemnereq; uana & temeraria illa iudicia.

Dicit Nicodemus ad illos (is) qui uenerat nocte ad illum, qui unus erat de numero illorum.

Nicodemus.) Dixerant nullos principes credere in Christum: iam ex ipso confesso prodit Nicodemus: & quamuis Christum nondum aperte fateatur, tamen non consentit iniustitiæ. Gradus quidam iustitiæ est, se non immiscere iniustitiæ, uel non adulari iniustis. Vnde si quandoq; iudices, uel alij consiliarij non possunt hoc assequi, ut innocentes omnino eripiant, uel dignitate prouehant, quod etiam ad iudices spectat, hæc ante omnia curare tamen debent, ne consentiant iniustis aliorum suffragijs. Nicodemus tener & infirmus ad
huc

huc fide (id arguit, quod noctu uenerat ad Christum colloquium habens, & die non ueniebat) clarum hic nobis exhibet specimen suae probitatis.

Vnus.) Occupabat etiam ipse iudiciariam cathedram, unus ex senatoribus. Videmus magistratus propterea non esse censendos quasi infideles, quia hanc functionem sumpserunt: quia nemo fidelior pijs principibus, modò fungantur suo munere.

Nunquid lex nostra iudicat hominem, nisi audiat prius ab illo, & cognoscat quid faciat?

Nunquid lex.) Dicit, Nunquid lex, &c. imò omnes leges nolunt iudicari quempiam in auditum, uel causa nondum satis cognita & perspecta: nam nisi causa ipsa dispiciatur, iam non iudicium, sed potius confusio & tyrannis erit, ut Esaiæ quinto habetur.

Nostra.) Religiosiores uolumus esse Romanis & Græcis, quorum leges permittunt & iubent, ut pars aduersaria audiatur. Nos iustiores cæteris: quæ iustitia nostra, si iudicauerimus hominem, quem nō audierimus? Lex habet ut nemo condemnetur nisi duobus uel tribus testibus. Deus quoque cum arcana cordium optime cognouerit, nunquā tamen iudicat, nisi crimina manifestentur. Puniturus Sodomitas dixit: Videamus an opere compleuerint. Item confusus linguas Babel, descendit cum angelis. Scriptura hæc ideo pos-

nit, ut quoties pœna sumenda sit, deceat ut causa factis dispiciatur. Non uidebatur ibi excusare magnopere Christum, sed fouere iustitiã. quasi diceret: Fieri potest ut peccarit homo ille, neq; absoluerim illum neq; condemnarim: etiam si sit pessimus, meretur tamen prius audiri quàm condemnetur.

Responderunt & dixerunt illi: Nũ & tu Galilæus es? Scrutare & uide, quod à Galilæa propheta non surrexerit. Et ambulauit unusquisq; in domũ suam.

Nicodemus nõ iudicabat secundum faciem, sed causam ipsam, & modum tractandæ causæ: per quod significabat, ut nemo iudicaretur absq; testibus.

Nunquid.) Videte iterum illos secundum faciem iudicare: Christus prophetam se dixit, ex Galilæa uenit, propterea falsus propheta est. Condemnant ob patriam. Est æque ac si uelim Scythis negare sapientiã, & solis Græcis tribuere, ut quidam solent nõ suæ nationis homines Barbaros uocare. Scythia suũ Anacharsim & suos alios protulit. Nulla tam inculta terra, quæ non suos uiros proferat. Et nulla tam fecunda ingeniorum, quin habeat suos stultos. Ob id stultum est ab externis æstimare hominem. Ita Iulianus Apostata Christum Galilæum uocat, & Christianos Galilæos.

Scrutare.) Heri tractauimus istum locum, quare nam Iudæi tam constanter negarint, nullos prophetas

ex Galilea surgere. Carmelus seracissima terra prophetarum. Carmelus attingit aliqua ex parte Galileam. Arguunt igitur Nicodemum istum tanquam imperitum hominē. Id est, nescis quidnam uelint scripturæ: non inuenies in scriptura prophetā surrecturum &c. Verum est, Christum nasci oportebat in Bethlehem, factumq; est. Esa. 9. apparet Christum debuisse initium habere suæ prædicationis in Galilea gentiū. Videmus hic etiam quanta opus est cōstantia, ijs qui nonnunquā reipublicæ præsunt: quamuis pie consulant & sancte, tamen semper sunt qui obsistant & in peiorem partem interpretentur: ideo patientia opus est. Vt Nicodemū legimus non amaris uerbis respondisse Iudæis, ita & nos agamus, in rebus aut diuinis aut nostris.

In domum.) Quasi diceret, ita dissipatū est consilium illorum. Vide q̄ facile momento conatus impiorū irritantur. Ille nondum probe defenderat Christū, mox illi turbati & inquieti. Hoc etiam hodie accidit. Nec dubitemus de misericordia dei: quamuis fremant gentes, (Psal. 2.) tamen in coelis est, qui irrisurus est illos.

CAPVT VIII.



Iesus autem perrexit in montem oliuarum, & diluculo iterum uenit in templum, cunctusq; populus uenit ad illū, & sedens docebat illos.

Ca. VIII ANNOT. IOAN. OECOL.

Sæpius etiam aliàs indicauit uobis, duplicem uitam Deo placere: theoreticam uel contemplatiuã, & practi-
cam, quæ in operibus consistit. Nunquam oportet uitam nostram esse ociosam. Et uitas illas duas nequaquã seiungi conuenit. Quandiu uiuimus super terram, ita dediti sumus cõtemplationi, ut seruiamus tamen proximo. Nemo sibi ipsi uiuat. Et ita proximo seruiamus, ut certis temporibus nihilominus precibus uacemus & cõtemplationi, gratias agētes Deo pro beneficijs exhibitis. Absq; diuinis uiribus nihil proficiemus. Itaq; Christum exēplar proponit nobis Euangelista. Docuit per totū diem, uespere in montē oliuarum perrexit. Quid ibi factururus, nisi ut more solito oraret? non ut ipse precibus opus haberet, sed ut exemplū nobis præferret, memores ut essemus etiã nos conuertendo tempore debito ad Christū & orare: nam necesse est ut infirmitatē nostrā agnoscamus, et à deo petamus, quæ postea populo sunt ministranda. Nō opus est ut multis uerbis explicemus nescio quid de monte Oliueti: quia nō ob aliã causam accessit Christus huc, q̄ ut in quiete oraret. Et uidetis quod iterum redit ad practicen, nempe ad opus.

Templo.) Vbi erat conuentus populi. Nolebat in tenebris & angulis docere, & obscurioribus locis: sed ut omnes uiderēt, quā nihil metueret Phariseos. Quamuis sciret meditari illos mortem eius, redijt tamen eadem fiducia, qua prius. Videamus interim dilegentiam

gentiam, quia primo mane uenit, id est diluculo, quod tempus doctrinae etiam aptius est.

Omnis pop.) Etiam contradicentibus pontificibus & sacerdotibus &c. Ea quae sequuntur de muliere adultera, apud quosdam non habentur. Sed nihil periculi est in illa lectione: alioqui alia pulchre cohereret, & quae sequuntur à nostro instituto non abhorrent. Redit ad illud, ut discamus agnoscere inter uarias doctrinas. Etiam modum iudicandi hic uidemus, ne simus temerarij. Hi iudicent quibus commissum est. Neque sumus seueriores in puniendo eos, qui minus peccauerint.

Porrò scribae & Pharisei afferunt ad illum mulierem in adulterio deprehensam: & cum statuissent illam in medio, dicunt illi: Praeceptor, ista mulier deprehensa est in ipso facto, adulterium committens. In lege autem Moyses praecipit nobis, ut huiusmodi lapidarentur. Tu ergo quid dicis?

Praeceptores, & quotquot docere uoluerint Christum, ne putent absque tentationibus se posse diu officio suo fungi: nam & Christus ipse uarijs modis tentatus est à scribis. Sequitur enim: Dicebant tentantes illum. Apprehenderant mulierculam adulteram, in hac uolebant suam ostendere sanctimoniam, si exaggerassent

peccatum illius, & mansuetudinem laudassent Christi. Nam si Christum minus mitem cōperissent in sermone suo, potuissent uulgo persuadere, ipsum nō esse uerum Christum. Si Christus simpliciter absoluisset mulierem illam oblatam, iam dixissent contemptorē legis. Si condemnasset, dixissent esse durum & minus mansuetum. Certum est, crimen hoc nō esse paruum, ubi homines fidei suæ obliuiscuntur. Si Paulus Corinthium carapit scortatorē, quanto magis adulterū? Apud Mosē uindicta est lapidationis, tam adulteri quā adulteræ. Sunt autē alia crimina apud deum longe grauiora: nā spiritalis superbia, & auaritia, nōnunquā intolerabiliora sunt. In carnalibus peccatis uidetur esse aliquid ueniæ, propter infectam carnem: in illis autem nulla.

Statuissent.) Dant Christo honorem ut iudici.

Præceptor.) Quid de illa pronuncias? quam sententiam fers? Certe Mosēs præcepit lapidare talem. Videtis hic exaggerari crimen. Ita deprehensa est ut non possit excusari. Adiungunt præterea legem.

Hoc autē dicebant, tentantes illum, ut possent accusare illum.

Suprà dixi, quomodo tentauerint Christū, ut possent illum accusare, immansuetum & inimicum legis Mosaicæ: quandoquidem uidebant Christum nonnunquam interesse conuiujs publicanorum: & etiam audissent, scorta Phariseos præcedere in regno cœlorū,
& facile

et facile persuadebant sibi illum eam absoluturum. Sciebant Christum non esse iudicem ordinarium, cuius officium de hac re pronunciare. Deinde cum essent maiora crimina illorum, non erant tamen memores.

Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Cum ergo perseverarent interrogare, erexit se, & dixit eis: Qui uestrum immunis est à peccato, primus in illam lapidem iaciat.

Cum tentaretur hoc modo Iesus, principio memor fuerat sui officij. Etsi omne iudicium sibi datum à deo, attamen non in mundum uenit ut condemnaret, sed ut saluaret. Iudicium functione subeant ij quibus demum datum est: ceteri à iudicijs abstineant. Christo tunc aliud munus erat: debebat predicare, quod uenisset ad saluandos homines. Proinde non decebat ut Christus ibi iudicaret: propterea nolebat agnoscere se iudicem. Vnde Catabaptistae indocti citant hunc locum, pro errore suo defendendo. Si uellent scripturam omnem percensere, inuenirent Christum seuerum. Quare non inducunt templum euacuasse, et arbori maledixisse &c. Vult ut ceteri à temerarijs iudicijs abstineant, sed quibus commissum est id officij, fungantur illo sedulo.

LECTIO XLIII.

Quamuis Christus non uenerit in hunc mundum, ut iudicet, sed ut saluet, ut doceat, ut patrem

nifestet: Iud. ei tamen tentandi gratia adduxerūt illi mulierē in adulterio deprehensam, & accusarunt illam, si fortē iudicē Christus sese declarare uellet. At Christus nolebat alieno munere fungi: quamuis sit iudex omnium, tamē non uenerat iudicare. Verum illi quia Christū ut iudicē accesserunt, experti sunt eum uerissimū esse iudicem cordium, cui omnia arcana manifesta sunt. Exemplo sit Christus, ne aliud officiū agamus, q̄ quod deman datum est. Ne iudicemus cum à nobis non requiratur. Ita inter fratres nolebat iudicare. Ita ne saluent in uia &c. Nō ut malum sit, sed ne morā traherent, ne alienis negocijs se implicarent. Præterea incertū est quidnam Christus in terram scripserit. Quidam, quod peccata accusatoribus, ita ut ipsi sese cognoscere. Alij ut memores essent sui terreni corporis, ut sic deterrentur ab accusatione. Nam qui seipsos peccatores agnoscunt, facile alijs condonant. Arrogantia & superbia certissimum indicium est alios iudicare, & signum quod sublimē de se sentiat. Admonet illos etiam suæ cōditionis. Oportebat illos admonitione Christi desistere ab accusatione: sed non sinebat inuidia, qua ferebantur erga Christum: obsurdesebant & excecabantur. Perma serunt igitur interrogantes quid illa meruisset.

Sine peccato.) Quasi diceret: Planē crudeles estis, non agnoscitis uos esse peccatores. Et siquidē de nocentissimis iudiciū est, uos primi omnium essetis plectendi.

di. Mimis est: uoluit indicare eos grauioribus peccatis
 esse obnoxios, ut superbia, & alijs spiritualibus uitijs.
 Nolumus tamen extenuata esse carnalia peccata. Sunt
 qui sumunt occasionē damnandi magistratus, quod nul-
 lus mortalium sit absq; peccato, propterea nullus possit
 fungi iudicandi officio. Vel etiam abutuntur hoc dicto
 contra reges & iudices, qui nonnunquam criminibus
 obnoxij sunt, & tamen alios condemnant. Atqui hæc
 non est sententia Christi: non enim loquitur magistra-
 tui, sed ijs qui temere accusabant apud se. Impellere
 Christum conabantur, ut alieno officio fungeretur. Ita
 admonentur isti, ne tam temere accusent uel condem-
 nent. Non dicit, qui absque reprehensione est, ut Pau-
 lus, ἀνεγλητός episcopus sit, &c. Nam omnes na-
 ti sumus in peccatis, & quotidie peccamus: & si à cri-
 minibus pleriq; immunes simus, tamen uere non pos-
 sumus gloriari. 1. Ioan. 1. Si dixerimus peccatum non
 habemus &c. Paucis: hæc sententia cōspectat, quod
 illi admoneantur ne temere accusent, sed potius primū
 seipsos emendent. Trabem in oculis, & cætera. Nolite
 iudicare. Luc. sexto. Non poterit quis eo loco omnia iu-
 dicia è medio tollere. Scimus mundum non posse absq;
 magistratu subsistere. Ut non absque esu & potu &
 alijs rebus uiuimus, ita nec mundus absq; magistratu.
 Et si iudex impius sit, & iuxta legem iudicat, eius sen-
 tentia ualida erit: quia non iudicat ut priuata persona,

sed ut publica: quamuis apud Deum non erit excusatus propter peccatum suum, sed grauius subibit iudicium. Discimus, ne sumus faciles in carpendis alijs. Sicut indignum est uindicare iudicis officium, cum non fueris electus, uel inuadere regnum per tyrannidem: ita multo magis ne de internis iudicemus hominem, & facile audentatemus: quia Dei est, quod quis peccarit in spiritum sanctum. Sunt nonnunquam coniecturae quaedam, sed nobis nihil certum est: solum iuxta externa iudicamus. Quia cum quis per occasionem communicare, misericordiam exercere nollet, &c. planè illi nihil deest, quantum conijcere possumus. Qui repugnat ueritati & persequitur fratres, profectò seipsum prodit suo opere: quamuis cor illius nō iudicemus, opera tamen ostendunt illum nō esse nunc fratrem, sed membrū malum. Erat igitur iusta admonitio Christi.

Et iterum se inclinans scribebat in terra. Audientes autem hæc, singulatim alijs post alium exhibant, initio facto à senioribus.

Secundo scribit Christus. Putant quidam quod eadem scripserit, quæ & antea, fortassis nunc adiuncta poena & terrore quodam: alioqui ad simplicem admonitionem uix destitissent ab accusando: sed cum intellexissent sibi imminere iudicium, & Christū corda nosse eorum, ut ferè Euangelista in omnibus, Christum, ut

Deum

Deum agnoscentem omnia, adducit, tacent. Proinde etiam hoc miraculum tanquã diuinum censendum est.

Vnus.) Nimirum territi secum in conscientijs suis, quare illam accusassent, cum illi grauioribus peccatis essent obnoxij.

Et relictus est Iesus solus, ac mulier in medio stans.

Abeunt Pharisei. Christus (quandoquidem nullus erat absq; peccato præter Christum) solus relinquitur. Etiam adstabat misera mulier male sibi conscia &c.

Cum autem erexisset se Iesus, & neminem uideret præter mulierem, dixit ei: Mulier, ubi sunt illi tui accusatores? Nemo te condemnauit? At illa dixit: Nemo domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemno. Vade, & posthac ne peccaueris.

Antequam Christus mulierculam dimittit, prius eandem etiam examinat, cum omnes alij abiissent & periclitaretur mulier.

Accusatores.) Vides accusatores tuos esse cõfessos? nullus te condemnauit? Interrogatiue dictũ est. Est quis qui te condemnauit? Discas tu quid sit homo. Seueri erant: cum admoniti fuere, cessarunt ab accusatione. Disces igitur beneficium meum.

Nemo.) Christus noluit cuiuspiam auctoritatem imminuere. Noluit illam absolvere simpliciter: querit an sit condemnata. Si fuisset à iudice condemnata uel ab illis, non sic simpliciter absoluisset illam Christus. Accusata quidem fuit, neq; condemnata: ideo Christus dixit, non ero cæteris durior, uade, ne amplius pecca. Hoc est iudicium Christi, ut cessemus à peccato. Hæc est pœnitentia, quam huic mulieri præscribit, ut respiciat. Dixerit quispiam, impossibile est non peccare hominem. Sed ne peccemus, ut desit locus ueniæ: enitiamur omnibus modis ut innocentissime uiuamus: mortificemus membra quæ super terram sunt. Christus nõ uenit condemnandi gratia, sed potius nos liberandi. Vnde bona spes est peccatoribus. Nam si etiam huic adulteræ annumerati fuerimus, confidamus in misericordiam Dei: & nos si à peccatis cessauerimus, ad Deumq; conuerterimus, non condemnabit. Hucusq; historia de adultera muliere, quæ à plerisq; creditur esse inserta, tamen nihil indignum in hac legitur.

Iterum ergo Iesus locutus est illis, dicens: Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen uitæ.

Respicite initium huius capituli, ubi legimus Christum mane factò in templum esse ingressum. Mos est Christi undecunq; accipere occasionem, ut qui ueritas
tis autem

nis auidi sint, prouehantur ad maiora. Cum iam oriretur sol, sumpta occasiōe à luce quæ irradiabat, ostendit se ueram lucem esse. Sicut alibi ad panem cœlestem, ad aquam uiuam, ad nuptias: ita hoc loco ab irradiatione lucis uel solis. Et poterit interim illud etiam contigisse de muliere adultera. Absq; dubio etiam Christus multa alia locutus est, sed Euangelista noster solum prægnantiores sententias scripsit.

Locutus.) Vt superioribus diebus manifestauit se, ita nunc quoque absque omni metu Pharisæorum libere locutus est.

Lux.) Ego sum uerus sol. Omnes tenentur desiderio dici. Grauisimum est sedere in tenebris: multo grauius sedere in tenebris mentium, id est, in erroribus, ignorare Deum, nescire discernere inter bonum & malum. Ita homini dignitas eius surripitur. Nihil superius in homine, mente. Veritas luci assimilatur. Veritas summum bonum. Cognitio ueritatis utique habenda pro summo bono. Ioan. 17. Hæc est uita æterna &c. Planè decebat ut se manifestum faceret.

Sequitur.) Qui in tenebris errant, offendunt in nocte, impingunt in lapides, cadunt in foucas. Sed cui est lucerna uel lumen, quod repellit tenebras, ille securus ambulat. Si quis Christum cognouerit & ambulauerit in præceptis eius, is habebit uerum lumen, & nequaquam sentiet incommoda errorum, cum alij in

uaria peccata corruant.

Me.) Id est, præcedentem illam lucem. Ita præcessit angelus in columna populum Israël exeuntem ex Aegypto. Erat columna ignis per noctem ad illustrandum exercitum. Sic Christus nobis angelus est, quem sequi debemus, qui ducit in uitam æternam. Pastor est noster: decet ut oues pastorem sequantur. Qui agnitione Christi affecti fuerint, possunt dijudicare. 1. Cor. 2. Spiritualis omnia dijudicat. Necessè ut lux ista in cordibus irradiet, ne terrena cœlestibus præponemus. Nihil præferendum Deo, nihil diligendum supra deum. Ex obedientia Christi discimus, quomodo debeamus etiam nos humiliare. Apertissimum testimonium Christum Deum esse. Pater lux, filius lux, spiritus sanctus lux. Ut sol totum orbem illuminat, ita Christus. Ioan. 1. Nulla uero cognitio est absque Christo.

Dixerunt igitur Pharisei illi: Tu testimonium perhibes de teipso, testimonium tuum non est uerum.

Ecce iterum nouã contentionẽ Pharisæorum, quæ tamen à scopo nostro nequaquã abludit, nempe de diiudicatione doctrinarũ, de qua nobis sermo est. Censent autem Pharisei, omne testimoniũ quod quis de se fert, despectum esse, quasi à spiritu gloriationis proficiatur. Sicq; Christi dictum cõsutare nitebantur. Planè nisi Christus fuisset filius dei, peccasset, si hoc de se dixisset.

set. Sed necesse fuit ut illud de se diceret cum lumen esset. In Prouer. legimus: Laudet te os alienum. Se ipsum laudare insipientiæ signū est, nisi magna necessitas urgeat. Ita 2. Cor. 11. Paulus insipientiā uocat, ubi loquitur de dignitatibus suis: coactus tamen erat propter pseudoapostolos, quanta passus esset enarrare. Alio qui ubi necessitas non urget, signum est philautiæ. Nostra necessitas hoc ualde postulabat. Nonne sol poterit de se perhibere testimonium quod sit uera lux, absque omni suspitione? Ita Christus poterat dicere &c.

LECTIO XLV.

Christus docens in templo, bonis & malis loquitur, nō tamen idem omnibus apparet. Alij enim multum consolationis accipiunt ex uerbis eius, alij etiā offenduntur. Quid gratius dici poterat pijs, q̄ Christū esse lucem mundi, per quem ipsi illustrarentur, sicq; illustrarentur, ut uitæ æternæ fierent participes? Verum Pharisæi etiam hoc dicto offenduntur, quia Christum nesciebant: dicunt, testimoniū &c. quod est, nemo sui ipsius idoneus testis est. Planè summa impudentia est gloriari, nisi coactus. Sed Christus ob id facit, ut certi essemus Christum esse promissum. Quis recepisset illum, si se negasset minimo uerbo esse filium Dei?

Respōdit Iesus & dixit illis: Et si ego testimonium perhibeam de me ipso, uerum est testimonium meum, quia scio

unde ueni, & quô uado. Vos aut nescitis unde uenio, & quô uado. Vos secundum carnem iudicatis.

Fide digni sunt & ueraces hi, qui rerum suarum optime conscij: qui uero ignari rerum, nequaquam. Iam Christus cum optime nosset à quo recessisset, ideo dignissimus fide. Exempli gratia: Si à rege ueniret ad nos legatus quidam humili uestitu, cum alij contradicerent ob humilem uestitum, nihilominus ille sciret cuius mandato adesset: sciret etiam quantum præmiuum promissum, si legitime munere suo fungeretur. Quod si se negaret esse legatum regis, utiq; testimonium illius multum prærogaret legationi. Ita cum Christus missus à Deo dicit:

Et si.) Id uos planè ignoratis. Maximã Dei charitatem ignorabant Iudæi. Sciebat se exiisse à patre, propter charitatem erga humanum genus, ut nos redimeret: quid sibi mercedis repositum sit, & quantus fructus, nempe quod esset adorandus cum patre, & ecclesiam suam collecturus, & cætera. Solum Iudæi externam carnem spectabant, quia Christus esuriebat, comedebat, & c. omnia patiebatur ut nos homines: neque illi latentem in ipso perpendebant diuinitatem: igitur iudicium illorum erat planè uanum. Si illa animaduertissent, quô uocaret etiam inuenissent, quæ prophætæ præcedentes docuerant.

Ego nō iudico quenquā, porrò & si iudicem ego, iudiciū meum uerum est.

Ita malo coniungere hæc uerba. Ego nō iud. id est, etsi ego iudicarem, uerum iudicium iudicarem: uos quidem iudicatis secundum carnem: ego iam licet possem omnes iudicare, tamen non iudico. Non ueni nunc in mundum, ut iudicem, ut potestatem à patre traditam declarem, ut posthac facturus sum: & si redderem unicuique pro meritis suis, uere iudicarem. Vel: Ego nulum iudico (ut cohereat superiori) id est, non glorior in meipso. Sed magis arridet prior sententia.

Quia solus non sum, sed ego & pater qui me misit. Quin & in lege uestra scriptum est, quod duorum hominum testimonium uerum est. Ego sum qui testimonium fero de meipso, & testimonium fert de me qui misit me pater.

Nihil arbitremur esse superfluum quod gloriam Christi manifestat: licet uideatur hic ingeminare uerba, sed nihil absque utilitate.

(Solut.) Vos existimatis me esse hominē purum, & quales uos estis: non sum solus: ne iudicetis igitur secundum externum hominem, sed ego sum & pater qui me misit. Nō est intelligendum more Patrispassionum. De hoc errore lege Augustinum in 8. Ioan. ca.

pite. Sat testimonij habemus de misso filio. 10. 3. Sic dixit deus mundum. Et: Proprio filio non peperit deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Similiter in Iordane pater testimonium perhibuit, & in monte Thabor. Cauendum tamen omnibus modis erit nobis, ne personam illam separemus in duas: personam inquam Christi: uel naturas confundamus in Christo.

Duorum.) Id est, habetur fide dignum. Fieri tamen potest, ut duo homines mendaces sint, & multa etiam millia: sed ad condemnandum aliquem, si iudex per testes instructus & eruditus fuerit, poterit duorum hominum testimonio confirmatus, sententiam ferre contra aliquem. Ita ubique lex nihil uoluit, nisi quod satis manifestatum erat, condemnari.

Ego sum.) Christus dicit: Ego, &c. Quandoquidem hæc loquor uobis, & pater uel ipsa diuinitas, à qua missus sum, quæ in me habitat, per ipsa opera testimonium perhibet de me. Infrà: Qui uidet me, uidet & patrem. Nimirum propter opera quæ diuinitas in Christo operata est.

Dicebāt ergo illi: Vbi est pater tuus?

Videte crassas mentes Iudæorum: cum ille de cœlesti patre loqueretur, illi intelligebant de Ioseph carnali patre: ut hodie, si quis de æterna generatione Christi apud Iudæos loqueretur. Non interrogabant de deo, ut infrà. Ignorabant quod diceret ipsis patrem Deum

neq;

neq; cognoscebant nunc. Erant igitur crassiores. quasi dicerent: Tu es testis unus, ubi est alius? Fortassis etiam hinc mouebantur: Duorum testimonium &c. Proster alium hominem. Sed erat argumentum à minori ad maius. Si duorum hominum testimonium uerum est, quantum hominis & Dei? uel patris & filij? ut nemo possit refellere. Vnde hoc planè alludit ad id quod dixerat, hominum duorum testimonium uerum est.

Respōdit Iesus: Neq; me nostis, neq; patrem meum. Si me nouissetis, & patrem meum nouissetis.

Iudæi putabant se belle intelligere, quæ Christus dixerat, fortassis ut sumerent occasionem accusandi Christum, qui tanta de se diceret.

Neq; me.) Crassam mentem arguit eorum. Cognoscere filium, adfert cognitionem patris, ut uicissim cognitio patris, cognobilè facit filium. Quisquis ignorat quanta charitate Christus apud nos egerit, is planè neq; charitatem patris agnoscet. Qui autem Christum uere cognouerit, quod ille propter nostram salutem uenerit, is accepto spiritu Dei patrem agnoscet. Illo non cognito, impossibile est patrem uere agnoscere. Ita necessum desperare, quibus filius se non reuelauerit. Ea peccati grauitas, ut semper terreat hominem, ne possit sibi beneuolentiam à Deo promittere. Quid pro peccato potest homo dare, etiam pro minimo? Po-

ne ob oculos peccatum, uenit iustitia, maiestas dei, etc. Vbi autem Dei benignitas cognoscitur, quod Deus bene uult humano generi, quod filium Deus misit in mundum, & c. ibi uere cognoscitur pater, eiusq; misericordia. Omnia in Deo incomprehensibilia, sed sunt quaedam nobis reuelata per filium.

Hæc uerba locutus est Iesus in gazophylacio, docens in templo, & nemo apprehendit illum, quia nondum uenerat hora illius.

Verba illa plena magna libertate, dicere se esse filium Dei, lumen mundi, & præterea Iudæos reprehendere, quasi Deum patrem ignorent, quod summe eos male habuit, nam ita conserebantur cum paganis. Gazophylacium, locus ubi thesauri reponerentur. Erant quaedam ædicule paratæ in hoc, ut thesauri ecclesie illic reponerentur, & erat locus amplus. Abundabant multa pecunia, ut in 3. Machab. & Iosepho apparet. In loco illo magis publico Iesus docebat. Videte, uix aliud mysterium maius, quàm Iesum esse filium Dei. Hoc non in angulo, sed in templo confirmabat testimonijs, & c. Non præterea censendum est, quod solum paucula ista uerba docuerit.

Nullus.) Etiam hoc inter miracula ponit, cum conspirauerint in mortem ipsius. Tanta maiestas illius.

Quia nondum.) Hoc supra quoq; exposuimus.

Voluit

Voluit enim Christus non quando Iudæis uidebatur mori, sed quando sibi placebat. Sed postquam satis do-
cuisset, tunc accessit sponte ad mortem.

Dixit ergo iterum illis Iesus; Ego uado & quæretis me, & in peccato uestro moriemini: quô ego uado, uos non potestis uenire.

Sicut Christus ante. iucunda prædixit pijs, ita impijs quoque grauiam minatur: sicq; prædicit mortem, ut illa alijs cohercant, ut prius. Certum est Iudæos aliquid attentasse, uel ad minus hoc in cordibus concepisse, quo modo apprehenderent eum: unde cogitationibus eorum, quia Christus arcana cordium sciebat, respondit. Quasi diceret: Video que sit mens uestra, cupitis me apprehendere: sed breui futurum est me mori, sed maximo uestro malo. Non uultis ambulare in luce, ambulabitis in tenebris, & nunquam ad eam gloriam uos uenietis. Suprà eundem morem loquendi habuistis: Ego uado &c. Dixi esse serè prouerbialiter dictū. Interferit hic, In peccatis. Non solum dicit se moriturum, sed prædicit Iudæis ipsum ad mortem quærentibus supremum exitium. quasi diceret: Vos etiam moriemini, id est, in maximam uestram poenam.

Non potestis.) Ita Christus indicat ipsis, quod sciat arcana cordium. Ex solo hoc poterant cognoscere eum filium esse Dei. Non est quod quæsierint Chris-

stum animo conuertendi à peccatis &c.

Dicebant ergo Iudæi: Nū interficiet semetipsum, quia dicit, quo ego uado uos non potestis uenire?

Suprà aliter exposuerunt hoc uerbum: sed uidetis hic nosse illos hunc sermonē obscurum dictum esse de morte. In 7. capite admonui, quia semper simulabant se non esse homicidas, & non querere occidere Christum: dicebant, demoniū habes &c. Pulchre hic coniectant quid uelit obscurus sermo. Dicit se moriturū: sed quomodo morietur? morietur in sua ipsius manu? Ita Iudæi nihil minus agnoscere uolunt, q̄ peccatū suum: hoc est peculiare omnibus peccatoribus. Ideo hæc loquuntur, ut tegant inuidiam mentis eorum, & ut uideantur sancti: & Christum non parum infamant, quod maius peccatum est desperatione, qua quis sibi uitam abrumptit uel laqueo uel ferro, omnibus modis mors illa deformis. Tale quid de Christo alijs inculcant. quasi dicant: Non est mirum ut dæmoniacus ille homo seipsum tandem strangulet. Ita solent in pessimam partem ea rapere, qui sunt inimici ueritatis.

LECTIO XLVI.

DE dijudicatione spirituum nobis potissimum sermo est, ad quem serè omnia quæ hic dicuntur, referri possunt. Possimus ex Epistola Ioannis duas rationes cognoscendarum doctrinarū & spirituum excerpere,

cerpere : nempe eas quæ fidem in Christum testantur,
 eamq; puram : deinde quæ etiam charitatem sapiunt.
 Easdem notas licebit ex dominicis uerbis colligere, nos
 enim plurimum ducit Christus ad cognitionem sui ip-
 sius, ut credamus in ipsum : quæ uera illuminatio est :
 ipse lux est mundi. Iudæi autem quia puro spiritu Dei
 alieni erant, huic doctrine perpetuò contradicunt, irri-
 dentq; Christum ipsum. Vnde postremo loco eò demen-
 tiæ Christum uenisse dicunt, ut uelit seipsum occidere,
 cum insinuaret obscuriore modo se iturum, quò ipsi
 non possent ire. Hoc autem, ut dixi, dolose egerunt,
 sic uolentes celare sanguinarium suum animum : nam
 Christus taxauerat inuidiam eorum, quod planè alie-
 ni à charitatis affectu essent. Ita rursus accusando Chri-
 stum simulant se esse innocentes. Quia igitur insigni
 iniuria affecerunt Christum, reprobatur eorum iudici-
 um falsum.

Et dicebat illis: Vos ab infernis estis,
 ego de supernis sum. Vos de mundo
 hoc estis, ego non sum de hoc mundo.

Vos, inquit, suspicamini me delirum, qui me uelim
 occidere, & sic audetis me infamare : quod planè testi-
 monium dat cuius spiritus estis. Vos ex infernis, id est,
 mendaces & uani, mundani, tales quales protulit mun-
 dus iste, alieni à diuina ueritate : quandoquidem taliæ
 audetis loqui, sanguinarij profectò estis.

Ex supernis.) Id est, longe alius sum, non sum uanus, quæ dixi uera sunt: neque affectibus istis terrenis obnoxius sum, quem admodum uos. In eandem sententiam quod sequitur, tendit.

Ex mundo.) Id est, uos estis mundani, queritis quæ huius mundi sunt, nihil coeleste spectatis. Ad non erit intelligendum, quasi Christus non etiam habuerit humanam carnem: nam & discipulis dixit, uos non estis de hoc mundo: id est, quod non sapitis quæ mundi sunt. Qui nihil cogitant quàm diuitias, fortitudinem, longitudinem uitæ &c. illi ex mundo sunt. Vult dicere: Ex caelo ueni, coelestis sum, coelestem etiam uitam affero. Gestauimus imaginem primi hominis Adæ, gestemus & imaginem coelestis, ut meditemur æternam uitam, & alieni simus à peruersis affectibus.

Itaque dixi uobis, quod moriemini in peccatis uestris. Si enim non credideritis, quod ego sum, moriemini in peccatis uestris.

Bene igitur dixi supra, Moriemini &c. quando quidem ex mundo hoc estis, & non creditis in me, ideo uanus spiritus uester. Videtis infidelitatem esse causam mortis. Vbi igitur desideratur uera fides in Christum, certum est uanam esse sapientiam, spiritumq; illum reprobandum. Exponit nunc de qua morte locutus sit.

Ego sum.) Lux mundi, & filius Dei. Qui credit
in me

in me, ut supra, habebit uitam æternam. Ita sine ista fiducia, etiamsi abundaremus alijs operibus, essemus mortui, quia nulla spes salutis non agnito Christo.

Dicebant ergo illi: Tu quis es?

Post tot miracula, post tantam doctrinam crassus li isti de Christo adhuc hæsitant, quisnam sit: cum tamen iam Christus indicasset eis quisnam esset, se esse lucem mundi, missum à Deo patre, & antea filium dei se nominauit, & decreuerunt eum uelle interficere, & nunc querunt. Nam nihil in ijs hominibus præter dolum & fraudes uidemus. Si humili & auida mente interrogassent, utique cognouissent. Videntur hæc non absque sarcasmo, id est, irrisione dicta. quasi dicant: Quem te ipsum facis? Sicut in alijs locis egrescebant, quoties suam gloriam per occasionem prædicabat, dicentes filium esse fabri, & satis cognitas esse sorores eius: ita hoc loco per contemptum dicunt, quis es: ut interrim cognoscas superbos illos spiritus.

Et dicit illis Iesus: Sanè quod & uobis loquor. Multa habeo quæ de uobis loquar ac iudicem: sed qui me misit, uerax est: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo.

Quidam exponunt principium illud κατὰ τὸν ἀποκλῆν, pro profectio: id est, indigni estis tanta doctrina,

potius digni cōdemnatione. Et hoc belle conuenit cum dicto Phariseorum, qui dicebant, quis es tu? quia irridebant uitam Dei. Apud Græcos confirmantis est. Planè ita est ut uobis loquor. Quidam querunt, quomodo filius possit esse principium. Certe si de deitate loquimur, non minus principium est quàm pater ipse: sed hic non est sermo de illare. Alij exponunt ut respondeat interrogationi: quis es tu? siquidem dicis, morituri sumus in peccatis, nisi crediderimus in te. Sed dixi per contemptū potius exponenda uerba illa. Si quis autem affirmatiue exponat, Is sum qualem me antea prædicaui, lux mundi, panis uitæ: principio, id est, quod iam antea dixi, id certe sum: non erraret. Sed prior sententia melius conuenit: Quis es tu? Nunc Christus indicat eis quàm graue sit ita impingere in spiritum sanctum.

Multa possum.) Habeo de uobis multa loqui, id est, possum. Meremini profectò ob uestras irristiones, ut uos accusem apud patrem meum, et iudicem. Possent iudicare ob uestram insignem contumeliam: sed is qui me misit &c. Id est, ego quidem possum, sed scio, Deus non relinquet inultum. Is locutus per Moysen: Qui nō suscepit prophetam, exterminabitur. Deut. 18. Profectò retribuet unicuiq; pro meritis suis.

Et ego.) Equidem nihil alienum adfero: nihil aliud quàm quod fidelissimum legatum annunciare oportebat, ea loquor quæ ab illo audiui, quod maxime omniunt

nium gaudeat fide in me, ut ad ipsum per me deducamini. Transtulit omnem suam essentiam in me, potestatem & dignitatem. Non est aliud nomen sub sole in quo &c.

Hæc loquor.) Vere quidem loquor: possem uos condemnare, quandoquidem male affectos uos uideo.

Non cognouerunt quod de patre illis locutus esset.

Isti ex his uerbis non cognouerunt &c. adeo inflexi suis opinionibus, & nimium placebat salua propria. *Suprà*, Vbi est pater tuus? produc illum, ut testificetur de te. Carnalem patrem cogitabant magis quam celestem. Vnde declarauerunt se esse planè crassos & non intelligentes.

Dixit ergo illis Iesus: Cum exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quod ego sum, & quod ex me ipso facio nihil: sed ita ut docuit me pater, hæc loquor. Et qui me misit, mecum est. Non reliquit me solum pater, quia ego facio semper placentia illi.

Verba illa sonant commiserationem quandam. Videtis deo planè uos ignorantes diuinarum rerum: tunc autem melius incipietis sapere, quando exaltaueritis filium hominis, tuncq; discetis quod ego sum. Hoc non omne

nibus dictum est, plerique cognouerunt.

Filium.) Vere inde licebit peruenire ad thesaurum sapientiæ Dei, unde apostolus gloriatur se scire Iesum, cumq; crucifixum. A cruce & requie eius coepit gloria eius. Resurgens à mortuis ostendebat immensam uirtutem. Despiciebant autem Christum, spectantes carnem eius, & male seruabant in memoria miracula, quæ paulò ante gesta erant.

Quod ego.) Coelum & terra testabantur Christum esse filium Dei, sed potissimum resurrectio. Pater nomen super omne nomē dedit ei, ut omnis lingua etc. Iam cum adhuc heretis in externa carne, uideo uos inferiores, mittam spiritum meum, ut sitis à Deo docti. Putatis quod sim uanus, me ipsum iactem, gloriam meam ebuccinem? nihil à meipso facio, pater ita commisit, ut populum ad coelestia gaudia transferrem, & ad aliam uitam.

Loquor.) Ut dedit mihi mandatum, ita loquor: non sunt mea uerba. Antea pater promiserat per prophetas. Prophetæ plerunq; docuerant, quæ & Christus docet: eapropter nihil tale suspicari oportebat. Iam si dijudicare spiritus uolueritis, nihil adeò conducet, quam meritum Christi & dignitatem optime nosci: citra eius cognitionem uix fieri potest, quin errores uobis imponant. Vnde non frustra hoc loco illud inferitur: Repetit quæ supra dicta sunt, Vbi pater tuus.

Respon

Respondet ad hoc Christus, Ecce mecum est pater, non abest: non loquor de carnali parente: is mecum est, omnem suam uirtutem & dignitatem mihi ab aeterno communicauit, eiusdemq; potestatis cum illo sum.

Non.) Id est, nunquã me destituit, nihil absq; illo facio, ut sim illi cõtrarius, ut uos suspicamini. Ita iterũ pulchre declarat eis, quomodo patrẽ habeat cœlestem.

Quæ illi placita.) Ideo dicit, pater non relinquet me, sed exaltabit, queret gloriam meam. Ita uicissim, pater omnia dedit filio, filius per omnia nos ad patrem ducat, iubet patrẽ adorari in spiritu & ueritate, Deoq; honorem dare. Pater testatur hunc esse dilectum filium, per quem reconciliationem accipimus & redemptionem, quia pater uolebat humanum genus redimere per filium suum. Per hoc quod factus est obediens usque ad mortem, ostendit se esse patri obsequentissimum. Sic hæc unica ratione innotuit nobis summa dei benignitas. Facit igitur quæ patri placent. Pater uult uitam nostram, non mortem.

Hæc illo loquente multi crediderunt in illum.

Initium fidei potius erat q̃ perfecta fides in Christum, quia iam irridebant Christum commiserantem sibi. Varius populus in hac turba est, quidam exasperantur, quidam considerant mansuetudinem Christi sic se humiliantis, & non rependentis par pari.

Crediderunt.) Id est, se exaltato aliquando uenturos ad cognitionem sui: iam non esse mirum, si plerique non credant. Quid putas credidisse? Hoc nempe, futurum aliquando ut potentiae suae prolaturus esset maiora signa. Nam aliàs parum crediderunt. Sed quantulumcunq; hoc semen erat, probatur tamen deo, ut in Nicodemo & Regio. Christus semper fouet infirmam istam fidem ut adolescat tandem, & ut melius ipse cognoscatur. Credebant dictis eius, fieri posse ut Christus maiora opera exhiberet.

Dicebat ergo Iesus ad eos qui crederant ipsi Iudæos: Si uos manseritis in sermone meo, uere discipuli mei estis, & cognoscetis ueritatem, & ueritas libereros reddet uos.

Ecce Iudæi suspicabantur Christum gloriosum esse sumpto regno carnali, & se liberos fore, & ita fictè credebant in illum. Sed statim Christus abradit hanc suspensionem ex mentibus eorum. quasi dicat, Ne speretis talem libertatem carnis. Ita pulchre incipit differere de spiritali libertate, ne seducamur à falsis prophetis, qui aliam libertatem somniant.

LECTIO XLVII.

Christus docens suam diuitatem & gloriã tandem recte posse cognosci, cum exaltatus in

cruce fuerit, dixit: Cum exaltaueritis filiū hominis etc. Antea Iudæis facile imponebat humanitas Christi. Agnouerunt autem Christum postquam à mortuis resurrexit. Porrò filij huius seculi, quorum mens obtenebrata est, de regno Christi male loquentes, semper libertatem carnis quàm spiritus sectantes, ut Iudæi regem potius gloriosum expectant, quàm redemptorem animarum. Quandiu enim uerbum crucis non agnoscunt, tandiu neq; gloriam Christi. Quidam crediderunt in Christum, scilicet sermonem Christi uerum esse, pro suo sensu Christum exaltandum, non in cruce, sed aliàs glorificandum, ut etiam filij Zebedei. Illum errorem nunc de cordibus eorum auferre nititur Christus, & ex imperfectis discipulis perfectos reddere studet.

Dicebat.) Varios discipulos Christus habuit: nã dicit alios fore ueros discipulos: unde indicium est quosdam fictitios esse, qui ad tempus credunt, & in tempore tribulationis abscedunt, neq; perseuerant in finem. Id est, dixi uobis sermonem, nempe me exaltandum: si uerbum crucis intellexeritis, & perseueraueritis in hoc sermone &c. Nam per crucẽ Christi redempti sumus, & inde potissimum fides nostra confortatur. Refero illa ad proximum sermonẽ quem iam dixit. Id est, Si cõmendatissimũ fuerit uobis uerbum crucis & exaltationis meæ, tunc uere discipuli mei eritis. Videtis ut eximit è pectoribus illorum errorem & suspicionem illam.

Nam apostoli nihil aliud sciunt quàm crucifixum.

Cognoscetis.) Hac ratione licebit ad ueritatem, æternam uitam, & ad ueram libertatē peruenire. Vos expectatis temporaria, libertatē corporis magis quàm animorum: sed frustranea erit expectatio uestra.

Veritas.) Id est, tunc uerè liberi eritis, si id beneficium accipietis ex mea exaltatione, ut liberi sitis futuri: liberabuntur conscientie uestre à grauissima captiuitate peccati. Iterum doctrinam Christi à peregrina doctrina possumus agnoscere. Doctrina quæ non est Christi, fugam crucis spectat: proinde non est ibi uera libertas. Paulus ad Rom. dicit: Si à peccatis liberi & facti serui &c. Vnde hæc libertas? non aliunde, quàm si sermonem crucis nouerimus, tunc habebimus fidem, & poterimus clamare abba pater.

Responderūt illi: Semen Abraham sumus, neque cuiquā seruiuimus unquam: quomodo tu dicis, liberi reddemini?

Quam tu polliceris nobis libertatem? Iam apparet qualis illorum fides fuerit, quid sperauerint, quidque crediderint. Spectabant suam externam nobilitatem, gloriabantur se patrem habere Abraham, quod & Iohanni obijciebant. Seruierunt Aegyptijs, Babylonijs, Assyrijs, & omnibus gentibus fratre in circuitu: & eo tempore erant captiui Romanorū, quia suam præsidem Romanum in Hierusalem habebant: quamuis liberior illorum

illorum conditio, quàm aliorum seruorū: dicunt tamen impudenter, Nulli seruiuimus &c. Hic mos est filiorū huius seculi, ut etiā ea quæ nō possident sibi arrogant.

Nulli.) Sanè manifestum fuit illos fuisse seruales. Illi aspirabant ad libertatem, ideo Christum petebant redemptorem, ut ab Herode & Romanis liberarentur. Potuissent potius hoc obijcere: Dicis tu nos non habere libertatem & ueritatem? Num lex nostra uera non est? Nōne Moses bene dixit & docuit? &c. Hoc non repugnat scientiæ legis Mosaicæ. Fieri potest, ut quis legē Mosi sciat, & ea interpretetur quæ apostoli scripserunt: si non doctus à domino, ueritatem cognoscat minime. Hoc nō attenderunt, utpote negligentiores, inflati: & pro ignominia habuere seruos se esse. Ex Abrahamā illo nobilissimo uenimus, tu loqueris quasi ad seruales. In Hierē. similem sententiā habemus: Nunquid uernaculi sumus? Ita gloriantur in nominibus patrum suorum, potius quàm uirtutibus. Christus uult ut fide & charitate imitentur patres.

Respondit illis Iesus: Vere uere dico uobis, quod omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autem non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Itaq; si uos filius liberos reddiderit, uere liberi estis.

Quia de uana nobilitate gloriantur, & ignorabāt
 suam miserā, Christus exponit eis, quæ sit grauiſſima
 seruitus, longe grauior quàm Aegyptiaca & Babylos
 Seruus. niorum fornax. Is uero seruus est, qui à peccato capti-
 uus ducitur, & obsequitur pessimis cōcupiscentijs: quic-
 quid satan suggesserit, concupiscentia dictauerit, hoc
 mox faciet. Vos iam estis peccatores, & nō parui: quæ-
 ritis me ad occidendum, & tanta inuidia estis præditi
 ut desit locus consilij: præualuit enim peccatū. Qui igi-
 tur sic peccato obsequitur, quomodo potest gloriari de
 libertate? pectra uestra captiua sunt etc. Ecce propter
 hanc seruitutem introducta est seruitus alia. Cham pro-
 pter cōtemptum patris recto iudicio condemnatus est,
 ut ipse cum sua posteritate seruiat, quia irriserat patrē
 suum cum inebriatus esset. Seruitus igitur illa prodijt à
 peccato. Propterea si naturam ipsam inquiris, qui inge-
 nui sunt alijs dominantur. Fieri potest, ut qui in medijs
 uinculis est, multo liberior sit quàm ille qui in solio rega-
 li: quia cogitur facere quæ alij instillant & c. Vnde non
 maior captiuitas quàm animorum. quasi diceret: Ma-
 gis quærite libertatem animarum, ut fiduciam bonam
 habeatis de Deo. Per Christum illa uenit, alioqui con-
 scientiæ uestræ nunquam purificarentur.

Seruus non.) Iudæi hoc habebant legitimū, ut
 septimo anno liberos dimittant seruos: hocq; erat eis
 præceptū. Non habebant perpetuos seruos, nisi sponte
 manerent

manerēt cum dominis suis. Ita minatur Iudæis: quamuis iam sint in domo Dei, & censeantur esse in populo Dei, non tamen semper erunt in populo Dei. quare? quia erant eijciendi in tenebras propter peccatū quod crucifixo Christo peccarunt. Erant populus Iudæorū excæcandus, & recipiendus populus gentium. Laborabant grauissima seruitute incredulitatis. quasi dicat: *Quæ uestra temeritas & gloriatio in semine Abrahamæ? Si peccatis serueritis, & non responderitis uirtutibus patrum uestrorum, non manebitis in domo Dei.*

Filius manet.) *Qui uere liber est, non eijcietur e domo. Qui donati fuerint spiritu Christi, illi manebunt. Sed unde nobis contunget ista libertas, ut dicamur filij Dei?*

Si filius.) *Christus est filius Dei natura, nos gratia & adoptione. Sicut Christus est liber, ita nos per illum libertatē assequimur. Filius excusat apud patrem: quis eijciet nos? Rom. 8. Si Christo adhæserimus, & per ipsum facti filij, erimus hæredes Dei, cohæredes Christi. Hæc uera libertas. Illa non est libertas, nulli hominum subesse, & impune peccare, quam serè uulgus mortalium spectat: sed agnouisse Christum, & securam conscientia patrem inuocare. Vbi spiritus iste libertatis est, ibi nihil ex coactione uel metu, sed hilari uultu uel animo facis quicquid facis. Ex metu inferni qui facit aliquid boni, seruus est: qui autem ob gratitudinem ope-*

rantur, sciunt se patrem in caelis habere: & si non reposita essent aliqua merita, nihilominus ascripti essent diuinae seruituti. Nolunt ingrati inueniri. Iam si conscientiae astringantur humanis doctrinis & constitutionibus, hic omnibus modis erit conandum, ut agnoscat Christus. Vbi spiritus, ibi libertas.

Scio quod semen Abrahamæ estis. Sed quæritis me occidere, quia sermo meus non habet locum in uobis. Ego quod uidi apud patrem meum, loquor: & uos quod uidistis apud patrem uestrum, facitis.

Gloriamini, inquit, in semine Abrahamæ: scio uos natos esse de Abrahamâ, sed non refertis mores Abrahamæ: quæritis me occidere. Videte quâto peccato sitis obnoxii, me innocentem occidere quæritis. Abrahamâ hospitalis erat & magnæ charitatis erga externos. Vos ne domesticos quidem ut decet colitis & obseruatis: me qui tot beneficia uobis exhibui, qui ad salutem uestram ueni, quæritis occidere. Quam dissimiles mores uestri ab Abrahamâ?

Quia sermo.) Quia non creditis in me, omne malum uestrum inde manat & profluit, quia infideles estis, non creditis uerbis meis. Et nunc seipsum exponit.

Quia misit.) Vos putatis quasi ego ipse gloriari & sum uanus, quemadmodum uos, ut supra habuimus, quàm fuerint indignati, cum audirent Christum magnifice de se loquentem, quasi ueniretur humanam gloriam

riam. Sed hoc Christus ubique depulit.

Quod uidi.) Id est, certissimus sum, pater reuelauit tanquam filio, à quo nihil in domo absconditum, sed non creditis.

Quod uidistis.) Vos gloriosi estis, quod propriū fuit luciferi, & demonis mali, nam illum superbia è cœlo deiecit. Ita etiam filij eius amant uanam & inanem gloriam, mendaces sunt & multum sibi tribuunt, cum tamen nihil præstare ualeant. Hoc proprium est superbiorum & reprobiorum. Sed non solum hoc peccatum, uerum etiam sanguinarium animum eorum indicat.

Patrem meum.) Scio quem referatis, à quo didiceritis, & quis suggerat illa, certe nec Deus, nec Abraham talia docuit, gloriamini in nominibus solum, habetis alium patrem, nempe diabolum.

Responderunt & dixerunt illi: Pater noster Abraham est. Dicit illis Iesus: Si filij Abraham essetis, opera Abraham faceretis. Nunc autē quæritis me occidere hominem, qui ueritatē uobis locutus sum, quam audiui à deo: hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris uestri.

Perstant superbi in uana sua gloriatione, & omnino uindicant genus suum, dicentes,

Abraham.) Ecce cōtumelia à te afficimur: negas

tu Abraham esse patrem nostrum? (Sic Christum quasi delirum & insanum traducere uolunt.) Illa omnia uerba sapiunt contempum & irrisione. Id est, manifestissima reprobas: certum est nullam sapientiam esse in te.

Si filij.) Exponit quomodo ueri filij Abraham sumus, nempe si operibus imitemur Abraham. Opus Abraham fides, ut in capite 6. opus, inquam, quod deus operatur in nobis. Credidit, & reputatum est ei in iustitiam. Non fuit alia uirtute magis clarus quam fide. Si haberetis fidem, etiam charitas adiuncta esset: hincque appareret sapientiam uestram non esse ridiculam. Per hoc autem ostenditis uos non esse germanos filios Abraham.

Hominem.) Innocentem, qui omnibus benefecit. Vos me inuaditis, qui ueritatem locutus sum, & eam quam audiui a deo patre. Abraham talia non fecit. Certum est uobis alium esse patrem, nempe diabolum, cuius est gloriari, mentiri & occidere.

LECTIO XLVIII

Cum Iudaei Christum arguissent quasi demoniacum, delirantem & desipientem, quia negasset Abraham patrem esse ipsorum: cum gloriarentur multum a nobilitate generis. potius quam a uirtutibus: nihil enim inueniebat in illis dignum hoc nomine patre Abraham, neque fidem neque charitatem: dixit illos habere alium patrem, non tamen indicauit quis pater ille sit. Aegre igitur hoc tulerunt Iudaei.

Dixerunt

Dixerūt itaq; illi: Nos e' stupro nō sumus nati: unum patrē habemus deum.

Vidēris in allegoria loqui. Nam Abraham patrem nostrum esse certissimū est, delirant quotquot negant. Quoniam uidēris aliam genealogiam nostram dicere, negans patrem Abraham, uis etiam negare Deum esse patrem nostrum? ille elegit nos filios, Esa. i. id est, sumus germani filij Abrahæ, & ita ut simus filij Dei. Non sequimur idola, sed uerbum & uerum Deum. Nam quamuis quidam per prophetas redarguti fuerint, quod non sint filij Abraham, sed radix Canaan propter idololatriam: tamen nos non conuersi sumus ad idola, unum Deum colimus, ut Abraham. Sed sicut gloriabantur de carnali patre Abraham frustra, ita de Deo: contenti suis ceremonijs, non solliciti quomodo mundarent cor suum coram Deo. Postquam à Babylone redierunt, non fuerunt adeò procliues ad idololatriam, maxime post Machabæos: legem externe seruabant, nihilominus tamen non uerus Dei cultus inter illos erat. Hodie etiam plerique dicunt: Quis non credit Deum? & patrem suum quis non diceret? &c. Dicunt: Certum est, contumelia non uulgari nos afficis. Et ita uidemus spiritum mundanum inflatum. Nam semper huius seculi filij, haberi uolunt sanctiores cæteris.

Dixit illis Iesus: Si Deus pater uester esset, diligeretis utiq; me. Ego ex Deo

processi, & ueni (uel uenio.) Neque enim à meipso ueni, sed ille me misit. Quare loquelam illam meam non agnoscitis? quia nō potestis audire sermonē meū. Vos ex patre diabolo estis.

Iam pulchre dijudicat quinam sint filij Dei, & qui non. Qui uocem Dei audiunt, filij sunt Dei, nō tam ex tero quàm interno auditu. Qui à Deo docentur, illi Christum diligunt, & Christo credunt: deinde alieni sunt ab odio. Ad Rom. Hi filij Dei, qui spiritu dei aguntur. Sed quorsum agit spiritus Dei? trahit nos ut credamus Christo, & ut libentissime Deum audiamus.

Deus.) Gloriamini de patre Deo: sed uana est illa gloriatio: ut dem interim pulcherrimas esse ceremonias uestras, quibus putatis uos deum posse placare: sed uere non placent Deo, nisi etiam me diligatis. Ante dictum: Qui nō prophetā illum audierit. Deut. 18. Affectiones igitur uestræ ostendūt, an deus pater uester sit.

A Deo ueni.) Nō ueni à meipso. Ego adsum filius Dei. Qui Deum diligit, nunciū dei diligit: si quidē nunciū mittentis gratus, maiori honore excipitur. Ego ueni non à meipso, ut uos suspicamini, quasi sum uulgaris homo, & non missus à Deo. Quare nō recipitis sermonem meū, si amor dei in uobis? Etiam in Malach. Si pater uester, ubi honor? si dominus ubi timor? Est ne ille honor,

honor, quod non suscipitis illos, quos ipse mittit? Quo modo potestis gloriari Deum patrem esse uestrum?

Sermonē.) Quia dico me uenisse à patre, & duco uos ad cognitionem patris, factus est sermo meus uobis intolerabilis, durusq; auditu: reijcitis me tanq̄ insanū: indicium est uos non esse diuine natos, neq; semen diuinum: id est, spiritus sanctus in uobis nō existit, qui mollia reddit omnia, ut homo paratus sit ad credendū et audiendum uerbū dei. Cum igitur non sitis filij Dei, quid reliquum est, nisi uobis alium esse patrem? Igitur ex diabolo estis. Opera referunt quem patrem colatis, ut filij imaginem parentū referunt. Qui filij Dei sunt, exprimere debent, ut cognoscatur Deum illorū esse patrem. Si non misericordes &c. utiq; non poterunt appellari filij Dei. Contrā si quis referat mores diaboli, mendacia, homicidium, inuidiam, odium, superbiam &c. quibus nominibus describitur nobis diabolus, nōne filius illius iure appellatur? Neq; enim solum est imitatio ibi, sed semen internū, & similitudo quæ facit filiationem.

Et desiderijs patris uestri uultis obsequi. Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non stetit, quia non est ueritas in illo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax est atque pater illius (scilicet mendacij.)

Ex moribus licet uidere, quorum filij sitis. Cum igitur uos referatis mores diabolicos, reliquum est, uos esse filios diaboli.

Concupiscentijs.) Bene dicit concupiscentias, magis quàm opera, ut indicet intrinsecus eos pessime affectos, & laborare mera inuidia. Et quæ suere concupiscentiæ diaboli? Seduxit Eum, sic etiam Adam, & cum illis totum humanum genus fecit obnoxium morti. Hoc autem attentauit satan, ut omnino genus humanum periret, & fraudaretur æterna beatitudine, ad quam possidendam creatum erat. Ita in Cain spiritus diaboli obseruari poterit. Ab initio statim instigauit Cain ad persequendum fratrem innocentem. Hi perpetuò mores diabolicorum, ut persequantur filios Dei. Videtis igitur inopiam charitatis certam esse indicium, quod aliqui non sunt filij Dei? Neque per infirmitatem peccant hi, cum nullo modo queant mitigari. Inuidia per se conferri potest homicidio. Si quis oderit fratrem suum, ut Ioan. in Epistola sua dicit, apud Deum homicida est. Et certum est, inuidos quosq; si non prohibeantur per gratiam dei, offerente se occasione ampla, posse impelli à diabolo ad homicidia. Ideo non est mirum, si inuidi quiq; conferantur homicidiis. Vnde autem hoc malum procedit, quàm ab ignorantia ueritatis? Dæmon enim princeps ignorantia est.

In ueritate.) In cognitione non stetit: nunquam amauit

amauit

Inuidia hoc
homicidio con-
fertur.

amauit ueritatem: uoluit exaltari, unde etiam princeps tenebrarum est, quia ipse uersatur in tenebris, omnibusq; cupit tenebras offundere. Initio creatus est bonus, sed cum deberet se ad Deum conuertere, potius admiratus est suam pulchritudinē, sibiq; placuit, deoq; non dedit honorē, & ita obfirmatus in sua malitia, merito in hasce tenebras deiectus est. In ueritate, id est, in ea puritate qua creatus est, non stetit, & gloriam sibi ipsi usurpauit quæ Dei erat. Vnde superbia diabolus peccasse dicitur. Nam dum nobis ipsis ascribimus quod Dei est, inuenitur in nobis uanitas. Iam Christus humilime egit, quia non est arbitratus se rapinam esse &c. Sic quoq; docuit nos renunciare nostræ superbiæ, ut ne sublimius sentiremus de nobis ipsis quàm par esset.

Non stetit.) Vera Dei cognitio, uel aliquid solidi in illo non est, omnia sunt tenebrosa, etiam alios impellit ad uanitatem: neque maius desiderium uel uoluptas diaboli, quàm si possit obtenebrare mentem nostram, ut à cognitione Dei abstrahamur.

Ex proprijs.) Quia mendacium per illum inuadit orbi. Videtis ibi scripturã nolle, ut faciamus deum autorem malorum. Homo sibi ipsi malorum est autor. Fatemur per deum omnia opera fieri, sed quatenus à Deo facta, bona sunt. Quod autem ab illa pulchritudine excidimus, hoc contigit nostra malitia, uel ignauiam. Posset tamen Deus hoc auertere, ne sic peccare

mus: sed decebat ut hoc permetteret, quo magis claresceret sua iustitia, & nostra iniustitia. Satan fingit mendacia, neq; audit uerbum Dei, quia est mendax, & auctor mendacij, & instigat homines, ut ipsi uersentur in mendacijs. Sic igitur licet internoscere inter filios Dei & diaboli. Filij Dei amant quæ Dei sunt, & uerbum dei audiunt: fideles sunt & credunt. Filij uero diaboli quærunt mendacia, sectantur ea, & oblectantur perpetuò in illis: præterea pleni odio & nulla præditi charitate, si quis pectora eorum scrutetur.

Ego autem quia ueritatem dico, non creditis mihi.

Quare nõ auditis me? quia uobis magis placet mendacium quàm ueritas: & quæ cordi uestro mendaci adlubescunt, ea magis uobis probantur. Quandoquidem adeò obstinati estis, frustra uobis loquor, etsi nulla causa adsit, ut me repellatis & sermonem meum.

Quis ex uobis arguit me de peccato? Porrò si ueritatem dico, quare uos non creditis mihi? Qui ex deo est, uerba Dei audit. Propterea uos non auditis, quia ex Deo non estis.

Bene nunc colligit: possum ex operibus uestris conuincere uos non esse filios Dei, quandoquidem de nullo peccato potestis me conuincere. Multum displicuit uobis

bis quod curavi in sabbato paralyticū, sed ita rationem reddidi, ut nullum peccatū inueniatis. Deinde blasphemia uidetur, quod uocarim me filium Dei, neq; id refellere potestis. Quid reliquum est, quod in me reprehenditis? Nihil planè, etiam in doctrina nihil reprobabile inuenitis. Nam duo potissimū in doctore requiruntur, uita & doctrina. Doctrina potissimū omnibus modis debet esse irreprehensibilis, non solum coram hominibus, sed & coram Deo. De uita autem ut ἀνέγκλιτος id est irreprehensibilis sit, cū nemo alioqui sit qui nō aliquid quando peccet. Non loquitur de iustitia quæ est coram Deo. Crimen est, quod reprobos reddit coram hominibus, ut quis non debeat in conuentu hominū ferri, quasi diceret: Cum non possitis me depellere, quasi loquar ueri gratia uel uentris, quasi male hactenus egerim, uel contraria legi docuerim &c.

Si ueritatē.) Tam sincera est ueritas, quid iam potestis prætexere quod nō creditis mihi? Unde q; cōsectaneum uos nō esse filios dei. Nā si ex deo, ut gloriamini, audiretis utiq; uerba dei, quæ loquor uobis. Propterea uos nō auditis, quia ex deo nō estis. Persisto in hac sententia, quam dixi, nō amatis ueritatē, neq; gloriā Dei.

Responderūt ergo Iudæi, & dixerūt illi: Nonne bene dicimus nos, quod Samaritanus es tu, & dæmonium habes?

Duo inquam dixi desiderari, uel requiri in bono do-

Etore, uita & doctrina, utrunq; in Christo Iudæi nega-
 bant. Haclenus ita de te sensimus, iam re ipsa experi-
 mur esse. Ad uitam quod attinet, Samaritanus es, &
 doctrina ex satana: cū ad ipsos posset hoc retorqueri.
 Christus æterna sapientia. Samaritanū uocabant, quia
 nō anxie obseruabat legem ut ipsi. Et Samaritani cum
 lege Mosi obseruabāt quædam à gentibus sibi tradita.
 Quia aut̄ Christus damnauerat paternas traditiones,
 & non adulabatur ipsis &c. Laborabant, ut audistis
 cap. 4. perpetuo odio Iudæi & Samaritani inter se.
 Historiæ indicant Samaritanos Iudæorum amicos tem-
 pore pacis fuisse, belli aut̄ tempore inimicissimos, quiq;
 etiam confugiebant ad hostes, & in lege dissolutiores.
 Cum itaq; Christum in minimo nō possent arguere, ge-
 nerali crimine incessant. Debebant dicere ob quā cau-
 sam Christus Samaritanus esset. Proferant igitur ob
 quod sit Samaritanus: proferant doctrinā qua errauit:
 facile est dicere erras, sed difficile hoc uel illud afferre.

Respondit Iesus: Ego daemoniū non
 habeo, sed honoro patrem meum, &
 uos dehonoraſtis me. Ego autem non
 quæro gloriam meā, est (alius scilicet) qui
 quærat & iudicet.

De uita sua Christus se non excusat: in quo seruat
 summam mansuetudinē: sed de doctrina seipsum excu-
 sat, qua contempta etiam gloria dei contemnitur simul

et conculcatur. Hinc etiã nos discamus, quas iniurias
ferre licet, et quas etiam repellere: nam si quidem glo-
ria dei nobis patientibus nullam accipit iacturam, re-
ctissime facimus si patienter feramus ignominiam. Vbi
autem gloria dei simul nobiscum periclitatur, tempesti-
uum erit reddere excusationem, et patrocinari diui-
no honori.

Honoro.) Quare non habeo demonium? quia ho-
noro patrem. Hoc peculiare demonibus, à diuino cul-
tu auocare. Iam cum omnis mea doctrina huc spectat
ut pater glorificetur, non est uerisimile ut demonium
habeã, qui uolo ne aliquid de gloria patris decedat. Ve-
rum, est qui iudicat uos de hoc factò.

LECTIO XLIX

Christus calumniantibus Iudæis nequaquã cedit
sed magis et magis gloriã suam manifestat. Di-
xerant eum habere demonium, quasi minus ueritatem
docere: nunc quasi per cõtentionem dicit, adeò se esse
ueracem, ut non solum ipse demonium non habeat, uel
minus uera loquatur: sed etiam si quis sermonem eius
seruauerit, mortem non gustare.

Vere uere dico uobis, si quis sermo-
nem meum seruauerit, mortẽ non gu-
stabit in æternum.

Inramento etiam confirmat, quod dicturus est. Ve-

re dico. Dixi enim, qui crediderit in me, habebit uitam æternam: & me esse lumen huius mundi: nam inde fecit initiū sermonis. Si quis acceperit hunc sermonem, & etiam seruauerit fide, id est, pectore suo, & non permittet uolueribus cœli ut tollant semen illud &c. Verbum seruandi, multum in se cōtinet. Nihil dicit de uana fide, sed de illa quā si quis acceperit, ut etiam uitā suam emendet, & innocentiam uitæ adiungat, studensq; bonæ uitæ &c. Si hoc fides operabitur in aliquo, ille dicitur seruare uerbum dei. Nihil de uana fide qua multi gloriātur, & dæmones habent, hic dicit. Qui uere credit, ille liberabit animam suam à morte: id est, amaritudinē mortis non gustabit. Quamuis uideatur hic mori, tamen mors illa potius somnus est, et imago mortis. Quia Christus resurrexit à mortuis, etiā illi qui Christo per fidem uniuntur, resurgent: & qui spiritus Christi participes sunt, hi quoq; æternam uitam possidebunt, & in gloriam resurgent, ut in 5. & 6. cap. habetis. Hoc sermone multum offēsi iterum fuere Iudæi, audiētes nos etiā sermone Christi uiuificādos. Etsi cōmuni lege moriendū sit, tamē in morte nō tenebimur.

Dixerūt ergo illi Iudæi: Nunc cognouimus quod dæmoniū habes. Abrahā mortuus est & prophetæ: & tu dicis, Si quis sermonē meum seruauerit, nō gustabit mortem in æternū. Nunquid tu
maior

maior es patre nostro Abrahamā, qui mortuus est: Et prophetae mortui sunt. Quē te ipsum tu facis?

Nihil ex dictis Christi intelligebāt Iudaei, nam adhuc persistunt in sua sententia, Christum esse vulgarem hominē. Dicit hic Meū, ut declaret se etiā esse hominē & deū. Meum, qui deus sum, sermonem. Alioqui hominis sermonem seruare non praeſtaret uitam. Ita nunquā agnouerunt illi Christum ut uerum deum, sed tanquam hominē: & proinde haec uerba uidebantur illis plena blasphemijs & errore. quasi dicant: Dæmon ex te loquitur tam superba & arrogātia uerba. Nemo unquā ita locutus est: Si q̄s seruauerit &c. quod à te audimus.

Abraham.) Nonne Abraham magnus amicus dei? sed non audebat hoc dicere: quin potius ipse mortuus est, & omnes prophetae, per quos deus locutus est. Tu amplius aliquid dicis, Si quis sermonem etc. Si quis sermonem audiuiſſet ex prophetis & credidiſſet in Christum, ut prophetae praedixerunt, is immunis fuiſſet à morte aeterna. Etiā prophetae non sunt mortui, ut perpetuò detinendi à morte. Loquuntur Iudaei ut hi qui Christum non intelligebant. Mors neq; gustabitur à nobis, id est, illa amaritudo mortis non ſentietur à fidelibus, etiā si hic obdormiscāt. Memores estote unde contentio orta sit, nempe hinc potissimum, quod Christum uidebantur arroganter loqui: unde hoc reuocant, quae

si Christus superbe locutus sit.

Quem.) Oportebat te humiliter loqui. Sed plane
Christus maior Abraham.

Respondit Iesus: Si ego glorifico me
ipsū, gloria mea nihil est. Est pater meus
qui glorificat me, quem uos dicitis deū
uestrū esse, & tamen non cognouistis
illum. Ego autē noui illum: & si dixerō
quod non nouerim illū, ero similis ue-
stri mendax: sed noui illum, & sermo-
nem illius seruo. Abrahā pater uester
exultauit ut uideret diem meum, & uis-
dit atque gauisus est.

Improperabant Iudaei Christo arrogantiam, quod
uelit maior haberi, quā esset. Ideo respondet eis:

Si ego.) Id est, Si me ipsum glorifico, si pro uestra
opinionē talis sim, ut me existimatis, & si absque ius-
su dei patris tantū honoris mihi arrego, mendax sum,
imò laus mea uertetur in ignominiam. Ita uere loquitur
iuxta opinionem ipsorum: nam ipsi arbitrabantur
eum inuidum esse hominem.

Gloria.) Id est, hac ratione, ut uos opinamini abs-
que iussu dei, certe uana gloria mea, & nihil est: sed nō
talis sum.

Est pater.) Accepi hoc præceptum, ut infra: Pa-
ter me

ter me glorificat. Pater est qui tanta opera operatur per me, ille testimonium mihi perhibet, ille uult ut gloriam illius manifestem. Equidem nihil minus quero, quam uanam istam gloriam, quam pleriq; mortales uenantur. Pater dedit, ut filius ipsius essem. Deus uester est meus pater. Iterum manifeste eis indicat se uerū deū esse: nō ut propheta, per quos deus locutus est. *Suprà:* Est qui querit & qui iudicet. Quis querit gloriā Christi: deus pater, qui dedit ei potestatem omnis creaturæ: & ita deus pater eius est, qui glorificat ipsum.

Et nō cog.) Deum ignorat, qui filiū ignorant: ita & patrē. Licet agnouerint deum cœlum & terrā condidisse, & multa alia mirabilia, nondum tamen uere agnouerunt deum: quandoquidem illam immensam misericordiam nō cognouerunt per Christum factam. Unde Iudæi cum Christum recipere nollent, satis declarabant se non nosse patrē, neq; colere. Moses enim præ dixit surrectorum aliquem ex patribus & c. Dicit: Ita scio illū, ut alijs possim manifestam patris uoluntatē facere. Ioan. 1. Qui est in sinu patris, reuelauit illud. Nemo scientiam ueram habet nisi filius.

Ero similis.) Id est, si uoluerō accedere sententiæ uestre, & ita me humiliare, quemadmodum uos uultis, dicam me nō esse filium dei, & mendax ero. Dedit ita mihi præceptum, ut eius beneuolentiæ immensa clucescat. Nam uos multa loquimini per mendacium: præ

Ca. VIII ANNOT. IOAN. OECOL.

ferim hoc false dicitis, quod putatis me purum esse hominē, & ex demone loqui: idq; facitis per inuidiā, & non absq; mendacio. Non poterāt enim reprehendere Christum de aliquo crimine, tamen dicunt eum esse Samaritanum. Et cum doctrinam Christi nō poterant reafellere, & miracula adeò clara essent, nihilominus in Beelzebul &c. Nunc demonium habet, dicunt: unde patet ea cōiicia planè à mendacio esse profecta. Absit, inquit, ut hac in re uobis cedam, & imiter uestrū mendacium: multo rectius fuerit, ut uos imitemini ueritatē, quam loquor, quā ut uobis similis fiam. Si dixero me non esse lucem mundi, quid aliud facio, quā quod ero uobis similis mendax?

Sed scio.) Quæcunq; loquor, uere loquor, non est in me mendacium. Hoc mihi commisit pater, ut manifestam gloriam suam hominibus faciam. Gloriam in hoc reuelauit, quia Christum filium suum nobis misit, quem postea exaltauit. Dicit: Seruo sermonē eius tam in reuelanda ueritate, quā in obediētia, & nullum preceptorum eius transgredior. Suprà: Si quis meum sermonem scilicet tanta diligentia custodierit, ut nihil omitat ex ijs, quæ deus fieri uult &c. quasi dicat: Exacte seruo: sed quoniam uos adhuc habetis me pro uili homine, & putatis me inferiorem Abraham patre uestro, scitote etiam illum me esse inferiorem.

Abrahā pater.) Inter cætera Abrahæ promissiones dicitur

nes datæ sunt, quod in semine eius benedicendæ omnes nationes terræ. Vnde nimirum exultauit Abraham, & uidit diem Christi cum esset immolaturus filium suum. Iam toto triduo multum secum angebatur, liberato filio per angelum. Certe tunc aliquo modo agnouit futurum aliud semen, Christum ipsum. Pendebat aries in carecto, qui aries Christum in ligno nobis præfigurabat: Nam sicut aries ille mori debebat pro Isaac, qui ad mortem postulabatur à deo: & aries in ligno cornibus pendens mortem nõ metuerat: sic Christus quoque qui erat innocens, is debebat in sacrificium assumi & pro nobis offerri. Ita etiam nos per Christum occisum resurreximus. Quandoquidem Christus humanam carnem in se gestauit, humana caro resurrexit, & nostram resurrectionem in se operari coepit. Ecce Abraham olim cognouit, & letatus est in spiritu suo. Vnde manifestum patres ueteris testamenti in eadem fide seruatos, in qua & nos, nempe fide in Christum: quia Abraham credebat Christum uenturum, nos credimus uenisse. Ille, inquit, non inuidisset mihi hunc honorem, nunquam existimasset se feliciorem. Illum suum diem, id est aduentum quo innotescere coepit mundo. Christus mundum suo aduentu illustrauit: quod non potuit non esse gratissimum Abraham, qui uidebat mundum obrutum uarijs idololatris. Dicit: Si essetis filij Abraham, non inuideretis mihi. Abraham gloriatus est in gloria mea, quod est amia

ci. Vos non solum non gaudetis, sed etiam inuidetis, & queritis me occidere.

Dixerunt ergo Iudæi ad illum: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham uidisti?

Quidam legunt quadraginta annos, sed textus non habet. De numero annorum Christi, non ita certum est, ut plerique arbitrantur. Baptizatus fuit Christus cum haberet annum trigesimum, apud Lucam: sed postea tribus cum dimidio predicauit annis. Iam Iudæi augent numerum, quod uideatur aliquo modo accedere ad quinquagesimum: alioqui commodius dixissent, Quadraginta annos nondum habes: & putant esse, quod Christus præ se tulerit maiorem autoritatem. Nam & quædam alia incircumspecte locuti sunt. Irenæus lib. 2. aduersus hæreses dicit se audiuisse à discipulis apostolorum Christum uiginti annis predicasse. Planè nouum est, cum non legamus apud alios autores. Dicit: Qui Iosannem audierint in Asia id indicasse. Deinde illum locum adducit &c. Sed non est periculum in hac re fidei. Hoc magis uerisimile est, ut communis modus loquendi habet, cum Christus indicare uoluerit illis, se esse uerum deum, & omnes sibi esse cognitos. Dicit: Abraham uidit, in spiritu scilicet: & illi præuertunt sermonem, & dicunt: Abraham uidisti? Sed utique etiam uidit, quia omnia per illum creata sunt.

Dixit

Dixit illis Iesus: Vere uere dico uobis, antequam Abraham nascere, ego sum.

Iterum manifeste indicat suam diuinitatē, se esse antiquiorem Abraham. Sic hoc uerbo arbitrantur quidam Ego sum, quod nomen dei enunciari. In Exodo, Ego sum qui sum. Hoc proprium nomen dei. Et nomen tetragrammaton Adonai, ab essentia, eo quod deus sōns proprie sit omnis essentiae, omniaq; esse ab eo accepta rint, quia deus incommutabilis omnibus modis.

LECTIO L

Post longam disceptationem, extremo loco Christus illud manifestissime indicat Iudeis, quod antea capere non ualebant, nempe se esse non inferiorem Abraham, sed etiam multo maiorem & deo parem. Habet proprietates uerbi, Ego sum, aliquid in se diuini nominis. Deus eminentior est, q̄ omnes creaturæ. Deus supra tempus omne est, & ei omnia præsentiā sunt, nihilq; in Deo uariatur, præterea sōns omnis uitæ.

Sustulerūt ergo lapides, ut iacerent in illum.

Tandem declarant re ipsa, uerum esse quod Christus toties illis obiecerit, quodq; non absq; mendacio inficiati erant. Christus obiecerat esse homicidas et filios satanæ, non Abraham. Christo hoc dicente Iudei simulant se esse innocentissimos. Lapidēs sustollebāt blasphemiarum, quibus filius dei lapidatur sensu allegorico

Ca. VIII ANNOT. IOAN. OECOL.

co. Nō minus peccarūt malis linguis, quā lapidibus. Christus tamen nolebat eis permittere ut tunc occiderent, sed sponte uoluit mori. Tulerūt lapides tanquam in blasphemum.

Jesus autem occultabat se, & exiuit ē templo.

Euanuit ē medio eorum, factus quodammodo inuisibilis, ut non uiderent ubi se occultasset. Erat uere occultus, & occultat se uere à blasphemis istis qui nulla ratione patiuntur se doceri ueritatem.

Exiuit. Non solum illos Iudæos reliquit, sed etiam totam synagogam, quæ per peccatum istud excæcata est & reiecta.

CAPVT IX



T præteriens Iesus uidit hominem cæcum à natiuitate.

Hoc caput uersatur in eodem argumento, quo etiā superius, Christū indicans esse ueram lucem mundi. Audistis enim in initio orationis capitis, quomodo Christus mane orto sole occasionem sumpsit, ut se diceret esse ueram lucem, ita ut à sensibili luce mentem nostram eueheret ad intelligibilem lucem. Quæ res ualde male habuit Iudæos, unde orta longior contentio inter Christū & illos. Nunc id ipsum Christus confirmat, non solū uerbis, sed etiā in-

genti

genti miraculo, quo declarat se illustratorē humani generis. Animalis enim homo non percipit quæ dei sunt. Cæcus ille figura est humani generis, quod illustratio-
nem accepit per Christum, qui est uera lux mundi. Et sic uidetis tam miraculum istud, quàm cætera quæ hic dicuntur, pulchre cohærerere superioribus. Interim apud cæcum hunc habemus etiam modum nostræ illustratio-
nis, quomodo lucē accipiamus, & qui uere uidere inci-
pian, quoq; merito id nobis contingat, nempe misericordia Christi. Deinde opus est ut lauemur, & associ-
emur etiam electis dei, ita ut confiteamur & gratias agamus illi, qui illustrauit nos: in quo totius Christiani-
sismi summā habituri estis. Quamuis Iudæi quæsierāt illum, & sustulerant lapides ad perdendum, nihilomi-
nus Christus iterum prodit. Hocq; passus est, ut con-
uincerentur esse sanguinarij.

Cæcum.) Nusquam negligit occasionem Christus, & uaria ratione agit, ut homines quāmaxime attentos reddat. Cæcus ille mendicus, qui multo tempore ante fo-
res templi mendicarat, non poterat esse ignotus. Igitur illo illustrato, iterum coepit Christus innotescere. Et ita euehit mētes nostras. Cæcitas alia corporis, & alia ani-
marum. Corporis longe tolerabilior est, si conferatur ad animā. Iudæi cæci animo, ille autem solū corpore.

Et interrogauerunt eū discipuli illius, dicētes: Magister, quis peccauit, hic an

parentes eius, ut cæcus nasceretur?

Cum igitur Christus aspiceret, nimirum misericorditer, cæcum illum, discipuli eius hoc obseruantes cogitabant, non sine peccato cæcum istum tanta pati. Hoc enim serè humanum iudicium est, ut omnes qui affliguntur in hac uita, putemus propter sua peccata affligi. Sic in Iob amici eius offendeantur, quasi propter peccata sua tam grauius puniretur. Hoc perpetuū offendiculum est in mūdo. Nam pauci sunt quibus innotuit, quomodo conformes filij dei fiant Christo crucifixo, ut gloria dei per illos manifestetur: dum spectant in solas externas afflictiones, mirum in modum offenduntur, & temere iudicant.

Quis pec.) Num hic uel parentes eius? Non erat sufficiens diuītio: poterant etiam adiungere, uel absque peccato talia patitur. Non suspicabātur quod quis absque peccato pateretur. quasi dicerēt, Impossibile esset hunc pati talia, nisi præcessissent peccata.

Respondit Iesus: Neque hic peccauit, neque parētes illius, sed ut manifestentur opera dei in illo.

Pulchre indicat Christus, non omnes propter peccata sua hic affligi, quamuis omnes peccatores simus, & omnes meruerimus affligi. Non est qui ausit intrare in iudicium cum deo. Hoc tamen hic non agitur, sed loquitur iuxta cōmune iudicium dei, ut deus solet operari

rari. Sunt peccata quæ deus planè nobis non imputat: de quibus peccatis discipuli non interrogabāt: sed loquebantur ppter peccata, ob quæ deus hoīes punire solet. Alioqui scimus omnes mortales peccatores esse & mendaces. Absq; dubio cæcus ille sæpius peccauit, & parentes illius: sed nō illis peccatis obnoxij, propter quæ deus huiusmodi plagas hominibus immittere solet: nam de ijs peccatis erat quæstio. Sed uideamus opus dei.

Agit dominus pro suo arbitrio & uoluntate, ut suam gloriam in omnibus conseruet, neq; patitur illam negligi. Quemadmodum lutum non habet, quod dicat figulo, quare me sic fecisti? quia figulus dominus est luti: Ita hoc loco dominus omnium rerū poterit agere cum suis figmentis, ut sibi gratum est. Nō est ut respicias ad peccata: respicias potius ad eum qui omnia facit, ut gloria sua enitescat & manifestetur. quasi diceret discipulis: Non permittit deus absq; causa aliquid. Nam opus dei in illo manifestabitur, ubi illum illustraui: & deo placuit, ut sic nasceretur. Multum expedit hoc secum cogitare in aduersitatibus: deus glorificatur per nos, si non obmurmurauerimus, etiam si non miraculum ex nobis faciat, ut de Daniele & c. Sed si patientes erimus, opus dei in nobis manifestabitur. Non parua laus est, dei filios tam obediētes esse, qui etiam libenter, ut placeant patri cœlesti, crucem impositā ferant, quantumuis molestam. Vbi hæc laus filiorum auditur, utiq; opera dei

manifestantur. Potissimū autem hoc loco respicit Christus miraculum quod erat operaturus in cæco.

Me oportet opari opera eius qui misit me donec dies est. Venit nox quando nemo potest operari. Quādiu fuero in mundo, lux sum mundi.

Declarat qualenam opus facturus sit, opus scilicet patris. Parum quidem erat illustrare hunc cæcum: sed hoc multo amplius, quod per cæcum istum præfiguratur. Propter hoc opus Christus uenerat, nempe ut lucē daret humano generi.

Misit.) Scilicet patris opera. Sed hoc, quādiu dies est, id est, donec durat ministeriū meum, ministrabo fideliter. Solent mercenarij laborare die tota, ad uesperum domum redeunt: tunc tempus quietis, & non laboris, sed mercedis. Id est, nō cessabo ab opibus meis et miraculis quæ facio, neq; cessabo à doctrina mea quoad opera perficiā, quæ iniunxit mihi pater meus coelestis.

Nox.) Id est, futurum est, & non multū abest tempus quietis meæ: nemo nocte solet operari. Propediem aderit finis laborum meorum. Lux sum mundi. Videtis quod uerba ista pulchre respondeant superioribus, & iterum occasione sumit de luce illa differendi. Interim autem admonemur per diem istū, quo deus operatur, et nobis bene esse operandū. Et quāto tempore cōceditur audire uerbū dei, Christus operatur in nobis: quādo au
tem

tem cessauerit ministerium uerbi, & etiam ministerium nostrū, frustra omnia sunt. Et si hinc emigrauerimus, erit tunc tempus quādo nullus poterit operari. Felices igitur sunt quibus contingit uerbum dei audire, quia Christus non minus præsens est nobis, quando suo uerbo alloquitur, quā illo cæco, etiam si nō corporaliter adsit. Lux mūdi est, ut nemo excusari queat. Dicūt quidam, si apparuisset mihi lux, profectō credidissem. Ecce lux lucet, & sui non receperunt. Similiter hi qui uolunt esse Christiani, pro dolor hanc lucem cōtemnūt. Pulchre igitur præludit istis uerbis exercens discipulos suos, ut interim discant, quid sibi uelit cæci illius illuminationis.

Hoc cum dixisset, expuit in terrā, & fecit lutū ex spūto, & illeuit lutum super oculos cæci, & dixit illi: Vade lauare in natatorio Siloë: quod si interpretis, sonat missus.

Verba hæc sæpius repetit Euangelista, et illuminatus iste, cum rogaretur de miraculo Christi: sanè habet in se non pauca mysteria. Non potuit aliter humanum genus saluari, nisi per Christum: nisi filius dei uenisset, et factus esset frater noster, et propitiasset nobis patrē qui in cælis est, actū esset de salute nostra. Hocq; maximum et ineffabile mysterium his uerbis commendatur. Salina Christi diuinitatis symbolum est: quæ salina

coniuncta est luto, id est, humanitati. Verbum caro factum est. Hoc ante omnia oportebat præcedere. Nam in dignitatem Christi deus pater respicit, per illum misericors & propitius factus est, quia is obediens usq; ad mortem fuit. Nos enim quid aliud sumus quàm lutum? nati è terra redituriq; in illam? Christus etià ex humanitate malagma quoddam confecit, & unxit nostram infirmitatem.

Oculos.) Frustra Christus nobis natus esset, nisi communicaret nobis de spiritu sancto: quem cum nobis communicat, sui participes facit, et per illum suum spiritum nos illustrat. Videte quomodo etiam hoc mysterium insinuatur. Humanitas Christi erat nobis comunicanda, ut alibi de sanguine Christi habetis, qui aspersus est in corda nostra. Quomodo sanguis Christi, sic olim sanguis taurorum hysopo &c.

Luto.) Quomodo unxit? Scitis spiritum sanctum unctionem appellari. Christus quoq; ab unctione est appellatus. Vncti igitur spiritu sancto, participes efficiamur meriti Christi. Sic lutum illud quod temperatum est cum saliva diuinitatis, super oculos cæci, id est super nostram infirmitatem perungitur. Inde fit initium nostræ salutis: contra Pelagianos, & omnes qui suis meritis putant se assequi salutem. Christus electus est à patre, deinde spiritus gratiam suam communicat. Quid postea à nobis requirit?

Vade.) Ecce statim, ut uideatis mysterium, mittit ad apostolos, ad ecclesiam, & ad sacramenta ecclesie, ut ut cōtendant cōtentiosi homines Catabaptistæ. Videtis primum mittere ad sacramenta: nam hæc omnia hæc uerbis nobis indicata sunt. Etiam Centurio iste, quæ Petrus baptizauit Cæsareæ, non erat filius nisi baptizatus. Scitis aut natatoriū istud typū gerere baptismi, sicq; patet nobis ingressus ad ecclesiam illā apostolicā.

Siloë.) Erumpebat ex monte: quamuis uere erat torrens, dicebatur tamen missus. Pulchre uult indicare lotionem illam contingere partim per uerbum dei, partim per sacramenta: & deus illa ecclesiā uoluit congregari: & ideo dedit externam lotionem. Vera lotio per uerbum dei contingit.

Abijt igitur & lotus est, & uenit uidēs.

Videtis hoc loco apertionem oculorum sequi lotionem. Accedat ecclesiam primo ut illustretur. Nōne Christus poterat illum illustrare, ut alios cæcos, etiam si nō fuisset lotus? Profectō potuit, sed uoluit modū ecclesie nobis indicare.

LECTIO LI

VT Christus declaret se esse lucem mundi, et solem illum intelligibilē, & illustratorem mentium, memorabile hoc facit miraculum, illuminās eum qui à natuitate cæcus erat: interim docens etiam sumo

Cap. IX ANNOT. IOAN. OECOL.

nam Christianismi. Hoc enim æternum dei consilium est, & summum mysterium, quod per filium suum, per quem nos condidit, etiam redimere dignatur. Hunc autem uoluit fieri hominem propter nos: id quod pulchre indicatur, quia expuit in terram et fecit lutum. Deinde filio tradidit omnem potestatem, ut quos filius adscisceret, hi aduocarentur in regnum gloriæ. Quos inuulgat filius spiritu suo, hi uere filij dei, hiq; credent tandem in ipsum, & constituent populum dei. Hanc benignitatem Christi insinuat his uerbis, Illeuit lutum. Tertio, quantum ad nos attinet, necesse est ut audiamus apostolos & uerbum dei, & aggregemus nos ecclesiæ, quæ per aquã Siloë indicatur: Nam et per illam baptismus noster præfiguratur, per quem ingressus fit in ecclesiã, quæ apostolica est, & per apostolos condita.

Lauit.) Vbi uocati fuerimus à deo, absq; cunctatione parendum est. Quemadmodum Abraham exiit de terra sua & de gente sua, ad uocem imperantis dei: ita ubi nos euocauerit è loco cõsueto, cedendum est ad Siloë, id est, ad populum suum, relicta consuetudine pristina & malorum consortio. In summa, opus est nobis lotionem. Nam lotio ista præsignat internam lotionem, ut lauemur à sordibus animarum nostrarum. Nõ lauabimur autem nisi cognito Christo, illaq; est uera lotio. Alia externa lotio fallere potest: interna neminem fallit.

Videns.

Videns.) Vides fructum obedientiæ: quid credit, uisum affecutus est, iunctus ecclesiæ est, lotionem accepit, etiam uisum. Poterat deus islum antè illuminare, sed misit primum ad flumen.

Itaq; uicini, et qui uiderant illū prius, quod mendicus esset, dicebant: Nonne hic est qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebāt, hic est: alij rursus, similis est illi. Ille dicebat, ego sum.

Audiuistis quomodo illustremur à Christo: nūc quomodo uersandū sit ubi illustrati fuerimus, audietis. Opus enim est nobis confessione. Corde creditur ad iustitiam, ad Rom. 10. Qui non confitebitur me, neq; ego cōfitebor illū corā patre meo. Ita semper coniūcta est cōfessio fidei, ut ore confiteamur quod in corde est. Psalmus: Credidi, propter quod locutus sum. Veræ confessiones maxime innotescunt tempore tētationū. Quod si quis noluerit confiteri Christum, cum nondum tentationes ingruerint, quid facturus est cū ignis purgatorius exardescet? Proinde sapiens dicit: Fili accedens ad seruitutem dei, para te ad tentationem. Christus à baptismo mox ductus in desertū, tentatus à diabolo. Tentatur tum à dextris, tum à sinistris, ab amicis & inimicis. Legimus igitur hic ortum statim esse disidiū de cæco illo, & occasionem dant ut se manifestaret. Pauper erat, & plerisq; cognitus ob paupertatem eximiā:

Cap. IX ANNOT. IOAN. OECOL.

assidebat templo, rogabat ut aliquid sibi tribueretur.

Nónne hic.) Mirum est, cum miraculum istud factum fuerit in propatulo, quod non magis ad illustratorem mentium Christum procurrerint. Verum spiritus sanctus indicare uult, quàm excæcata fuerit mens iudeorum. Illis lux missa, sed maluerunt in tenebris quam in luce uersari. Vicini inquirunt, an ille sit. Verisimile omnino est, quia tam diligenter inquirunt, & ipsum ad phariseos ducunt, plerosq; ex illis malo animo interrogasse, ut Christo insidias struerent: explosum enim erat nomen Christi & abiectum apud Iudeos. Rumor iam ad omnes dimanauerat, imò iam promulgata lex de excludendo è synagoga: attamen Christus libere ambulabat. Confessio cæci fortitudinis spiritualis indicium erat, & fidei ueræ signum. Hoc loco ut in plerisq; alijs fides crescit cæci. Principio imperfectior erat & rudis, crescit tamē fides in ipsa persecutione. Accidit cū eijceretur è synagoga, & iniuria afficeretur à Iudeis, ut Christum inuenerit, & aperte cognouerit, palamq; illum, de quo solum antè audierat, & non recte cognouerit, confitetur: et magis ad obediendum Christo, quam curiose perquirere paratus erat. Principio igitur paruula fides: nam dicit, Ego sum: Id est, sum ille olim cæcus, miser, mendicus, sed dei beneficio nunc alius.

Dicebant ergo illi: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit ille & dixit: Ille homo

le homo qui dicitur Iesus, lutum fecit, & inunxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad piscinam Siloë, et lauare. Vt autē abij, ac laui, uisum recepi.

Qua ratione oculi tui aperti sunt, edisere. Etsi aliqua parte cognouerant, attamen sedulo interrogant et sepius, si possent occasionem cōtra Christū inuenire, quia miraculū factum in die sabbati. Si igitur Christus plus solito laborasset in isto die, intētassent ei crimē uiolati sabbati, quod sanctissime oēs obseruabāt. Ita mundus perpetuò agit. Non est illi cura promouendæ gloriæ dei, sed potius opprimendæ magis sollicitus est, ut suis desiderijs satis faciat, quàm ut emendatior euadat.

Homo.) Adhuc hominem uocat, neq; iustum, neq; sanctum: simpliciter autem beneficiū cōfitemur, quantum cognouerat. Nam quod Christus expuerat, nō poterat uidere, neq; cognoscere: ideo hoc omittit, sed solum dicit, fecit lutum &c. is modus est, quo inueni salutem meā. Simpliciter narrabat factū, & pars erat aliqua gratitudinis. Quid poterimus deo præstare aliud de omnibus operibus, quàm ut grati simus? Omnia ab eo accepimus: inuocemus ergo nomē domini. Quid retribuam domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem domini accipiā, et nomen domini inuocabo. Gratiarum actionem recipit dominus, uultq; gloriam suam saluam ante omnia: quæ non salua erit, nisi confitea-

mur Christum esse uerum saluatorem. Quiq; deo placere uoluerint, huic mundo non placebunt. Duobus dominis simul non seruiemus. Luc. 16.

Dixerunt ergo illi: Vbi est ille? Ait: nescio. Adducunt illum ad pharisæos qui dudum cæcus fuerat. Erat autem sabbatum cum lutum faceret Iesus & aperiret oculos illius.

Considerandi sunt semper affectus aduersariorum, qui liuore nimio uexabantur. Vbi est, dicunt, ille, scilicet uiolator sabbati, homo de quo dicis? Nam non est uerisimile, quod ad gloriam suam locuti fuerint, cum iam antea nouerint Christum: sed aliquid ueniri uoluerunt ex ore cæci, quo perderent Christum.

Nescio.) Et uere nesciit, quia imperfecta eius adhuc fides erat. Vbi Christus sit, & in quanta gloria, & quanta operetur, nescimus, donec plenius adoleuerimus in mensurâ adultæ ætatis. Verum postea Christus cæco se reuelat. Iam quo animo Iudæi sunt ista locuti, subditur.

Ducunt.) Ut rationē rei ab illo petant, quod maluerit in die sacro curari, idq; esse iudiciū neglectæ religionis. Ducitur ad superciliosos iudices cæcus. Et pulchre additur, ἔρχεται τυφλός. Ducitur quidē, ut apote ipse malefactor, iudicandus ab illis.

Sabbatum.) Semper obseruabāt Iudæi, si possent Christum

Christum in operibus reprehendere. In 5. & 7. cap. apparet, quàm egre tulerint Christum sanare agrotos in die sabbati: Nam hoc faciebat Christus, ut gloria dei magis illustraretur: neq; agebat in angulo sua miracula, sed cum populus adesset, ut celebris fieret. Si quis voluerit uidere mysterium, facile deprehendet. Christus homo factus die sabbato, id est septimo, in plenitudine temporum, in hebdomadis istis cum adesset nunc sabbatum uerum.

Iterum ergo interrogabant illum & pharisæi, quomodo uisum recepisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi imposuit super oculos, & lauabar, & uideo. Dicebant ergo ex pharisæis quidam: Non est hic homo à deo, quia sabbatum non obseruat. Alij autem dicebāt: Quomodo potest homo peccator hæc signa ædere? Et dissidium erat inter illos.

Ne putes satanam ad primam tentationem, si uictus fuerit, et succubuerit, cessaturum: multæ enim tribulationes iustorum: dominus tamen assistet illis, & liberabit eos. Igitur ubi populares isti percontati erant ab illuminato quomodo uidisset, id ipsum & pharisæi faciunt eadem malignitate, imò maiori. Omnibus manifestissimum quod lapides sustulissent ad lapidandum, ut hostem

dei, Christum. Rem uidebant planè omnibus modis hominibus impossibilem, nihilominus interrogant. Sicut supra respondit, ita & nunc quoq; constans est, & nihil adimit ex uerbis suis.

Quidam ex phar.) Videtis nunc tentationem: sollicitant si possint auocare à Christo, & ex grato facere ingratum. quasi dicant: Non seruat sabbatum, inimicus est dei, neq; à deo missus, quacunq; ratione uisum acceperis: cum Christus omnium maxime seruaret sabbatum. Præterea sabbatum propter hominem institutum, & non homo propter sabbatum. Quod autem Christus antea docuerit de uera libertate, hoc non attendebant, sed ut pertinaces semper in sua sententia permanent.

A deo.) Semper deus quosdam excitat, gloriam suam uindicantes: quamuis pauciores nonnunquã, necesse tamen est ut confundantur superbi illi.

Quomodo potest.) Signa facere etiã possunt peccatores: sed qualia signa? Qualia Christus fecit, profectò nullus potest homo, taceo peccatores. Etiã apostoli fecere signa: etiam mali, ut Iudas: sed talia quæ cedant ad gloriam dei. Magi non sua uirtute signa fecerunt, sed incantationes habebant. Apostoli non nisi inuocato nomine Christi miracula ediderunt. Et bene taxantur pharisei. Quid agitis? nõne uidetis signũ manifestissimum? Ita orta contentio est.

Solet deus perpetuò fidē probare an solida sit, & que uere mereatur nomen fidei: ita ut nobis quoque innotescat, num uere credamus an nō. Quid opus habet deus probatione? &c. Nos uero non sumus nobis ipsis satis cogniti: sæpe enim persuademus nobis, quasi credamus deo, cum tamen longe à fide absumus: deinde ubi uiderimus nos in tentationibus succumbere, tandem intelligimus quàm parua fides nostra fuerit. Sic etiam operibus probanda est fides: siquidem se non operatur per charitatem, tunc non est satis solida. Sic etiã in cæco illuminato uidere licet, quomodo probatus fuerit: nam semper oblatae sunt ei occasiones, ut confiteretur beneficia in se collata, et apud eos potissimum, quibus ingratisimum erat audire gloriam Christi. Sic sequitur:

Dicunt cæco iterum: Tu quid dicis de illo, quia aperuit tibi oculos tuos?

Quamuis iam antea audiuiissent illuminatū esse illū ab homine, qui dicitur Iesus, audiuiissentq; etiam modū quo Christus aperuisset, factō luto: nihilominus adhuc instant, ut expiscentur aliquid ab illuminato, si forte maiorem occasionem inueniant accusandi Christum.

Quia aperuit.) Rationē Euangelista ponit: quia aperuit, nimirum in die sabbati. Volunt dicere: Quid

Cap. IX ANNOT. IOAN. OECOL.

sentis de eo, cum alij dies sint, in quibus possit operari? putas tu illum hominem esse sanctum?

Ille autem dixit, propheta est.

Ascendit aliquantulum in confessione Christi, & in tentatione crescit etiam cognitio. Antea dixit, homo qui dicitur Iesus, fecit lutum: nunc uero Christum dicit. Non sentit ut de uulgari homine uel impio: sed nondiam satis credebat de Christo, ut oportebat. quasi dicat, conferendus alijs prophetis. Ita qui bene sentiebant tunc de Christo, prophetam uocabant: etsi magnus ille esset propheta, de quo Moses scripserat. Sed hoc encomium non sufficiebat Christo. Videamus nunc cognitionem illius augeri.

Non crediderunt ergo Iudæi de illo, quod cæcus fuisset, & uisum recepisset, donec uocauerunt parentes illius qui uisum receperat, et interrogauerunt illos, dicentes: Hic est filius uester, quem uos dicitis cæcum natum esse? Quomodo ergo nunc uidet?

Hic obseruamus duritiam obstinatorum pharisæorum, quibus nulla doctrina sufficit. Nam quamuis ille manifeste indicaret se fuisse olim cæcum, tamen illi non contentabantur: quasi Christus subornarit aliquem huic similem, qui talia diceret: quia miraculum tam clarum

erat, ut negare non possent.

Parentes.) Ab illis percontantur, an ille sit filius cæcus. Semper carnales nequeunt spirituales iudicare: Spirituales uero contrà, possunt carnales iudicare, & qd sit in eis, exacte deprehendere. Vnde nō est mirū se Iudæi omnia alia suspicantur quàm diuinū miraculū.

Responderūt illi parentes eius, & dixerunt: Scimus quod hic filius noster, & quod cæcus natus est: quomodo autem nunc uideat, nescimus: aut quis illius aperuerit oculos, nos nescimus. Ipse se etatem habet, ipsum interrogate, ipse de se loquetur.

Parentes illi non dabant gloriam Christo, sicut Euangelista mox subiungit: quia pharisæi iam edictū promulgarant, ut eijcerentur ex synagoga, quicumq; Christum confiterentur. Vnde illi etiamsi fortasse cognouerint filium suum illuminatum à Christo, tamen non audebant confiteri. Tria interrogauerant pharisæi. Primum, num filius: secundum, num cæcus natus: tertium, quomodo nunc uideat. Duobus citra periculum poterant respondere: tertium autem periculo non carebat. Interim uidemus natiuitates illas duas pulchre distingui, carnalem & spiritualem. Carnalis enim natiuitas non dat nobis illuminationem oculorū:

Cap. IX . ANNOT. IOAN. OECOL.

neq; carnales patres, quatenus carnales sunt, Christi notitiam dant, sed qui per uerbū dei regenerantur. Satis per scripturam indicatum est, quomodo Christus sit qui illuminet. Verum quomodo? quia uerbum dei factū est caro, inunguntur oculi nostri gratia spiritus sancti & benignitate Christi, unde cōtingit illuminatio. Hoc carnales planè ignorant, & Christum ipsum.

Quomodo uid.) Verum est de carnalibus parentibus, non possunt testari. Et certum est, illi fecerunt hoc solo metu. Etiam hi qui supra modum meticulosi sunt, nolunt Christum confiteri: neq; deliguntur à deo ut fiant præcones beneficiorum dei. Bene est etiā si mysterium inquiretis. Hi qui illustrati sunt à deo, non grauantur de miraculis dei loqui, si interrogati fuerint. Fidem confessio sequitur, etiam si innumera tormenta concomitarentur.

Hęc dixerunt parentes eius, quod timerent Iudæos. Iam enim conspirauerant Iudæi, ut si quis confiteretur illum esse Christum, fiat excōmunicatus. Propterea parentes illius dixerunt, ætatem habet, ipsum interrogate.

Ecce quantum malum secum fert pusillanimitas: nam parentes illius uidentur fuisse conscij tanti beneficij. Oportebat illos omnē pecuniam expendere, ut inuenirent

uenirent eum, qui curauerat filium suum: sed adeò ingrati fuerunt præ metu, ne cōtemptibiles fierent apud Iudæos: ideoq; nolunt confiteri Christum, quia sciebāt mandatum & mentem inuidam Iudæorum: etsi semper dicebāt se alienos esse à cæde Christi. Institutio ista apud Hebræos per se non erat mala, rebelles excludere: sed oportebat recte iudicare, ne innocentes pro nocentibus plecterentur. Opus est ad conseruandā rem publicā certis legibus & disciplinis, ut morbidæ oues, ab ijs quæ bene ualent seiungantur. Proinde constitutio ista bona erat. Lex est: Falsus propheta lapidetur. Non erat tamen ita seuera lex, ut nullum utcunq; excusaret. Nā dicitur, omnis populi esse lapidare falsum prophetam. Etiam non uult ut parentes parcant filijs: nihilominus si abstinuisset quis, non tam dure punitus esset. Iam multum fallebantur in iudicio suo, quia Christus, qui erat ipsa ueritas, per quem etiam cæteri prophete locuti sunt, pro falso iudicabant, cum ipsi false docebant & alios condemnabant. Nihilominus huiusmodi cōstitutiones quamuis impiæ, multū ualere apud homines pusillanimes scimus, qui non maioris faciunt deum cœlestem quàm hominem terrenum. Vbiq; resillit Christus hunc metum: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Si adesset timor dei, necesse foret cedere timorem istum mundanum. Multo nobiliores erimus coram deo, si ma-

ledixerint impij, quàm si benedixerint. Sed cum parentes illius admodum meticulosi essent, indigni habiti sunt qui prædicarent Christum.

Vocauerunt ergo rursus hominē, qui fuerat cæcus, & dixerunt illi: Da gloriam deo. Nos scimus, quod hic homo peccator est.

Videte nouam tentationē, & quibus fraudibus impetant bonum hominem pharisæi. Prætexunt gloriam dei, & scientiam etiam suam. Quid æquius uideri potest, quàm ut in omnibus detur gloria Deo? Deinde commendatissima est modestia, ne solus uideatur sapere. Adsunt superciliosi isti, qui illum iterum excæcare uolunt.

Da gloriam.) Id est, loquere ueritatem, per illam deus colitur. Si quod in fauorē hominū facere nolumus hoc in gloriam dei faciamus. Esto, hominibus cor abscondamus, uel fingamus quippiam, non possumus ita fingere coram deo, qui scrutatur cor. Hoc tibi gloriosius erit, ut deo gloriā des, & non huic homini. In speciem sermo iste nihil mali sonat: etiam omnibus hoc est præceptum, ut dent gloriam deo: nam illius solius est gloria, & nulli alteri debetur. Sed quam gloriam illi censebant? Christum non glorificare, cum maxima dei esset gloria. Audistis, qui honorificant filium, honorificent

ficant & patrem. Hoc peculiare est Iudæis & perpetuum, nam uerbum crucis apud illos male audit, & religiosissimi omnium uolunt esse. Sic & Ariani & ceteri heretici laborant simili morbo. Patiuntur enim ut Christus sit excellentissima creatura, et summæ dignitatis post deum: abhorrēt tamen si uocent deum, et putant minus gloriosum esse deo. Hi simili tentatione solent pulsare imbecillum pectora: Putas illa esse apud deum? & crassa inculcant. Sed qui Christū agnouerūt benefactorem suū, aures istis non præbent præstigijs.

Peccator.) Vide hic supercilium istorum, qui sola sua autoritate inani, uolunt hominem dementare. Non seruauit sabbatū Christus: quod tamen iam antea excusauerat. Tendit omnis sermo illuc, ut absque omni scriptura & ratione Christum reiiciant. Miracula contraria dicebant semper. Superius monui in istis capitulis pulchre adumbrari nobis, quomodo de doctrinis iudicandum sit: ne sinamus nobis imponi: etiam si angeli sint & dicant nobis contrariū quid diuinæ doctrine, anathema sit. Audiamus causas, ne ita iudiciū nostrum abijciamus.

Respondit ergo ille & dixit: An peccator sit, nescio. Vnum scio, quod cæcus cum fuerim, nunc uideam.

Videmus etiam hic libertatem sermonis in hoc homine: cum illi arrogent sibi autoritatem, hic nō solu-

non credit, sed etiam obsistit. Non parum sugillant hisce uerbis, etsi disimulent.

Peccator.) Vos quidē pronuntiatis, sed quid probastis? adhuc causam non assignatis. Si hoc non est temere iudicare, quid aliud est? Dicitis hostem dei, nescio quā hoc deceat uestram sanctimoniam. Non uidetur esse hominis peccatoris, illuminare aliquē, & eum qui cecus erat tanto bono afficere. Quō me uultis ducere? uultis ut mentiar coram deo? Ita uidemus quomodo fides sese exerit & manifestat.

Dixerunt ergo illi iterum: Quid fecit tibi? quomodo aperuit oculos tuos?

Non sine causa hæc repetitio est, ut uideatis quomodo cohæreant illa. Intelligebant pharisæi se mordere, & sanctimoniam simulantes uolebant ex ore illuminati occasionem quandam accipere, ex qua concluderent Christum esse peccatorem. quasi dicant: Nō es memor quā probe seruarit sabbatum, cum putes illum tantū sanctum esse? quomodo fecit lutum? Hæc sunt quæ non decent in sabbato fieri. Christus propterea non est peccator, imò benefactor. Sed ille aliquanto iam magis liber in sermone, iterum pharisæos incesit.

LECTIO LIII.

ITerū licebit uidere certamen inter carnales & spirituales, & inter eos qui gloriam dei promotam cupiunt.

piunt, & eos qui obstant illius promotioni. Nam fide-
 lium & filiorum dei typum gerit cæcus illuminatus,
 reprobiorum autem hominum pharisæi. Dixerant ul-
 timo loco pharisæi: Quid fecit tibi? Hisce uerbis insti-
 nuant, quomodo Christū perstringant et arguant uio-
 lati sabbati. quasi dicerent: Cæce, non uides hunc non
 esse uirum dei? non attendis quid tibi fecerit? non ani-
 maduertis quomodo oculos illuminarit? Oportebat tē-
 pus & circumstantias etiā considerare. Et hoc quidem
 locuti sunt illi ad deprimendam gloriam Christi. Porro
 cæcus ille illuminatus, quanto magis increbrescebant
 minæ pharisæorū, tanto maiori fiducia gloriā Christi
 annūciat, et liberius illorū impietatē et malitiā incusat

Respondit illis: Dixi uobis iam, nec
 audistis, cur iterū uultis audire? Num
 & uos uultis discipuli illius fieri?

Attendit illuminatus iste dolum, quo locuti erant
 pharisæi, & indignos responso censet. Non erant enim
 nunc digni quibus beneficia dei annunciarentur, qui illa
 sic exhibabant & uilipendebant. Discipulis, & ijs
 qui gloriam dei promotā cupiūt, tanta nequaquam ab-
 scondita sunt, etiam si sæpius eadē repetere oporteat,
 ut sic Christus doceatur. At si inciderimus in porcos,
 uel in canes, & intellexerimus prædicationem Chri-
 sti iam nihil fructus asferre, sed sola conuicia & contu-

melias, expedit ea recondere & silere. Vnde dicit:

Dixi uobis.) Satis intelligo quo animo ista quæ-
ratis, & quid cupiatis discere ex me: Iam antea uobis
dicta sunt: uultis discipuli illius fieri? nam discipulis
sæpius talia oportet inculcare. Sed uos an nitimini ma-
gis ut Christum conculcetis, & crucifigatis: quia iam
conspirabant in mortem Christi. Videtis igitur ut ille
gloriam Christi promotam cupit? quasi dicat: Si uultis
discipuli illius fieri, dicam uobis: sin minus, non estis di-
gni ut enuncietur uobis.

Cōuiciati sunt ergo illi, & dixerunt:
Tu discipulus illius esto, nos autem Mo-
si discipuli sumus. Nos scimus, qd Mosi
locutus est deus, hunc autem nescimus
unde sit.

Quoniam uidebant se contemni à cæco isto, agunt
etiam ipsi amarioribus dictis, gloriabundi quidem de
sua sanctimonia falsa, Christum autem omnibus modis
contemnendo & discipulum eius. Obiurgare & con-
uiciari inter opera carnis recensetur: ubi deficiunt uer-
ba spiritus, deinde procurritur ad arma conuiciorum.
Illius.) ἐμφαλτικῶς. Id est, uilis istius hominis, il-
lius magni peccatoris.

Nos sumus.) Quem dominus mirum in modum
glorificauit, & eius scripta quotidie legimus, illius præ-
ceptis

præceptis obtemperamus: Christo nõ parebimus. Mo-
ses præcepit feriare sabbatũ, ille tuus soluit. Reiciunt
illum, cum tamen hi multo uiliores sint, imò incompa-
rabiliter, qui seruiunt Mosi et literæ, quàm qui Christo
seruiunt. Moses misit ad Christum, Moses pædagogus
est, uixq; caractères docet, uerum spiritum solus Chri-
stus ministrat. Moses omnia parauit euangelio. Etsi ea-
dem perfectio in lege etiam abscondita sit, tamen po-
pulus in externis uersabatur, relictæ uera iustitia.

Moses non potuit ferre unum de ijs quæ præscribebat.
Christus præcipiēs nobis, ut amemus inimicos nostros,
etiam & uires suppeditat, ut eadem facere ualeamus,
quæ ab ipso sunt præcepta. Quanto igitur gloriosius
seruire Christo quàm Mosi? Qui dediti sunt externis
ceremonijs relictæ interna iustitia, tunc assimilantur
pharisæis. In quorũ autem pectoribus est regnum dei,
hi sunt discipuli Christi, & magistrum habent qui in
coelis est. Verum hoc peculiare pharisæis ut Christum
contemnunt, & sua putent optima. Si Mosen bene in-
tellexissent, suscepissent utique Christum, quia de illo
locutus est Moses.

Scimus.) Ex scriptis quidem, etiam ex traditio-
nibus patrũ, quomodo deus in Sinai monte locutus sit.

Hunc.) Id est, Hic homo uilis est, neq; ita clarus
ut Moses: quis dicet nobis quis ille sit? Adhuc incertum
est an doctrina eius ex deo sit, uel nõ. Periculum est ali-

Cap. IX ANNOT. IOAN. OECOL.

quem illi credere, cum posses alioqui bona conscientia uiuere. Reijcimus hic stultum illud uulgi iudicium. Certum sit, si quid abducatur nos à Christo, hoc esse inutile, sit dictum à quocunq;.

Respondit ille homo & dixit eis: In hoc enim mirabile quiddam est, quod uos nesciatis unde sit, & tamē aperuit meos oculos. Scimus autem quod peccatores deus non audit: sed si quis dei cultor est, & uoluntati illius obtemperat, hunc audit. A seculo nō est auditum, quod quis aperuerit oculos cæci nati: nisi esset hic à deo, non potuisset facere quicquam.

Iterum crescit fiducia sermonis apud cæcum: siquidem iam manifeste reprobatur eos, cum Christum agnoscere uolebant, & pro triuiali homine haberent. quasi diceret: Non est uerisimile quod ignoretis illum esse à deo, quemadmodum simulatis. Vere ita est: tanta opera sunt Christi in illuminatione gentium & eorum qui conuertuntur, ut uere maximum miraculum sit, si quis de doctrina dubitauerit Christi, cum totus orbis crediderit in illum, qui est crucifixus, & maxime cum attendat fidē tot seculis durasse. Inter tot falsos fratres nihilominus creuit gloria Christi, et illuminatus est mundus. Si Christus uel armis, uel seculari potestate, uel prudentia

dentia fidem plantasset, ut quædam respublicæ creuerunt, miraculum non esset: sed longe aliter suum populum collegit.

Aperuit.) Nihil ne uos mouet id miraculi, quod solis suis precibus peregit? Non tribuo hoc uel luto uel alicui rei, sed illius religioni. Cum tam sanctus sit, quo modo possem dubitare doctrinam eius non esse à deo?

Deus non.) Scimus hos (apud nos est receptum, confessumq; apud omnes) odio habere deum peccatores, & nequaquam preces illorum audire: & si audit, non in utilitatē eorum cedit, sed potius in ruinam. Non misericorditer audiuntur, sed in iracundia, & perinde est ac si non audiuntur, quia illi in suum commodū petunt omnia. Peccatores dicimus eos quibus est animus Peccatores perseverandi in peccatis. Cupiditas peccandi in illis, qui sint. quia non pugnant contra peccatum: aliàs nullus mortalium absq; omni macula peccatorum inuenitur. Qui desistūt à peccatis, illi non dicuntur peccatores, & illos exaudit Deus. Si in genere uelis intelligere, non quædrabit huic instituto. Sed Iudæi Christum pro insigni peccatore habebant, ideo indigni ut preces eorum exaudiuntur. Spiritus sanctus ille est qui nos docet orare: si illo præditi erimus, exaudiemur: quia ille instigat ad illas preces, quas nequaquam deus reijciet.

Cultor dei.) Illorum preces deus audit, qui colunt eum: hæc q; sententia uera est. Quomodo colimus deū,

Cap. IX ANNOT. IOAN. OECOL.

nisi uera fide, & humilitate cordis nostri? Qui enim est cultor dei, gloriam illius promotam cupit, ideo dignus est qui exaudiatur.

A seculo.) Adhuc errabat non omnino illustratus in animo suo, etsi corpore uidebat satis: putabat enim Christum precibus suis impetrasse curationem oculorum suorum, cum non precibus, sed sua maiestate diuina sanitatem contulisset. Dicit: Si igitur ille non esset à deo, non potuisset aliquid facere, & deus nequaquam permisisset, ut me curaret. Hoc quod in me factum est, proficit in gloriam dei. Si nollet gloriam dei promotam, deus non permisisset.

Responderunt & dixerunt illi: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras.

Iterum apparent arma impiorum, calumnie, conuicia, contemptus &c. nihil habebat quod obijcerent, ideo necessum est ut insaniant. Christus excusauerat eum, quod neq; ipse, neq; parentes peccassent. Ita etiã de beato Iob dictum est, cum amici eius in illo offensi sunt. Quotidie est cernere multos, qui ita temere eos, qui in hoc seculo affliguntur, & conformes sunt cruci Christi, ut summos peccatores abijciant et contemnãt, quasi tanti meriti sint, quo puniantur.

Doces.) Arrogas tibi tantam auctoritatem? Esto uerum sit, tamen non est ut tu doceas nos. Sic episcopi solent

solent & superciliosuli respondere.

Eiecerunt.) Intolerabilis erat hæc doctrina, & cum uiderent se nihil proficere, in contumeliam Christi excommunicant illum à sua congregatione. Hactenus uidimus quomodo ille egregie, tametsi in ipso tyro cinio neophytus, nondum satis initiatus, certauerit pro Christo: nunc uidete fructum & præmium quod consecutus est.

Audiuit Iesus quod eiecissent illum foras, & inuēto illo dixit illi: Tu credis in filium dei?

Etiam hoc dictum non caret consolatione. Videt enim deus tribulationes iustorum, & in tempore succurrit istis. Audit deus omnes blasphemias, considerat conuicia, quæ in paruulos suos conijciuntur. Ne putes hoc ignaro Christo fieri. Quantum ad historiam pertinet, fieri potest ut quidam dixerint illa Christo: ut, Ecce illi cacū absq; omni causa eiecerunt etc. Sed spiritus interim illa cōmendat, ut sciamus certaminis nostri inspectorem esse Christum, imò oportebat hoc excitulare nos ad bene agendum.

Tu credis.) Iam datur ei perfecta illuminatio, cū antea minus sensisset de Christo, utpote de homine & amico dei: dignus ut plenam cognitionē Christi agnosceret. Non erat hæc uox hætenus cognita cæco.

Respondit ille et dixit: Quis est domine, ut credam in illum? Et dixit illi Iesus: Et uidisti illum, & qui loquitur tecum, ipse est.

Pulchre instruit eum Christus, ut uere possit esse gratus, & capax maiorum beneficiorum. Itaq; sedulo oportet interrogare de diuinis rebus.

Et uidisti.) Id est, ille qui tibi oculos tuos aperuit, qui loquitur tecum. Certum hinc indicium Christū filium esse dei. Hoc propriū Christi, ut aperiat oculos cæcorū. Non nostris uiribus Christum agnoscimus. Caro & sanguis etc. nisi pater reuelet. Utinam essemus plurimum solliciti de Christo, tunc etiā se nobis reuelaret. Ille initia cognitionis tradit, ille adhortatur nos in pectore ad sui cognitionem, ille est filius dei, sapientia & ueritas æterna. Videte iterum uirtutes credentis.

At ille ait: Credo domine.

Vbi primum se reuelauerit Christus, quā beneficus sit, & quanta bona per illum acceperimus, quodq; ipse sit filius dei: credamus ei, & fiduciam in eum ponamus, ut possit uiuare. Nunc per speculum uidemus ueritatem, aliquando facie ad faciem. Cum igitur se aperit, ne simus increduli. Non solum fides satis est, sed deest ut adsit externa confessio.

Et adorauit illum.

Hic est

Hic est confessio: ostendit se gratum. Multa pertinent ad adorationem internam & externam.

LECTIO LIIII.

Incipit nūc explicare quod obscurius prædixerat, & aliquo modo ostenderat in cæco illuminato, se scilicet esse illustratorem mentiū, et uerum lumen mundi.

Et dixit illi Iesus: In iudicium ego in hunc mundū ueni, ut qui nō uident, uideant, & qui uident, cæci fiant.

Ab initio octauī cap. audistis, quomodo Christus uocauit se lumen mūdi: unde orta disceptatio. Deinde illustrauit cæcum natum. Iam indicat quid uoluerit sibi istud factum.

Iudicium.) In 5. cap. Christum uenisse ut iudicet, habemus. Hic, quod uenerit in iudicium. Alterum propositi est, alterū euentus. Non proposuerat tunc Christus iudicare, neq; iudicabat: sed nunc apparet quod homines iudicantur per aduentum illius. Qui filij dei, hi recipiunt illum, alij uero rebellāt. Venit in iudicium, ita ut reuelentur cogitationes multorum. Et ita datur in resurrectionem et ruinam multorum. Ita in Malach. tanquam iudex describitur: non quod glorioso modo iudicet, id quod in secundo aduentu facit: sed homines ita discernuntur audito uerbo dei, non minus quā sententia proferretur. Vnde uerbum dñi ignis dicitur. Non ueni mittere pacem &c. Euentus illa se ita habet

Cap. IX ANNOT. IOAN. OECOL.

re pr. edicato euangelio ostendit.

Videant.) Vt humiles exaltentur, & superbi humiliantur. Qui de se nihil sapiunt, se humiliant, agnoscetes suam ignorantiam, illi illustrabuntur & uidebunt: qui autem inflati sunt, & se putant omnia comprehēdisse, isti excēcabūtur. Ethnici et pagani nō gloriabantur in lege, & propterea habebantur inter cecos. Venit igitur Christus ut hi uideant: & ita euenit. Videntes, qui cruditi in lege & prophetis erant, quiq; duces ailorum, illi effecti sunt cæci. Alios deus per gratiam suam illustrauit, alios propter superbiam suā excæcari permisit: illis dicit, facti sunt cæci. Hodie etiam istud iudicium domini durat. Nam hi, qui superbo animo inflati sunt, uel confidunt in operibus suis, rarius ueritatem agnoscunt. Porro humiles facilius edocentur. In die licet cognoscere colores rerum, & facies hominum, qui amici, quiq; inimici. Vbi uerbum Christi annunciat, facile dignoscere possumus inter spirituales & carnales. Ita fit iudicium. Nonnunquā quos habuimus pro sanctissimis, pessimi sunt: ita quos pro sceleratissimis, pijsissimi.

Et audierunt quidā ex phariseis hæc, qui cum ipso erant, & dixerūt illi: Num & nos cæci sumus?

Non relinquūt mores suos superbi: in media superbia uolunt uideri humiles, extrema ignorantia docti.

Querunt

Querunt hoc loco, qui propius accesserāt. Erant uero cæci, quandoquidem solem mundi non agnoscebāt. Sed nolebant hæc in se esse dicta. Hac ratione aliquo modo consolatus est eum, qui eiectus erat à pharisæis: quia illi eiecerant innocentem & glorificantem Christum, digni qui eijcerentur in tenebras exteriores.

Nunquid.) Semper sibi placent, & putant se iam comprehendisse omnia, indigni ut redigantur sub ferulam, & discant ab alijs. Nonne satis docti sumus in lege &c.

Dixit illis Iesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc uero dicitis, uideamus, idcirco peccatū uestrū manet.

Iterum non intellexerant Christum Iudæi, de qua potissimum cæcitate loqueretur. Qui lumen fidei non uident, cæci sunt.

Si cæci.) Id est, si non uoluntarie & scientes peccaretis, non imputaretur uobis peccatum. Nemo sine peccato est. Etiā cæcitas inter peccata (loquor de animarum cæcitate) numeratur, & peccatum tale, quod in die iudicij imputabitur: nā qui per ignorantiam peccant, etiam ipsi peccant. Petrus quosdam excusat, qui per ignorantiam peccarāt. Hic uidemus quod non omnino cæci fuerint. Loquitur de uno peccato, sub quo omnia comprehendimus.

Videmus.) Gloriamini in scientia uestra, quia per
tem legis tenetis, sed ita ut non emendetis uitam uestram:
non est uera uisio, sed mera cæcitas.

Manet.) Id est, non expurgetur, neque in hoc, neque
que in futuro seculo: perpetua poena sumetur de peccato
uestro. Si peccatum manet, dignum ut poena maneat. Moses
uos accusabit, quem auditis: profecto care
tis omni excusatione. Discrimen inter peccata uere mor
talia, et que non sunt uere censenda mortalia. Que hic
abluuntur, illa non dicuntur mortalia: sed peccata im
pœnitentiæ et contra spiritum sanctum, quo peccauerunt
pharisæi, illud nullo modo poterit dimitti. Manet
reatus peccati, quia etiam adhuc est uoluntas peccandi
in illis. Et quemadmodum sibi tribuit lucem, ita istis
tenebras: et qui in tenebras eijciendi erant, cæci sunt,
et cæcorum duces.

Peccatorum
discrimen.

CAPVT X.



Equens caput apte coniungitur huius ca
pituli fini: quia cæcos illos dixerat, ostendit
negligentes esse pastores. Dixit in
parabolis, et non ita aperte perstrin
gens eos. Aegreferebant pharisæi, se tanquam cæcos
contemni: uerum indicat iam illis aliquid durius, quod
indigni sint munere suo, non solum cæci, sed etiam ne
gligentes, quod populi curam non agerent. Iterum so
lidum

lidum scopum de dijudicatione doctrinarum uel pastorum habetis. Vnus Christus uerus pastor, qui omnes suo imperio uerboq; pascit, tamen non inuidet suis id nominis. Utinam rem adijcerent, ut essent ueri pastores. Ponit igitur discrimina aliqua inter uerum & falsum pastorem, & unde dijudicatio colligi possit, quem ut pastorem malum uitare debeas. Ostendit Christus per se officium illud maxime impletum esse, seq; ex omnibus esse fidelissimum pastore. Multa hic occurrunt, quae non paruam consolationem asserre possunt ijs qui uersantur in sacris.

Vere uere dico uobis, qui non intrat per ianuam in caulem ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro.

Ibi est primum discrimen. Verus pastor ingreditur per ianuam, falsus minime. Depingit hic phariseos, tanquam non ueros pastores. Quod ostium sit, ipse exponit post illa, quia non intelligebant istam parocemiam. Illa autem omnia pertinent ad officium ueri pastoris, ut possit etiam prodere falsum pastorem.

Ianuam.) Quibus Christus non est cognitus? qui aliud euangelium adserunt, & qui crucifixum non docent, illi non ingrediuntur per ianuam. Qui seipos dicunt, qui sectantur temporale commodum, qui a diuina gloria utcuq; abducunt, illi falsi pastores sunt. Doctrina Christi tota nos ducit ad gloriam patris prone

hendam. Contrà qui Christum non docent, à gloria dei abducunt. Non parum refert auditorem cognoscere illos, qui per ianuam ingrediantur. Alij exponunt scripturam, & abutuntur: Nam et satan etiam utitur scripturis, sed aufert mentem scripturæ: quid mirum si & falsi prophetae, qui membra illius sunt? Verum qui in luce ambulat, per ianuam ingreditur.

Aliunde.) Transcendunt sepem ut fires, non audent ad ianuam accedere, sed aliunde irrumpunt. Assis latro, furator, mactator, &c. furatur enim animas ouium & perdit. Hoc etiam in principio istius parabola insinuat, ecclesiam dei esse coniunctam, & à bonis pastoribus custoditam. Boni pastores, sicut etiam oues ipsæ, alios qui similiter bene pascunt facile intro mittunt: qui autem non sunt ueri pastores, clam ingrediuntur in domos muliercularum peccatis oneratas, ut aliquas seducant, quia timent prodire in lucem. Non in ecclesias ascendunt, sed aliunde, fraudibus, symonia, pecunijs, beneficijs &c. Ezechiel & Zacharias multa de ueris pastoribus habent.

Qui intrat per ostiū, pastor est ouiu.

Qui libere incedit? qui est de ecclesia.

Huic ianitor aperit, & oues uocem illius audiunt: & proprias oues uocat nominatim, & educit illas.

Varias cōditiones boni pastoris ponit. Primo ostia-
rius aperit. Communiter ianitorem spiritum sanctum
exposuerunt. Oues, fideles qui sunt in ecclesiā. Mihi ut
detur faciem ecclesiā uoluisse designare: quia ecclesia
suos ianitores habet, & clauēs datæ aperiendi & clau-
dendi: non ut sit omnium ouium officium. Oues agnos-
cunt uocem pastoris, sed non habent officium, ut poss-
sint aperire uel claudere. Sunt episcopi in ecclesia etc.
Ne miremini, si ijdem uarijs nominibus appellentur.
Licet facile cognoscere si aperiatur ianua: eunt in ecc-
lesiam, neq; dedignantur salutare ostiarios & c. Sa-
cus in ecclesijs satanæ, ubi non sunt oues. Pastores ue-
ri libenter aperuunt, libenter salutant alios. Ita uide-
tur mihi simpliciter sensus esse: nam coniungit ianito-
rem & oues.

Oues.) Si est uerus pastor, benefacit ouibus, &
sciunt oues quod sit suum pabulum. Nam quicquid ab-
latum fuerit quod non eleuat gloriam Christi, uel quod
diminuit, erit abominatio apud illas. Iam autē ponit al-
ias conditiones.

Suas oues.) Hac similitudine indicare uult ueros
pastores admodū familiares esse suis ouibus, ita ut illas
nominatim uocent: norunt quales sint: oues etiam non
abhorrent ab eis, neq; illi ab ouibus, sed crebra consue-
tudine sibi inuicem noti redduntur.

Nominatim.) Id est, quotidie pascit, uigilabit pro

illis, & assuescunt oues ad uocem illius. Videas ibi singularem charitatem & fidem in bono pastore.

Educit.) Nihil laboris refugit bonus pastor, in pascua ducit, recludit, nunc defendit à lupis &c.

Et cum proprias oues eduxerit, ante illas uadit, & oues illum sequuntur, quia nouerunt uocem illius. Alienum autem non sequentur, sed fugient ab illo, quia non nouerunt uocem alienorum.

Singulari diligentia curam gerit bonus pastor. Per antithesim autem obijce malum pastorem, ille negligens, quem Ezech. describit, non curat oues &c. Inter cetera præcedit oues bonus pastor, nimirum exemplo melioris uitæ, & ipse primū ingreditur ad optima pascua, etiam primum labores perfert, & ita securas redit oues suo periculo, dum prior omnium præcedit.

Et oues.) Id est, gaudent magna securitate apud fideliem pastorem, & omnem curam in eum reijciunt.

Quia uocem.) Id est, bene nouerunt, eumque facile sequuntur. Ita inditum natura ouibus, ut beneficentiã sentiant: fugiunt à malis, ut à lupis: & natura abhorrescunt oues ab alienis. Videte, ista parabola tota à Christo dicta est in cacos pharisæos, quando quidem inuis debant Christo, quod tota plebs sequebatur illum, & relinquebat ipsos. Ostendit igitur eis, quod ipsi non
sunt

sunt ueri pastores. Vnde non est mirum si oues illos non audiant. Sæpe accidit quod optimi quique paucissimos sortiantur auditores, nam quidã uiuunt apud illos, qui non sunt oues, sed hirci & hædi. Non est uitium pastoris. Veræ oues, si agnouerint pastorem, sequuntur.

Hoc prouerbum dixit illis Iesus, illi autem non cognouerunt, quæ essent quæ loqueretur illis.

Non intelligebant Christum uerum esse pastorem, & se esse falsos, uolebant sapientissimi uideri & prudentissimi, & tam apertam paræmiam agnoscere non potuerunt.

LECTIO LV

Hunc morem habet Christus præceptor noster, ut ea quæ obscurius in paræmijs præmittit, postea clarius explicet. Insinuarat antea scribas & Pharisæos nõ esse ueros doctores, sed cæcos cæcorum duces, et non tam pastores quàm fures, qui aliunde quàm oportet ingrediantur, suam potius quàm dei gloriam quærentes. Hoc stupidi non intelligebant in se dictum, nimirum ob superbiam, & de se maiora sentientes quàm oportebat.

Dixit ergo iterum illis Iesus: Vere uere dico uobis, ego sum ostium ouium.

Vos quidem me repellitis, ut seductorem, ut demoniacum, & uarijs conuicijs me aspergitis. Certe illis erat

Christus lapis reprobatus.

Ostium.) Hanc mihi pater dignitatem contulit, ut quisquis uoluerit ad ueritatē uenire, necesse per me illud fiat: ut infra: Ego sum uia, ueritas & uita. Per ueritatem ad uitam ueniemus: ignorato autem Christo, nequaquam patrem cognoscemus. Hoc saepe Euangelista noster indicat, quod Deum nesciremus, nisi filius enarrasset. Recte ipse est ostium, per quod oves ingrediuntur: quod certe maximae dignitatis fuerit: neque speremus alia ratione posse salutem consequi. Non ignoro alios ianuam scripturas interpretari: neque reprobo illos: sed magis accommodatum his quae hic dicuntur, ut ad Christum ipsum referamus. In solo Christo saluari oportebat: per ipsum ingrediemur, & non per alium. Interim humanitate eius aliquo modo utamur, ut per illam ad diuinitatem ingrediamur. Vbi benignitatem agnouerimus Christi, diuinitas apparebit, iuxta uocem Pauli, qui secundum carnem, sed iam nō ultra etc. Vnde etiam quotquot dignitatem Christi negligunt, certum est eos negligenter in scripturis uersari, & non per ostium, per quod oportebat, ingredi.

Omnes quotquot ante me uenerūt, fures sunt & latrones: sed nō audierunt illos oves. Ego sum ostium, per me si quis introierit, seruetur, & ingredietur.

tur, & egredietur, & pascua inueniet.

Alij qui uenerunt ante me, id est, qui non ingrediuntur per ianuam, & me nõ inspirante locuti sunt, quiq; sua quæsierunt, non gloriam Dei, fures sunt. Manichæi hoc loco abusi sunt contra prophetas, quasi non bono spiritu scripsissent, cum tamen non uerba hæc eiusmodi sententiam habeant. Sed illa germana sententia est: Qui non spiritu Christi locuti sunt, quiq; non eò duxerunt, quò & ego duco, nempe ad gloriam patris, & qui bona sua quæsierunt, illi fures fuere & latrones, quia suo officio non perfuncti sunt, quod à Deo patre illis iniunctum erat. Et iterũ perstringuntur Pharisei, quibus unicum curæ erat, ut magno honore haberentur apud plebem: non anxij quomodo populum Deo conciliarent. Quidam fuere qui ausi sunt se iactare Christos, ut Herodes & Theudas Iudas, alijq;, qui multa millia seduxerunt. Etiam post Christum quidam ausi sunt hoc: sed fures & latrones fuere, & perdiderunt alios secum. In summa, quotquot non eodem spiritu locuti sunt, quo Christus, illi non sunt ueri prophete, illiq; ascendunt aliunde, & transcendunt seipem.

Oues.) Quamuis furacissimi fuerint, & multos depraedati sunt, hi soli tamen decipiuntur, qui decipi merentur, ut in Epistola ad Thessal. patet, nempe hi qui ueritatem non amauerunt. Ezech. 14. Si quis in corde suo idoli proposuerit, dignus ut decipiatur. Qui sunt

ex prædestinatis, & uere filij Dei, illi non audient istos latrones, quantumuis eloquentia præditi sint: Dominus non permittit suos ab illis lupis deuorari. Nouit dominus qui sui sint: illi per spiritum statim intelligunt, non esse germani pastoris uocem. Vnde iterum repetit ad differentiam illorum, & dicit: Ego sum ostium: per quod dicit se esse illum ductorem, per quem ad uitam uenimus æternam.

Saluabitur.) Vis ingredi ad uitam? uide ut per Christum incedas: sit Christus uia, sit fons uiuus, & panis uitæ. In unum sensum hæc omnia redeunt. Necessè est ut ingrediaris per illum, non foris hæreas, & expectes solum externam carnem, ingrediaris in ipsum ouile, iungaris cæteris ouibus. Ingrediamur ad contemplandam gloriam Dei patris, congregemur numero electorum Dei, tunc salus continget perfectissima, & sub pastore Christo felicissime agemus. Bona pace licebit ingredi & egredi, ut nemo offendat. Quosdam allegoria ufos fuisse hoc loco me non latet. Egredimur si ex uisibilibus istis inuisibilia agnoscimus, matutina & uespertina agnitione præditi. Relinquamus autem illa, & simplicissime tractemus uerba Christi. Signant pacis, quando egredimur tutò in uineas. Ita de ouibus. Sicq; agnito Christo lupi nihil nocebunt.

Pascua.) Id est, pabulum uitæ. Ipsemet Christus pascit nos sua carne, quandoquidè factus est frater noster:

ster: & nos immortales futuri sumus, ut ipse est gloriosus et immortalis. Qui eum agnoscunt, inuenient pabula animarum suarum. Hæc iucundissima pabula. Aliæ doctrinæ legales, quibus nobis innumera præcepta proponuntur, quamuis sancta sint & pia & à Deo tradita, nihilominus nõ ita reficiunt mentem nostram, quemadmodum Christus, qui ueritas est: & ille secum affert tanta bona, unde poterimus recte pasci & refici. Iam qui Christi spiritu aguntur, ad eadem pabula ducunt, nempe ad illam Dei Christiq; cognitionem. Quid autem sit inuenire pascua, ne uidear meum commentum adferre, sequentia docebunt.

Fur non uenit, nisi ut furetur & mactet, ac perdat. Ego ueni ut uitam habeant, & abundantius habeant.

Qui sub furibus agunt, & illis se erudiendos commiserunt, rapinæ illorum patent, & mactationi: nam si nihil aliud agunt, certe conscientias misere perdunt, ita ut duplo peiores reddantur quàm antea fuerint. Nõ uenit ille ut uiuificet, ut auditorem meliorem reddat, sed uenatur gloriam humanam, quo ipse doctior & melior habeatur. Interim piam mentem abducit auditoris ad incertitudinem, quo hæreat. Nam si quis recte docuerit Christum, is ex spiritu sancto loquetur. Nemo enim dicit Iesu, nisi ex spiritu sancto. Id est, qui eo animo uenerit, purissime docebit Dei patris gloriam. Itæ

Cap. X ANNOT. IOAN. OE COL.

rum igitur perstringuntur Pharisei, cum quibus prae-
cipue Christo negocium erat. Illi longis orationibus do-
mos uidiuarū consumebāt, traditiones humanas trade-
bant: certe erant fures, gloriamq; dei nō prouehabant.

Ego ueni.) Non ut quæram mea, sed quæ patris
sunt: ut oves habeant pabulum suum, uitam eternam.
Hic factus est redemptor noster, effuso sanguine suo ui-
tam nobis comparauit. Ne putes esse uitam momenta-
neam & uulgarem.

Abundantem.) Illam perpetuam & immortas-
lem: & sicut ego, ita & ipsi immortalitate gaudeant.

Ego sum pastor ille bonus. Bonus
pastor animam suam dat pro ouibus.

Talis pastor sum. Qualiter autem uitam acquisie-
rit ouibus, admirabilem modum ponit, nempe animam
suam pro ouibus dedit. Ad eò neglexit sua & quæ sunt
quæ ouium sunt, ut etiam animam suam posuerit. Hæc
summa humilitas Christi & obedientia, quod non dedi-
gnatus est mori, Ad Rom. 5. Vix pro iustis quis mori-
tur &c. Nos eramus impij & peccatores: sed pro talis-
bus mortuus est Christus. Is tandem uerus est pastor,
& iure bonus censendus, qui tanta charitate erga ple-
bem saluandam accensus est. Qui autem charitatis &
dilectionis est expers, & cui uiscera aliena à misericor-
dia, nequaquam dignus est hoc munere. Vnde subinde
apud Paulum uoces uarias mutuam charitatem præse-
ferentes

ferentes auditis: Quis scandalizabitur & ego non ueror? Omnium morbos ferebat & molestias. Quis infirmatur & ego non infirmor? Per quod deplorabat peccatores. Hoc exemplum primū in Christo inuenimus: nihilominus qui spiritu Christi præditi sunt, nomen pastoris accipiunt, sicut apostoli lux mundi, cum unica & sola Christus lux esset: & cum magister esset, etiam ipsi hoc nomine appellati sunt. Paulus magister gentium appellatur.

Bonus.) Non ueni, ut cuiquā damnum inferam, adsum ut saluem domum Israël. Videte quales Pharisæi sint, an etiam eadem charitate serueant.

Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, uidet lupum uenientē ac deserit oues, fugitq; & lupus rapit ac dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & oues non sunt illi curæ.

Quam tutum est uersari sub Christo pastore, tam periculosum sub mercenarijs illis, qui addicti sunt humanis traditionibus: illis inquam pastoribus qui nihil querunt nisi sua. Dices, cuius proprie sunt oues, quam solius Dei? ut psalmus habet: Oues pascuæ eius. Nihilominus qui spiritu dei docent, illi poterūt oues appellare suas: alijs in Christo unū sumus, & sub uno capite.

Nō est ut quis se alteri praeferat. Christus uerus pastor, oves sunt suae: nihilominus qui electus ad hoc officium, ille eo feruore sollicitus erit pro ouibus, plusquā pro sua ipsius salute. Hoc nequaquā facit mercenarius pastor, qui pascendi uentris gratia adest, qui ex ministerio Christi facit questum: uel ut magnus habeatur in populo, uenatur propriam gloriam: & ille non magnificat etiam si oves pereant. In periculis nihil solatij erit hoc pastore, fugit lupum, fugit haeticū &c. etsi posset tueri uel defendere, sed non uult periclitari propter illas. quasi dicat: Quanto felicius erit uiuere sub Christo, quā sub mercenarijs istis, qui nihil non faciunt in damnum ouium. Ille non solum tueri potest à falsis fratribus, sed etiam ab illo sanguinario lupo diabolo, qui semper querit quē deuoret. Lupi propriū est dispergere, & satan hoc non negligit. Videtis hoc loco, proprium esse pastoris, ut oves coadunentur. Si unicum uerbum fidei habuerint pastores, tunc congregabūt oves Christo. Et hi *Sectarum* quoq; probant se mercenarios pastores, qui *sectas* insti-
autores. tuunt, & ab ecclesia Dei defecere. Unus dominus & unum ouile. Vbi nō est charitas, ibi disperguntur oves, & ex uarietate doctrinarū sectae oriuntur. Quid opus multis? mercenarius paratus est ad fugam, spectat suum commodum, de quibus non est ei cura.

Ego sum pastor ille bonus, & cognosco oves meas, & cognoscor à meis. Si-
 cut

cut nouit me pater, ita & ego noui patrem, & animam meam pono pro ouibus.

Vidisti mores mali pastoris & mercenarij, iterum uide quanta bona habeas apud Christum: se libenter communicat ob immensam suam bonitatem. quasi diceret: Magna est inter me & oues meas familiaritas. Cognoscit Christus suos, & benignus est erga illos. Cognoscere in scriptura ad familiaritatem & benignitatem refertur. Sic dominus dicit: Nescio uos, de illis quibus beneficia non uult dare & conferre. Hic autem dicit: Ad me confluunt, ut beneficia à me recipiant, benignus & mitis sum. Cognoscere.

LECTIO LVI.

Avdiumus discrimen inter bonos & malos pastores, unde etiam licet internoscere inter doctrinam ueram & falsam. Ut igitur ostendit officium boni pastoris, quem & se esse confessus est, nunc quanta bona ab eo expectanda sint, adiungit. Ipse oues agnoscit suas, & ita agnoscit, ut illis benefaciat. Non enim est sola scientia cognitionis, sed etiam beneuolentiae. Rursus agnoscitur ab ouibus, id est, oues nihil dubitant de illa beneuolentia pastoris, si quidem defendantur à lupis.

Pater.) Magna est animi uoluntas inter me & patrem, summaque amicitia & unanimitas: pater honorificat filium, & filius patrem. Sicque ista coherent. Pater

Cap. x ANNOT. IOAN. OECOL.

omnia dedit in manus filij, & filius omnia agit ut pater glorificetur. Hoc est cognoscere patrem, & cognosci. Nam si de diuina notitia loquamur, qua sola patri filius cognitus est, iam non bene cohærebit. Nam alia Christus cognitione oues cognoscit, si quis de illa cognitione uelit loqui. Ipse arcana cordium cognoscit: nos quantum ille reuelat, cognoscimus.

Animam.) Ut uideas quomodo ego cognosco oues, quàm misericors sim erga illas, iam iam morior. In cruce posuit animam suam, & cum uersaretur inter media pericula, dicit pono, in presenti: quia lapidare uolebant & non poterant. Sic Paulus commemorat mortes quotidianas. Dicit, tanta est charitas mea, ut paratus sim mori pro ouibus meis. Licet plerique ex Iudeis habiti sint pro ouibus, sed planè tamen erant aliæ oues ex gentibus ad fidem conuocandæ.

Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, illas quoq; oportet me adducere, & uocem meam audient.

Ut scias quod cognoscent me, quia obtemperabunt mihi. Oues sunt omnes qui prædestinati sunt ad uitam æternam, quas sanguine suo redemit, non solum Iudeos carnales &c.

Ouili.) Id est, ex Iudeorum gente. Misso spiritu sancto, illas oues per apostolos oportebat adduci, & quotidie adducuntur per prædicationem uerbi dei. Ve

rum ibi de pura ecclesia loquitur, ut cognita est à patre, non ut nunc promiscue agit, quæ sola appellatione nominis inter Christianos est, alioqui à Christianis moribus aliena. Qui non audient uocem domini, et si in uestitu ouium incedant, non sunt tamen oues, sed potius hœdi.

Et fiet unum ouile, unus pastor.

Ad Ephesios: Vna fides, unus dominus, unum baptisma: Id est, una ecclesia est electorum & prædestinatorum ad salutem. Si quis uelit torquere hoc dictum, & omnibus salutem promittere, etiam impijs, planè uim faceret scripturæ. De ouibus loquitur. Impij uocem domini non audient: qui autem cupiunt de uera esse ecclesia, illi audient uocem pastoris sui, neq; patientur se abduci. Abducuntur aut; si à gloria Dei uocantur. Certum est quod uerbo externo & sacramentis, quæcumq; nos administramus, nisi Christus intus paucrit, nihil efficimus: neque possumus nos pascere omni diligentia adhibita. Igitur Christus unicus pastor, & unicus magister. Dicit nunc, quæ ratione probetur bonus pastor, ut cognoscatur à patre. Suprà: Ut glorificet pater filium: & subsistit in eodem. Et suprà cognoscit: hic uero diligit. Vnde cognoscere est diligere. Pater amat: quam ob causam? Accepit Christus nomen super omne nomen. Hic est filius meus dilectus, per ipsum peccatorum nostrorum remissio.

Propterea me pater diligit.

Quare? propter summam obedientiam, humilitas-
tēq;. Apostolus dicit: Obediens factus est Christus usq;
ad mortem. Certum, perpetua unanimitas patris & fi-
lij. Sed ut spectemus unde sit nostra reconciliatio, &
quare hoc contingat, addit:

Quia ego pono animam meam, ut
iterum sumam illam.

Scilicet in resurrectione. Sed nos quoq; si unum su-
mus in Christo, resurrecturi sumus. Pater diligit filiū,
& non patietur carnem illam uenire in corruptionem.

Nemo tollit istam à me, sed ego po-
no istam à meipso. Potestatem habeo
ponendi illam, & potestatem habeo rur-
sus sumendi illam. Hoc mandatum ac-
cepi à patre meo.

Possit quis dicere: Crucifixus est Christus à Iudeis,
quale opus eius? Ostendit igitur à maxima charitate
hoc opus profluxisse. Id est, Nemo poterit mihi inuito
eripere animam meam. Alij inuoluntarie occiduntur,
sed Christus seipsum obtulit. Dicit: Vt sciatis quantum
opus sit, facio illud ex immensa charitate & sponte, nō
coactus, ut glorificem patrem, ut oves illas reciperem
quæ perierunt.

A me.) Non ad uim uel tyrannidem aliorū: una
de unico

de unico uerbo prosternebat illos in monte Oliueti. Ego sum: indicat manifeste nō licere uim inferre, nisi ipso permittente. Igitur ipsum diligamus, si tanta bona cōtulit.

Potestatem.) Hęc mihi libertas concessa est, ut possim uitam meam perpetuò seruare: nunc autem necessitas moriendi imposita est. Ille potuit principio non mori, sed factus ut possit mori. Postquam Adam peccauit, mortuus est. Iam Christus secundus Adam poterat non mori, sed sponte mortuus est. Horror in monte Oliueti concussit Christum, sed non ita ut retractaret mori, cum uenisset ob hanc causam in hunc mundum.

Resumendi.) Diuina hęc potestas quę excitat carnem, non permittet carnem in puluere. Mea est illa potestas resumēdi, Alibi habemus, pater suscitabit: alibi, soluite templum. Hic etiam, Ego pono &c. ut una potestas sit patris & filij. Semper in morte Christus summam ipsius charitatem ostendit. In hac exercetamus nos, non in alijs elementis.

Mandatū.) Id est, faciam hoc per insignē meam obedientiam. Primus parens Adam acceperat mandatum minimum, ut non ederet de arbore: & inobediens inuentus, ob id mortalis est factus. Iam Christus alia uia incedit, ipse obediens, & per illam aperuit nobis portas uitę, sicut primus Adam portas mortis. Et nos quidem si portauimus imaginem Adę primi, sequamur nunc Christum per ueram obedientiam, qui est

Cap. x ANNOT. IOAN. OECOL.

Adam secundus. Hæc est obedientia, ut fiducia habeamus in Christum. Ita licet uidere qualis pastor sim, quæ ratione et quæto precio redimam oues, ut nihil sublimius dici possit. Tale quid apud falsos pastores non inuenietis

Dissidium igitur factum est inter Iudæos, propter sermones illos. Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmonium habet, & insanit: quid illum auditis? Alij dicebant: Hæc uerba non sunt dæmonium habentis. Num dæmonium potest cæcorum oculos aperire?

Ita permittit Christus ad probationem suæ doctrinæ schismata oriri, quo ueritas manifestior fiat, & ut detur occasio amplior ad excutienda uerba, quæ Christus locutus est: quandoquidem palam dicebat se pastorem esse & filium Dei. Verus ille Christus, de quo prophætæ nomine pastoris multa prædixerant. Pastores perstringit, & mercenarios uocat & lupos, quibus nulla animarum sit cura.

Dæmonium.) Ita solent uerba æternæ sapientiæ illudi: & cum non habeant quod respondeant, risu excipiunt. Hic mos hominum perfrictæ frontis. Sed Christus semper suos habet, quos ipse excitat, ut non omnis non indefensa maneat ueritas.

Hæc uerba.) Ecce uidete opera uel uerba Christi:

fit: utraque possunt ostendere ipsum non esse demoniacum. Non confuse loquitur, sed sapienter.

Aperire.) Dæmones curant, ut homines excacēt & malefaciant eis: hocq; insitum est omnibus, ut humano generi quamplurimū noceant. Strenue illi excusabant Christū à doctrina, quod illa conformis sit Mosi.

Facta autem sunt encænía Hierosolymis, & hyems erat, & ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis. Circumdederunt ergo illum Iudæi, & dicebant illi: Quousq; animā nostrā suspendis? Si tu es Christus, dic nobis ingenue.

Iterum redit ad eandem disputationem, & dicit se esse uerum pastorem: & condemnantur Iudæi impij, tanquam non oues ueri pastoris. Quasi dicat: Non solum hoc tempore dixit, sed postea iterum confirmauit: ita constans in dictis est: & in die solenni, audiente maxima hominū multitudine: quia in festis diebus magna multitudo Hierosolymis aderat. Festum illud nō institutum à Mose: sed cum populus redijt à Babylone & reparauit templum, festum illud inuouationis institutum est. Licet alij referant ad tempus Machabæorum, quando sub Antiocho per triennium templum desolatum est & cessatum à iugi sacrificio: euoluto triennio, Iudas 1. Mach. 4 templum purgauit & offerri fecit, tunc habita sunt fe-

Cap. X ANNOT. IOAN. OECOL.

sta mense Casleu, id est in nouembri, tempore hyemis.

Porticu.) Quæ ita diligēter ab Euangelista perscribuntur, ut obseruentur omnes circumstantiæ, temporis, loci, ambulationis Christi, multum nobis cōmendata sint, ne socorditer audiamus. Allegorice, scimus nos templum Dei esse, & tunc agimus festū reconciliationis, quando grati sumus de redemptione nostra. Certe cum illis uersatur Christus in porticu, pacemq; concedit conscientijs illorū. Sed relinquamus allegoriam.

Circundederunt.) Quasi dicerent: Quanto tempore torques nos nimia expectatione? Hæc uerba iterum non sine malitia esse dicta facile quisque cognoscere potest, cum Christus aperte se indicauerat lucem esse, panem uitæ &c. & talia quæ nemo alius de se dicere potest, nisi Christus uerus Dei filius.

Dic nobis.) Id est, quare diutino desiderio enecas nos? si tu es Christus, dic, ut te sequamur. Sed illa omnia erant ficta. Dicunt: Semper inuoluis sermones tuos parabolis, ut incerti simus quidnam sentias. Dicant ipsi, quare decreuerunt Christum occidere, & excommunicarunt alios? Nulla alia de causa, nisi quod Christo ad hæerere nolebant.

Respondit illis Iesus: Dixi uobis, nec creditis. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimoniū reddunt de me, Sed uos non creditis, quia non
estis

estis ex ouibus meis, quemadmodum dicebam uobis.

Christus ubique seruat suam mansuetudinem: respondet illis, sed non ut merebantur. Poterat exprobrare illis malitiam eorum, cum omnia in pessimam partem interpretarentur. Verum omittit eiusmodi, & blandè respondet.

Dixi.) Dicitis, quandiu suspendam animam uestram. Certum est ego non suspendo, uos estis uobis ipsi autores malorum, quia dictis meis non uultis credere. Ita multi clamant: Usquequo domine? obliuisceris me in finem? Deus non obliuiscitur illorum, sed non credunt domino.

Non ex ouibus.) Vestra culpa est. Et uult dicere: Non estis electi à patre meo: ueræ oues, quæ credunt, scriptæ sunt in libro uitæ, quas pater solus nouit.

CAPVT LVII.

Rogauerant Iudæi, si tu es Christus, dic aperte: quamuis sæpe antea audiuisent Christum indicantem eis, quisnam esset: unde Christus culpam in ipsos reiecit, dicens, quod non absconderit ab eis quis esset, & talia opera se fecisse, quæ sufficerent ad perhibendum testimoniũ: ipsorum igitur esse culpam, quod Christum non recipiant.

Vos non cred.) Si primam causam queris, quare quis audiat uel non audiat: Certe quod audimus di-

Cap. X ANNOT. IOAN. OECOL.

uine miserationis est, quia assumpti sumus in filios, uel renati per spiritum sanctum, qui pectora nostra aperit. Hæc q̄; prima causa. Posterior, quæ ex effectis est, illos indicans non esse oues, neq; credere. Nam simul in filios assumimur, & credere incipimus per spiritum sanctum: dico, quantum ad nos attinet. Principio fidem spiritus concedit, ut credamus, & opera operemur in fide. Sed qui sunt capaces fidei? & quibus dabitur illa? profectò nullis alijs q̄ electis & præordinatis, si rem ex arte uelimus cognoscere. Si peruentum fuerit ad condemnationē, tunc culpam in nos Deus reijcit, propter negligentiam audiendi uerbi Dei. Nam illud iudicare oportet quemadmodū experimur. Condemnatio non in Deum reijcienda, ut electio, sicut hic habemus.

Oues meæ uocem meam audiunt,
& ego cognosco illas, & sequuntur me,
& ego uitam æternam do illis, nec peribunt in æternum, neq; rapiet illos quisquam de manu mea.

Videte pulchrum ordinem, ut se habeant filij Dei, uel oues Christi. Primo audiunt uocem: & præcipuum donorum filiorū Dei est credere, audireq; uocem Christi. Vbi igitur acceperint fidem (certum est ipsam fidem donum Dei esse, non ex nostris uiribus) tunc incipiunt Deo placere.

Et ego

Etego.) Vbi quis fidelis fuerit, iam iustificabitur, sanctificabitur, & uere habebitur inter oues Christi, & pastor agnoscit illum, tanquam proprium. Erit fœdus inter pastorem & oues. Oues uocem eius audiunt, pastor uicissim agnoscit ut suas, & benefacit. Cognoscere est beneuolentiam Dei experiri, ut supra.

Sequuntur me.) Vbi igitur fides, ibi gratia Christi, quam per cognitionem accipimus: ibi & opera aderunt: neq; oues illæ torpescunt, sed sequuntur pastorem: nimirum fides operabitur per charitatē. Christus obediens patri usq; ad mortem, quod summæ iudicium humilitatis est. Ita ob fidem conabimur omnibus modis eum referre, & eam uiam incedimus, quam ipse ingressus est. Deinde sequuntur fructus.

Do uitam.) Tunc incipiunt uiuere æterna uita. Vbi anima iustificata fuerit, iam caro incipit esse immortalis per Christum, cuius spiritum in se accepit, quia resurget in nouissimo die. Bene erit ouibus illis: non frustra mihi seruient.

Non per.) Idem Matthæus: Porta inferi nõ præualebunt aduersus eam ecclesiã. Quæ illa, nisi cõgregatio ex ouibus Christi? Oues illæ igitur, quæ audiunt uocem, sunt fideles, & uere illæ nõ peribunt. Mundus iste neq; delicijs neq; tormentis suis poterit illas à uia uitæ abducere, neq; gladius, neq; profundum & c. imò neq; mors, neq; peccatum, & quicquid poteris meminisse.

Rapit.) Cuius beneficio hoc contingit ouibus? Nunquid hoc à suis habēt uiribus? nunquid ex sua uigilantia & perseuerantia? Nequaquā. Sed diuinae misericordiae ascribitur hoc donum, & custodiae pastoris. Id est, uigilabo, non patiar eripi oues ex manibus meis, custoditāq; erunt ut nemo possit nocere. Maiorem consolationem non posses in tentationibus habere.

Pater meus qui dedit mihi maior omnibus est (id est potentior) & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater unum sumus.

Quoniam duae naturae sunt in uno Christo, humana & diuina, nunc autem Christus tanta bona sibi ipse tribuit, utpote quae habeat equalia cum patre, nunc refert in patrem: & hoc facit tanquam homo, illud tanquam Deus. Certum est, nequaquam posset nos seruare, nisi & Deus esset: nunc cum Deus est, necesse equalis sit patri per omnia. Et respicit aliquo modo magis hic humanitatem. In alijs uero locis, ubique uult subiebere nos ad diuinitatis cognitionem, ne haereamus in rebus inferioribus. Quid Deo potentius? Si ille pro nobis, quis contra nos? Qui scripti in libro uitae, hi antequam fundamenta mundi iacta, sunt electi à patre. Sed quomodo electi? in Christo: quia pater etiā animaduertit ab aeterno summam obedientiam, quam exhibiturus esset filius in morte: sicq; Christo tributa ille oues, tanquam

tanquam propria possessio. Ne mireris, est una persona: sed quia homo est, uocat patrem.

Maiores.) Si causeris, tanta pericula in mundo, deinde de tantas delicias, & nihil ferè esse quod possit his conferri, respicias ad patrè in cœlis. Dicit igitur Christus, Quos mihi ille dedit, potest etiam seruare, & seruabit. Et quod prius sibi ascripsit, refert nunc ad patrem.

Rapere.) Quis praeuuleret Deo? cum oues meae electae sint à deo patre, certe defensabit illas pater. Certum est igitur, & euidentissime colligitur eandem esse potentiam patris & filij. Vtrique eadem natura. Nam habere illam immensam potentiam, quae est patris, hoc Christi diuinitatis certum. Nam secum affert, ut Christus etiam uerus Deus sit, quia hoc folius Dei proprium est. Vnde contra Arianos & alios tu argumentum. hostes Christi, qui diuinitatem eius conantur perdere, illa dicta sunt. Non dicit, unus sumus: non est una persona: sed unum dicit, scilicet natura, potentia, & maiestate sua unus est Deus. Atqui si unam personam esse dixeris, iam utranque sustuleris, nec habebis patrem neque filium. Ecce quaesierant an esset Christus. Opinor satis aperte eis indicasse, esse se maximum pastorem, esseque oues suas proprias &c.

Sustulerunt ergo rursum lapides Iudaei, ut lapidarent illum.

Iam apparet quo animo quaesierint, nempe maligno & sanguinario, non ut proficerent, & meliores

Cap. X ANNOT. IOAN. OECOL.

evaderent, sed potius ut occiderent. Sæpe arguit istos Christus ut homicidas, & filios diaboli. Suprà, Ipse ponit animam: id est, quando sibi uisum fuit. Non uide quodam externa occisus est. Eandem illam libertatem ponendi animam suam nunc declarat, & hora quam elegerat passus est. Ibiq; maxime indicarunt Iudæi suam peruersam uoluntatem.

Respōdit illis Iesus: Multa bona opera ostendi uobis ex patre meo, propter quod illorum operum lapidatis me?

Ita Christus indicat suam innocentiam. Iam antea libere, sicut petiuerāt, ostendit illis quis esset: nunc etiam libere suam innocentiam proponit, ut mentes iniustas auocet à malo. Vestra lex non permittit quempiā lapidare, qui non uixit flagitiose, uel facinus grande permisit. Imò non solum non egi male, sed etiam neminem ex uobis offendi in minimo. Ostendere idem est quod exhibere. Quod cecos illuminauī, leprosos mundauī, &c. hæc nō merentur ut me lapidatis. Sunt eiusmodi opera, quibus Deus testimonium de me exhibet, non sunt magica, ex patre meo feci: si potestis ex omnibus operibus uel unum proferre, quod dignum sit lapidatione, oro ut indicetis.

Responderunt illi Iudæi, dicentes:
Ob bonum opus nō lapidamus te, sed
ob blas

ob blasphemiam, & quia tu homo cum
 sis, facis te ipsum Deum.

Verum est, non possumus negare, te multa bona
 opera fecisse &c. Iam Iudaei non possunt defendere se,
 & intelligebant illi quod Ariani nolunt intelligere,
 Christum esse Deum. Si solum appellatione Christus
 esset Deus, quid male habebat Iudaeos? Christus sat te-
 stimoniorum suae diuinae uirtutis adduxit, sed impietas
 perpetuò blasphematur contra Christum. Dura uerba,
 & non minus dura, quam lapides.

Respondit illis Iesus: Nónne scriptū
 est in lege uestra, Ego dixi, dii estis? Si il-
 los dixit deos, ad quos sermo Dei factus
 est, & non potest solui scriptura de eo,
 quē pater sanctificauit, & misit in mun-
 dum. Vos dicitis me blasphemare, quia
 dixerim, filius Dei sum? Si non facio o-
 pera patris mei, nolite credere mihi: sin-
 uero facio, etsi mihi non credatis, operi-
 bus credite, ut cognoscatis & credatis,
 quod pater in me est, & ego in illo.

Nónne in lege uestra scriptum est? & uidetur uo-
 bis omnino esse absurdum, hominem Deum appellare.
 & nō tam à re ipsa abhorretis quàm à uocabulo. Rem
 ipsam uidete. Liber psalmorum & propheta nónne

Cap. X ANNOT. IOAN. OECOL.

id etiam indicant? Legem uocant proprie, quinque libri
Legis nomē. Mosi: sed generali nomine, etiam nomine legis
men. Prophetæ & Prouerbia & omnes libri ueteris testamēti
appellantur. Id est, in scripturis uestris, quibus etiam
gloriamini, talia inuenietis. Psal. 82. talia habet:
Ego dixi dii estis & filij excelsi omnes. Ille enim inscri-
ptus est ad admonendos iudices & reges, quorum ma-
gna dignitas est: sunt enim à Deo instituti: unde etiam
diuinitus magnam auctoritatem habent. Solent pleriq;
hoc dictum de prophetis exponi: sed si textum uideas,
ad principes pertinet: instituti enim sunt diuino ordi-
ne. Qui magistratui resistit, diuinæ ordinationi resis-
tit. Proinde etiam in lege habemus, dijs non esse ma-
ledicendum: id est, iudicibus & magistratibus quos
Deus probat. Aliqui de Ezechiele interpretantur. Sed
proxime ea de re copiosius dicemus.

LECTIO LVIII.

SCopus Euangeliorum est, ut credamus Iesum esse
filium Dei: ad quem referenda sunt omnia, quæ in
illis continentur. Nihil autem ita aduersum fuit Iudæis,
nihil item adeò contrariū est hæreticis omnibus, quàm
hoc unum. Hæc est petra fidei, super quam fundata est
ecclesia, ut credamus Christum Deum & hominem. Iu-
dæi recipiebant Christum uerum esse hominem, sed al-
terum abnuuebant, nempe diuinitatem, offensi semper
tanquam

tanquam de summa blasphemia, quando intelligebant, quod se filium Dei nominaret. Christus autem nunc sermonem istum confirmat, ostendens ex operibus & miraculis quæ faciebat, se esse Deum. In psalmo isto 82. ut supra dixi, agit de principibus, qui ipsi etiam dii uocantur. Sunt dii nuncupatiue, sicut etiam filij Dei alij sunt. Vnus natura filius, alij filij per gratiã, perq; Christum. Hic licet internoscere inter filios dei & Christum. Qui igitur natura non sunt dii, illi à Deo approbantur & magnis priuilegijs decorantur præ cæteris, quemadmodum principes & magistratus. De prophetis quidã intelligunt hunc psalmũ: sed de magistratu palam est, dii sunt. Veruntamẽ non ipsa diuina natura tribuenda erit principibus, sed solum quia plus diuini fauoris habeant quàm cæteri, ideo habentur inter filios Dei. Filij plus recipiunt quàm serui. Filiorum est hereditas, & deliciores epulæ. Serui non sic aluntur, neque heredes sunt. Magnum aut̃ discrimen etiam inter illos deos, & uerum deum Christum, quem Deus sanctificauit.

Scriptura.) Ad quos psalmus loquitur. Alij, ad quos sermo domini factus est, uel ad quos locutus est Deus. Sed si recte expendieritis, iam possumus clarius intelligere quid sibi uelint uerba ista: quia hoc ita manifeste scriptum est, ut nemo possit negare.

Quem.) Nonne alia filiatio est? putatis me blasphemum? quomodo non illum dicetis etiam deum, qui

Cap. x ANNOT. IOAN. OECOL.

uere filius Dei est? Augustinus exponit quasi processerit ab æterno Christus sanctificatus; sicut & genitus. Sanctificare aliquid, est sanctum facere, & deputare in aliquod sanctum opus: quia sequens uerbum illud exponit. Id est, sanctissimo huic negotio deputauit me pater. Ita legati sanctificantur: sicq; etiam misit Deus Christum in mundū. Sic templum sanctificatur, quando in usum diuinum appropriatur. Ita etiam uasa templi sancta. Segregauit huic deus ab omnibus alijs mortalibus, & spiritu sancto etiam sanctificauit, & plenitudo sanctimonie etiam in illo est: non ut per partes dona spiritus sancti possideat: sed ita sanctificatio eius, ut alij etiā per illum sanctificentur. Videtur uobis ille blasphemare, si dicat se filium Dei? Verum ad hoc ordinatus est à Deo. Porro sanctificationem filij Christi, ex operibus poteritis cognoscere.

Si non facio.) Si clara ista opera inueneritis, ut sunt illuminationes cæcorum, mortuorum resuscitationes &c. nonne uirtus dei lucet in illis? sic etiam 5. & 7. cap. & serè ubiq; in contentionibus contra Iudeos illa apparent. Si legatus habeat omnem potestatem regis, & dicat: Ecce sum legatus tanti regis &c. & alij qui nolunt fidem habere uerbis illius: deinde quia illi non credunt, utitur potestate sua, contrahit maximum exercitum, illosq; debellat, tunc illi ex operibus possunt agnoscere eum esse legatū. Ita Christus opera sua, id est

id est, exercitus adducit, ut ostendat se esse filium Dei.

Cognoscitis.) Iam ita conuicti estis, ut non possitis ignorare illa miracula, quia adeò manifesta sunt. Oportebat credere absq; miraculis, solis uerbis legati habere fidem. Esa. Nisi credideritis, non intelligetis.

In me pater.) Suprà: Ego & pater unum sumus. In me est pater, quem admodum uidetis me hominem: natura mihi coniuncta est planè diuina, & quatenus sum homo, ad dexteram patris sedeam. Ne cum Eutyriani uel Nomotelitis sentiatis, qui potius destruunt diuinam naturam, quàm clarescere faciant. Christus de se loquitur. EGO, nomen persone. Et simul hac appellatione & diuinitatem & humanitatē accipimus: utraq; natura ad personam pertinet.

Ego.) Quia est una persona, recte accipimus utranque personam: non quod humana natura sit sic in patre, sed per diuinam naturā etiam dicitur humana esse in patre. Ita Christus & filius Dei est in nobis, & nos sumus in filio Dei. Certum, diuinam naturam non esse humanam. cap. 17. Sicut ipse in patre, sic nos in illo, per humanam naturam Christi. Diuina natura alio modo est in nobis, si cōmunicetur aliquid de spiritu sancto nobis. Dicit igitur: Credendum omnibus modis me esse in patre: id est, unam & eandem esse patris & meam potestatem, & naturam unam, scilicet diuinam. Iterum satis manifeste tam miraculis quàm alijs

persuasionibus Christus se filium esse dei indicauit.

Quærebant iterum illum apprehendere, & exiuit de manu illorum, & abiit iterum trans Iordanem in eum locum, ubi fuerat Ioannes baptizans primum, mansitq; illic.

Quoties Christus uenit Hierusalem & docuit, toties ingratos illos inuenit Phariseos: non solum ingratos, sed ad occidendum paratos. Vnde iusta causa conuertendi se ab eis ad alium populum. Erat figura rerum, quæ postea euentura erant: nam Iudæa excacanda erat, populus gentium illuminandus. Et quia Iudæi fructum nullum faciebant, conuertit se ad gentes.

Apprehendere.) Cum non possent scripturam soluere, & scripturis os sapientiæ obturare, confugerunt ad lapides: sed quia nondum hora mortis Christi, propterea non est passus se lapidare. Delegerat horam quæ conuenerat cum scripturis, ut esset agnus paschalis, propterea nolebat ante istud tempus apprehendi: unde iterum declarat suam diuinitatem.

Manum.) Comprehensum non potuere tenere. Et exemplo suo Christus docuit, si gloria Dei nostra fuga magis poterit promoueri, multo satius est fugere quàm intempestiua morte & absq; fructu manere & perire. Absint fallaces suggestiones falsi peccatoris, ne prætexamus

mus gloriam Dei præ timore. Christianus uerus si edo-
ctus à spiritu fuerit, fugam nõ meditatur: sin uero glo-
riam Dei putat magis posse promoueri, non temere pe-
riclitabitur. Huius rei exemplum apud Paulum habes:
dominus eripuit & Petrum. Domini dictum quidam
putant, ut Tertullianus, solum præceptum fuisse, quan-
to tempore apostoli apud Iudæos prædicarint: sed si
recte spectamus, non solum ad illa tempora, sed etiam
ad posteriora pertinet.

Abijt.) Indigni tanto præceptore. Abijt in locũ,
ubi populus præparatus aliquo modo. Confluebat mul-
tus populus illic, siue sit in Ennon, siue in alio loco, uel
in transitu. Christus ea loca elegit, in quibus maior po-
puli congregabatur multitudo.

Et multi uenerunt ad illum ac dice-
bant: Ioannes quidem signum ædidi-
t nullum. Omnia autem quæcunq; dixit
Ioannes de hoc, uera erant: & credide-
runt multi illic in eum.

Trans Iordanem non solum habitabant Iudæi, sed
etiam gentes: unde, ut indicaui, id non caret mysterio.
Quod uero multum fructum fecerit, ex hoc patet, quia
crediderunt in eum, uaticinio Ioannis parati, qui dixe-
rat uenturum post se, cuius non dignus soluere &c. ut
1. 2. & 3. cap. Et uerisimile est quod nõ habuerint præ-

Cap. X ANNOT. IOAN. OECOL.

fectam fidem, sed bene senserunt de Christo, sicut & alij. Noluit deus Ioannem sic illustrare, ne homines miraculis infatuati, plus Ioanni tribuerent, quam par esset, & ne ita penderent in persona Ioannis. In cap. 10. discipulos ægre auulsos esse à Ioanne audistis. Sic etiã Deus noluit cognosci se pulchrum Mosi: præterea multa alia, ne homines amitterent uerum ipsum magistrũ, & colerent Ioannem, uel Mosen. Sanctimonia & austeritas uitæ Ioannem commendabilem reddunt, neq; expediebat Ioannem signum aliquod facere. Dicunt igitur: Ioannes bonus uir est, sed non clarus miraculis: omnia quæ Ioannes dixit futura, uera sunt. Iam sequitur quarta & postrema peregrinatio: sed antequam uenit in Hierusalem, iterum excitat animos Iudæorũ, ut desiderent aduentum eius, quo maiori gloria, hoc quod pater sibi iniunxerat, exequeretur. Ita per processum gloria Christi magis & magis increscit. Magna miracula antea operatus erat, sed hoc præambulum est ad resurrectionem Christi, cum Lazarum quatruiduanum à mortuis unico uerbo excitat: unde postea Iu

dæi exarserunt ad persequendum Christũ. Hoc ante omnia expendendum, quomodo Christus sibi paret uia, deinde pascha celebrat.

CAPVT XI



Citis Christum iterum adornare iter in Peregrina-
 Hierusalem: sed ante omnia uoluit desi- tio quarta.
 derium excitare mortalibus, quo opera
 eius magis fierent cōspicua. Eapropter
 prēmittit miraculum, quod inter cetera magis mira-
 bile, nempe Lazari mortui quatruiduani resuscitatio-
 nem. Ceterum in isto miraculo multa obiter occurrūt:
 sed hoc est præcipuum, ut ex resurrectione Lazari ali-
 quo modo instituiamur & exerceamur ad credendam
 resurrectionem tum Christi, tum etiam nostram. Laza-
 rus ægrotabat & mortuus est. Interim etiam gerit ty-
 pum eorum, qui in peccatis moriuntur, qui & ipsi à
 Christo excitantur, iustificati.

Ægrotabat autē quidam nomine La-
 zarus Bethanensis, à castello Marię &
 Martha huius sororis. Maria autē erat
 ea, quæ inunxerat dominum unguen-
 to, & quæ exterserat pedes illius capil-
 lis suis, cuius frater Lazarus ægrotabat.

Antequam ueniamus ad opus resurrectionis, quo-
 modo corpore resurrexerit, uideamus quis fuerit Laza-
 rus. Satis insignis & nobilis, quantum ad historiam,
 fuisse apparet. Alij aliam Magdalenam introducunt:
 sed non est res digna magna controuersia. Preces hic

notandæ sunt: quia hoc in multis miraculis apud Mattheum & Marcum habemus. Christus curauit paralyticum ad preces illorum qui attulerant: quod nobis commendat fidem ecclesiæ. Ideo domus Mariæ & Marthe, & ista fraternitas faciem ecclesiæ præfiguratur, et si paucula nomina sint: nam qui in ecclesia sunt, hi saluantur. Qui non in arca Noë, pereunt in diluuiio. Item legimus quomodo dominus dilexerit eas & Lazarum, tamen si mortuum. Iam quidam in ecclesia præ infirmitate, uel etiam ignorantia cadunt: bonum ut alios habeant, qui pro se orent dominum. Neque credamus preces piorum irritari à deo. Nō ociosa hic allegoria, quia pulchre singula sunt descripta, & per omnia quadrat. Videamus hunc modum, quomodo à morte animæ nostre reconualescant, præcipueque aduertamus quò spiritus domini spectarit, nempe ut confirmetur fides resurrectionis. Bethania domus humilitatis est. Alij, & ferè omnes doctores duplicem uitam quæ in ecclesia est commendant, nempe contemplatiuam & practicam: quæ tamen ita nobis commendantur, ut nullus illas se iungere debeat, & necesse est, ut utranque uitam quisque complectatur. Quæ esset illa mentis illustratio & fidei beatitudo, quæ nunquam operaretur charitate? Vnde uicissim hi qui sunt in ecclesia, nunc uacant contemplationi, ut instituantur diuinis, deinde etiam dedunt sese operibus proximo seruientes.

Aegrotans.

Aegrotans.) Nihilominus inuenimus etiam alios lapsos, quos dominus permittit, non ut moriantur, sed ut postea gloriosius resurgant, si filij Dei fuerint.

Exterferat.) In sequenti cap. clare illa omnia habebimus, ideo nunc nihil loquamur de hac re.

Itaque sorores illius miserunt ad illum, dicentes: Domine ecce quem amas aegrotat. Audiens autem Iesus, dixit: Infirmetas hæc non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificet filius Dei per illum.

Exercent se sorores istæ in officijs charitatis, & condolentes fratri statim mittunt nuncios domino, ut ueniat curaturus illum. Commendatur ante omnia ista humanitas, potissimum in ecclesia. Si uidemus astringentem, reducimus iuxta legem: quanto magis si anima fratris? Et charitas requirit, ut dominum pro illius salute imploremus. Sorores, id est, fideles omnes hoc ingenio præditi sunt, si quis infirmetur, ut etiam ipsi infirmentur: quod Paulus multis uerbis in Epistola Corinthiorum docet.

Mittunt.) Id est, precantur dominum. Nam preces nostræ loco nunciorum nobis sunt.

Domine.) Dominus dilexit humanum genus ita, ut propter illius salutem dignatus sit mori: & quamuis tanta beneficia contulit, nihilominus aegroti & morte

ANNOT. IOAN. OE COL.

vicini, absente Christo, id est gratia, si amouerit manus suam à nobis, nihil aliud expectemus quam interitum. Aberat Christus corpore, & nihilominus aderat, neque ignorans quomodo illi esset succurrendum. Afflictum Christus non alienat ab ecclesia, etsi longe sit, & deserui ecclesiam uideatur.

Infirmitas.) Non ita aegrotat Lazarus, ut perpetuae morti sit obnoxius, sicut ceteri mortales. Sciebat Christus quid esset factururus. Ob eam causam dicit: Infirmitas non est ad mortem. Suam diuinitatem comendat interim, quod antea hoc praesciebat.

Gloria.) Ut supra de caco, quod iste nec peccarit, neque parentes: ita etiam Lazarus moritur ad gloriam Dei, quia per Christum erat resuscitandus, sicq; populum ad unius Dei agnitionem uocaturus erat. Et ita pro gloria domini aegrotabat iste. Eadem gloria patris & filij. Quamuis peccata nostra ex ignauia propria contingant, & culpa omnibus modis nostra sit, nihilominus ubi fuerint ueri fideles, peccata eorum non erunt ad mortem. Aliud est peccatum eorum, qui peccant contra spiritum sanctum: illi enim nolunt resipiscere: Qui uero filij Dei, postea resurgunt, maiori timore uitam instituentes. Si placet permanere in allegoria, proponite Dauidem, uel Petrum, uel alium, qui fuit in populo Dei, & per infirmitatem peccauit: etsi peccatum per se sit mortale, sed cum illi praedeterminati ad uitam,

tam,

tam, peccatum illorum non ad mortem erat: & multo magis Deus glorificatur per illos: neque enim illi futuri sunt ignauiiores, sed diligentiores. Si gratiam consecutus à domino, & à peccato liberatus, neq; magis seruens factus, iure habes quod timeas. Filij Dei post lapsum multo seruentiores sunt, & uitam ita instituunt, ut Deus magis per illos glorificetur. Dauid posteriori uita magis illustrior. Ita accidit in ecclesia: datur occasio maioris gratiarum actionis respicientibus.

Diligebat autem Iesus Martham, & sororem illius, & Lazarum.

Antea dixi, fraternitatem istam Christo maxime probari. Diligit Christus illos, qui in charitate manent: quia Deus charitas est.

Ut ergo audiuit quod ægrotaret, tū quidem temporis mansit in eodem loco duobus diebus: deinde post hoc dicit discipulis: Eamus in Iudæam iterum.

Quod ad ipsam historiam attinet, primum uideate, quomodo Christus aliquandiu absens fuit, permittit Lazarum mori, sepeliri, quadriduum manere in sepulchro, ut miraculum fiat clarius: tamen omnino statuerat uenire in Iudæam.

Mansit.) Neq; contristemur etiam si nō mox exaudiamur, neq; præscribamus Christo certum tempus.

Orandum ut faciat nobiscum secundū uoluntatem suā. Ita probat suam ecclesiam & exercet, & aliquandiu permittit in luctu & fletu, ut inde gloria ad illum amplior redundet: sed certo tempore uenturus, & opem non denegaturus est. Tridui, suum mysterium habet.

Iudæam.) Christus efficit, quod sibi iniunctum à patre. Sicut mandatum dedit mihi pater, ita facio. Iam redempturus humanum genus (quia mox sequitur, pascha adest) sumit animum redeundi in Iudæam: quamuis illi indigni erant, qui toties repulerāt gratiam. Dat exemplum iterum bene faciendi inimicis nostris, & per omnia seruiendi diuinis præceptis. Si uiderimus Deo placere, & pertinere ad gloriam Dei etiam mortem nostram, propterea non erit recedendum à præceptis eius. Deliberat cum discipulis: sed ipse certus, quid esset factururus. Voluit pertentare animos eorum, & resdarguere eos, sicq; aliquo modo miraculum insinuare, quod factururus erat.

Discipuli dicunt illi: Magister, modo quærebant te Iudæi lapidare, et iterū uadis illuc: Respondit Iesus: Nonne duodecim sunt horæ diei: Si quis ambulauerit in die, nō offendit, quia lucem huius mundi uidet. Si quis autē ambulauerit in nocte, offendit, quia lux nō est in illo.

Discipuli

Discipuli adhuc nondum acceperant spiritum sanctum. Sicut dominus Petrum suadentem, ut maneat in monte, & sit sibi propitius, ne patiat, corripit: ita hoc loco discipulos carnales & nondum spirituales, non cogitantes quid sibi uellet, reprehendit.

Iterum.) Tentatio carnis est, fuga crucis. Nam si crux ad gloriam dei pertinuerit, alacriter ad illam transendum est. Dicunt: Gens illa ingrata est, & tu uadis ad illam? Non uidetur esse sapientiae, sed stultitiae. Sic uerbum crucis stultitia est carnalibus omnibus. Nondum facta hic fuit mentio de Lazaro: neq; opus allegoriam hic interserere. Sunt quidam qui perpetuo cupiunt impedire nostram salutem &c.

Diei.) Prouerbialiter dictum est. quasi dicat: Quanto tempore lucefcit, tanto tempore operandum est. Duodecim sunt horae, in quibus est laborandum: ne sinamus uel minimum tempus uacuum transire, sed cogitemus potius quid pater coelestis iniunxerit. Id est: Cessabimus ne ante uesperum, & antequam absoluerimus diurnum laborem? Duodecima hora nondum praeterijt. In hunc sensum dominus loquitur. Non melatet quod quidam de humanarum mentium mutabilitate interpretantur: sed illa sententia planior, & sequentia pulchre coherent.

Offendit.) Bene uideo, partim uos trepidare propter metum: sed quandiu uobiscum sum, si ambulaueri-

tis mecum, non erit timendum uobis. Si in nocte, id est, me amisso, utique maximum erit periculum: qui uero me presentem habent, nequaquam periclitabuntur. Vos apostoli qui presentem habetis me, non debetis timere: timeant sibi Iudaei, quibus Christus non est praesens. Qui oderunt lucem, illi impingent. Ita Christus uoluit eximere metum ex pectoribus discipulorum: praeterea hortatur & nos ad alacritatem, ne aliquid detretemus per ullum tempus, quod faciendum Deus iniunxit. Subiungit aliam causam, quomodo sit perfecturus opus Dei, nempe mortuum suscitaturus: etsi discipuli non intelligebant, de qua dormitione diceret.

LECTIO LX

Tria potissimum consideremus in hoc capite: Primo insignem obedientiam Christi, qua semper quae suat gloriae patris sui. Quamuis Iudaei quererent occidere illum, attamen frustra laborarunt. Verum cum appropinquaret tempus, iterum contendit in Iudeam. Deinde aduertamus historiae resurrectionis Lazari, ut exerceamur in fide, & credamus Christum resurrexisse, & nos resurrecturos corpore. Tertio, quomodo in spiritu excitemur per Christum: quod minime est negligendum.

Hæc ait, & post hæc dicit illis: Lazarus amicus noster dormit, sed uado ut a
somnia

Somno excitem illum.

Officiū humanitatis, in uisitatione amicorū & ex-
uscitatione mortui nobis cōmendatur, quantū ad histo-
riam attinet. Allegoriā uidete. Christus resurrectio no-
stra, à peccatis excitat, quia cognouit nos mortuos es-
se: & hæc potissima causa sui aduentus. Nos omnes
peccatores mortui sumus, sed quantum ad potentiam
Christi, mors somnus est: & tam facile potest Christus
nos excitare à peccatis, ut quis dormientem à somno.

Exuscitem.) Neq; aliunde constat nostra salus,
quàm per Christum ipsum.

Dixerunt ergo discipuli illius: Do-
mine, si dormit, saluus erit. Dixerat autē
Iesus de morte illius, at illi putauerunt,
quod de dormitione somni diceret.

Christus quidem promptus est, ut nos resuscitet.
Discipuli qui adhuc carnales, ut suprā indicatum est,
conabantur ipsum abstrahere ne periclitaretur: qui-
bus tamen non obtemperat.

Domine.) Huc spectat dictum illud: Quare uelis
periclitari, si non ob aliam causam illuc profecturus
es, quàm ut à somno excites illum? conualuit aliqua ex
parte, & ab alijs poterit excitari à somno. Ita crassi
discipuli, uim uerborum Christi non attendebant. Per
petuò hoc solet contingere: quando promouenda est

Cap. XI ANNOT. IOAN. OECOL.

gloria Christi, non defuturus est satan, qui dehortetur ministros uerbi, ut & ipsi sibi parcant: sed ante omnia spectanda est gloria Dei. Ad historiam quantum attinet, consolationem habemus, mortem uocari somnum, ut sciamus aliam uitam subsecuturam esse post hanc. Hoc etiam poterit quis animaduertere, esse quosdam qui arbitrantur non esse opus diuina gratia, ut suscitemur à peccatis: nempe qui naturalibus uiribus confidunt, uel suo libero arbitrio, uel etiam humanis operibus. Hi dicere possunt: Domine saluabitur, si dormit. Si adhuc est in homine illa naturalis uirtus, per quam seipsum poterit excitare, quemadmodum dormiens expergescit iterum. Ita si liberum arbitrium, essemus omnino nostri iuris, & peccatum nihil esset quàm somnus. Sed absit, ut ita concludamus diuinam gratiam. Nostra mors & grauitas peccati postulabat aduentum domini: neque aliunde potuimus saluari: sicq; Deus reprobatione accepta Christi, reconciliatus est. In oculis enim domini mors nihil aliud est quàm somnus. Non rarum Christum parabolice loqui, & obscurioribus uerbis: uerum discipuli nihil aliud hic arbitrabantur, quàm de dormitione somni Christum loqui. Hinc plane profertionem illam superuacuam rebantur. Si ingressurus es Iudeam, nobis commune periculum imminet omnibus: maneas igitur hic.

Tunc ergo Iesus dixit illis manifeste:

Lazarus

Lazarus mortuus est, & gaudeo propter uos, ut credatis, quod non fuerim ibi. Sed contendamus ad illum.

Quoniam apostoli minus apti erant ad intelligenda obscuriora uerba, quæ Christus loquebatur, ideo ipse explanat quæ dixerat. Potuisset principio clare loqui, noluit tamen, quo magis attentos istos reddat. Hæc causa parabolarum, nō solum quod delectent, sed ut alacriores reddant, & attentiores: atque magis exinsident animis, si explanatæ fuerint.

Gaudeo.) Magnitudinem miraculi, ut credatis. Nam si præsens fuisset, non permisisset illum tanto tempore esse in morte. Nunc cum non adfui, & per aliquot dies absuit ab hac uita &c. Hoc gaudium Christi, si proficiamus in fide: & quanto magis profecerimus, tanto magis pater glorificatur per nos. Gaudet propter nos: nam Lazarus, ut dictū est, ægrotauit, ut deus glorificetur. Hoc ubi innotuit discipulis, tunc ipsorum fides magis confirmata est.

Obseruate hunc locum, ut sciatis Christum in natura sua humana, proprietates humanæ naturæ seruare: quamuis iuxta deitatem sit ubique: deitas immensa est, & implet loca omnia. iuxta humanitatem localis est, & suum habet locum. Nam loco circumscribi, & habere naturalem situm membrorum, proprium est corporibus. Ita Augustinus: Si locum abstuleris, iam ueri-

tatem corporis abstulisti. Vnde qui corpus in uarijs locis dicunt esse, illi naturas confundunt in Christo, & prorsus tollunt. Cauendum omnibus modis nobis est, ne pro uero corpore faciamus corpus phantasticum, ut illi faciunt. Id est, cum sim hoc in loco, ne dicas me esse in alio, si in coelo, non in terra: etsi iuxta diuinitatem sit ubique.

Eamus.) Impleamus opus Dei, neq; intermittamus, quia iniunctum.

Dicit ergo Thomas, qui dicitur gemellus, ad discipulos: Eamus & nos ut moriamur cum illo.

Eadem frè uox Thomæ, quæ & cæterorum apostolorum, Christum ab itinere dehortans: neque est uox magnæ fidei.

Eamus.) Videmus quod non possumus illum dehortari, eamus ut & nos moriamur. Facile ignouit illius fragilitati. Sic Iudæi dicunt, Egressi Aegyptum sumus ut moriamur in deserto. Vult dicere: Certum est, coniurarunt in ipsum ut occiderent, & cupit se implicare periculis. Eamus cum illo, & simul peribimus. Ita relinquebantur sibiipsis apostoli, adhuc infirmi, & spiritu Dei destituti.

Venit itaq; Iesus, & inuenit illū quatuor dies iam in monumento habentē.

Erat

Erat autem Bethania iuxta Hierosoly-
mam ferè stadijs quindecim: multiq; ex
Iudejs uenerant ad Martham & Mariã,
ut consolarentur illas de fratre suo.

Nunc audiamus quomodo se gesserit Christus, cum
ueniret ad mortuum: ad mortuum inquam, quadriduo
iam sepultum. Illa quæ hic ponuntur, ideo tam manife-
ste describuntur, ne quis de miraculo dubitet, & ut eui-
denius miraculum innotescat. Locus, tempus, specta-
tores, & modus resuscitandi diligentissime describun-
tur. Resuscitare quarto die, indicat hominem perfecte
mortuū esse, de quo nulla spes uitæ est. Præterea quod
in sepulchro positus fuit, etiam cõfirmat desperabilem
fuisse mortem, & nullam spem fuisse de uita Lazari.
Videtur fuisse dies quintus, cum iam habuerit quartū:
& si uelis quatuor dies integros constituere, iam adierit
quintus. Qui in domo principis synagogæ, hi sunt qui
cogitationibus cedunt, neque adhuc opus malum perfi-
ciunt, & illi facilius excitabiles sunt. Sunt qui efferrun-
tur ad sepulchrum, ut filius uiduæ, sed grauissime &
difficillime excitantur. Ita si non solū opera fecerimus,
sed ex operibus nata sit consuetudo, & illa transierit in
aliam naturam, uidetur difficilior esse resuscitatio: etsi
Deo omnia equalia, nihilq; impossibile.

Bethania.) Indicat etiam locum: paulo plus Ger-

manico miliario, uel sesquimiliarium à Hierusalem.

Multi ex Iud.) Quia enim potentes erant, & multos habebant amicos, officiose illas cōsolabantur. Sciamus & nos opus istud misericordiae Deo minime displicere. Si quis ex fratribus doleat, & sit constitutus in luctu & mœrore, ab alio subleuetur. Non poterimus ita planè esse ferrei, & nullū omnino locū permittere afflictionibus: neq; saxei sumus, sed carnales. Affectus illi non sunt aequales. Conandum est homini, propter amplitudinem spei, horrorem muliebrem compefcere. Cæterum opus nostræ redemptionis, Christus in propatulo uoluit perficere, & extra Hierosolymam. Ex scripturis consolari debemus. Scripturæ illæ quæ à Iudeis suppeditantur, satis non consolantur: sed ubi Christus uenerit, qui resurrectio & uita &c.

Martha ergo ut audiuit quod Iesus uenisset, occurrit illi: Maria uero domi desidebat. Dixit ergo Martha ad Iesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.

Videte hic sedulitatem in Martha, tum erga Christum, tum erga fratrem. Christo ut præceptor occurrat, non diu tardat, neq; moleste fert, quod ad nuncium non mox uenerit quem miserat, & nihilominus uenerabilem habet magistrum.

Martha.)

Maria.) In hac re non propterea negligentior erat: non enim illa audierat, alioqui pari studio occurrisset Christo. De illa legimus audisse, illiq; annuntiatum Christum adesse. Quamuis si duas illas uitas, & duo opera Christianorum in duabus istis sororibus attendere uouerimus, nonnihil doctrinae accedet. *Martha*, id est, operatiue, est statim exire ad opus. *Maria*, id est, contemplatiue, est domi sedere & contemplari. Ceterum *Martha* iterum loquitur Christo principio de fratre suo, adhuc aliquid consolationis habens apud dominum, sicut supra monuimus. Si fuerimus in congregatione sanctorum, Deus quamuis sua misericordia nos iuuat, tamen ita ordinauit, ut ad preces amicorum pleraque sit facturus: unde uidemus, *Martha* orat dominum. quasi diceret: Potuisses facere ut non moreretur frater. Ita & nos oremus: Domine redde fratrem &c. Manifestam resurrectionem non audebat petere, quia res adhuc incognita.

LECTIO LIX.

Miraculū Lazari resuscitati, ostēdit nobis quanta potentia sit Christi. Qui suum corpus potuit resuscitare, etiam mortalia nostra corpora suscitabit. Vt assuescamus igitur & in fide proficiamus, admodum diligenter hoc miraculum scriptū est. Scimus enim q̄ sit contraria humanis rationibus resurrectio:

unde etiam Martha non primo persuasa est de resurrectione, quamuis uideatur credere resurrectionem.

Frater.) Non habet adhuc fidem dignam Christo, tametsi crediderit Christo, & multum de illo senserit, sed non quantum oportebat.

Fuisset.) Absens Christus corpore non minus ualeat, quam praesens, quia diuina uirtus aequaefficax est ubiq;. Vnde Centurio iste, qui credebatur absentem Christum posse curare filium, magis commendatur.

Sed & nunc scio, quod quaecumq; poposceris a deo, daturus tibi sit deus.

Etiam in hac re non est idonea fides mulieris. Agnoscit Christum tanquam amicum Dei, cuius precibus quicquid petierit Deus concedat, ut Helias & Moses non frustrati sunt. Scio, quaecumq; uolueris, facere te posse. Ita uidemus Martham ipsam imbecillioris esse fidei: unde Christus nunc illam suo sermone ad maiora inducit credenda.

Dicit illi Iesus: Frater tuus resurget.

Sic temperat Christus sermonem suum, ut per omnia modestiae memor sit. Non statim dicit: Ego faciam resurgere, sed resurget. Habe istam consolationem, non manebit in morte frater tuus. Videbatur hoc omnino

Resurrectio mulieri ambiguum, quia frater omnes Iudaei resurrectionem etiam a Iudeis credita nem credebant generalem aliquando futuram, edocli
ex Daniele, & prophetis ceteris: quasi cogitarit se
 cum,

*cum, Hoc habebit nimirum commune cum omnibus:
Ideo dicit:*

**Dicit illi Martha: Scio quod resurget
in resurrectione in nouissimo die.**

Valet quidem ad consolationem nostram scire resurrectionem nouissimam: uerum hoc commune habet cum alijs, & non sic mitigatur dolor meus. Etiam qui sciunt futuram resurrectionem, non possunt impetum nature reprimere, quin lachrymentur. Id est, iam olim edoctus sum resurrectionem: sed qualis illa futura esset, uel per quem, non potuit agnoscere. Non audebat dicere: Ora Deum, ut excitetur frater meus. Illa igitur collocutio ita diligenter premissa est, ut certitudinem historie uideamus.

**Dicit illi Iesus: Ego sum resurrectio et
uita illa. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, uiuet: & omnis qui uiuit, & credit in me, non morietur in æternum.
Credis hoc?**

Quotquot resurgent in nouissimo die, per me resurgent, in quo est uirtus resurrectionis; & qui sum fons uitæ: nemo uiuit absque me. Hocq; premitit. Si Christus est uita, utiq; æqualis Deo patri: nã ille etiam, fons est uitæ. Sed ut sciamus quomodo nostra sit resurrectio futura, in hanc nostrã carnẽ filius Dei peruenit,

illamq; assumpsit. Etsi caro corruptibilis, tamen sua assumptione fecit carnem nostram immortalem, quæ aliquando sit resurrectura, ut simus participes uitæ. Si Christus nunquam factus fuisset homo, nulla resurrectio speranda fuisset. Per primum parentem facti sumus obnoxij morti. Dicitur in Genesi: Quacunque die comederitis, moriemini. Per Adam primum mors intravit: per posteriorem illum, resurrectio & uita. Vnde magnam consolationem ista uerba habent, quia summam uirtutem in Christo esse indicant, nempe quod per ipsum contigit humano generi posse resurgere, in uitam æternam. Boni & mali resurgent, sed non æqualiter: boni ad uitam, mali ad iudicium: unde Christus ipsis non est resurrectio. Quomodo autem uitæ participes fiamus, sequentibus uerbis declarat.

Qui credit.) Hac ratione participes sumus uitæ æternæ, si crediderimus Christo, quod uita sit. Licet quis corpore moriatur, tamen uiuet in æternum.

Qui uiuit.) Ille non morietur secunda morte. Habemus igitur duplicem resurrectionem: nam hic primum resurgimus per gratiam, quando innouamur in nouam uitam, & per Christum regeneramur. Est resurrectio etiam quam baptismus nobis præsignat, ut ad Rom. 6. Etiam cæna dominica, symbolum illius corporalis resurrectionis in se habet. Sicut Christus resurrexit corpore, ita & nos si ambulemus in nouitate uitæ.

Mortuus.)

Mortuus.) Poterit hic iterum egredi, sed per fidem in me: per quam ita vitæ particeps futurus est, ut postea in æternum non moriatur.

Credis.) Illa est uides, quam à mortalibus peto, quia oportebat maiora de Christo credere, quàm ut solum sit doctor. In hoc consistit summa fidei, si tanta, ut audisti, de Christo tibi persuaseris.

Ait illi: Etiam domine. Ego credidi, quod tu es Christus ille filius dei, qui in mundum uenturus erat.

Antea dixi fidem istius mulieris fuisse admodum infirmam, id quod ex uerbis illius patet: Nunc gloriatur de fide sua. quasi dicat: Planè credidi iam pridem magna de te, quod sis filius dei, de quo prophætæ locuti sunt. Attamen nesciuit eandem potestatem Christo esse cum patre. Filium dei fortassis appellauit, denominatione quadam. Etiam Maria post resurrectionem nondum digne uidebatur credere de Christo, ideo nolebat tangi ab ea: quod indicium erat infirmæ fidei. Petrus dicit: Tu es filius dei uiui: ita illa etiã hic loquitur. Certè est Petro mentem parum fuisse illustratam, qui crassa non intelligebat, quæ Christus opponebat. Sic in Martha præcedit honestus sermo, sed scintilla fidei parum lucebat, tamen bene sentiebat de Christo, etsi modum nesciebat, quomodo essent redimendi.

Et ut hæc locuta est, abiit, & uocauit Mariã sororem suam clanculũ, dicens: Magister adest, & uocat te. Illa ut audiuit, statim exurgit, & uenit ad illum.

Non habemus, quod Christus iusserit illam accersire sororem: tamen ipsa dicit, Magister te uocat. Nimirum intellexit mentem Christi, ut multis uidentibus Lazarus excitaretur. Fidei conditiones agnoscite hic: ubi quis uerã fidem habuerit, nõ cõtentus est suæ salutis, sed etiam cæteros cupit participes facere sui gaudij, et annũciare quanta bona de Christo expectet: id quod in multis alijs locis licet añ aduertere per Euangelistã.

Statim.) Ita faciunt omnes fideles, non longas moras nectunt, sed quamprimũ à Christo uocantur, et ubi pulsauerit spiritus corda eorũ, surgunt & sequuntur.

Nondum autem uenerat Iesus in castellum, sed erat in eo loco, ubi occurrebat illi Martha. Iudæi ergo qui erãt cum illa in domo & cõsolabantur illam, cum uidissent Mariã, quod statim surrexisset & exisset, secuti sunt illam, dicentes: Vadit ad monumentũ, ut ploret ibi.

Christus miraculum omnino uolebat celebrari, propterea iussit accersire Mariam. Amici spectatores tanti sunt miraculi, & etiam inimici. Mansit nimirum uel docens

docens, uel aliud quiddam agens: nam fortassis sepulchrum non longe aberat: & ita commodum erat subsistere in illo loco.

Iud. ei.) Cum uiderent ita repente surgere. Et quid homines aliud cogitarent? cū nihil minus putarēt quam Christum suscitaturum Lazarum.

Maria ergo cum uenisset eò, ubi erat Iesus, uidens illū, cecidit ad pedes illius, & dicit illi: Domine si fuisses hic, non esset mortuus frater meus.

Videtur etiam hic Mariā similiter locutā esse Christo, sicut soror eius, et non agnoscere Christū absentem, æque potuisse Lazarum à morte præseruare, quemadmodum si præsens fuisset. Quamuis in hoc uidetur aliquid quanto plus honoris Christo tribuere, quam Martha quæ occurrit solum. De hac autē legimus quia cadit ad pedes eius: quod erat genus adorationis. Id est, in summo honore habebat Christum: sed nihil tale expectabat, quod esset suscitaturus Lazarum.

Iesus ergo ut uidit illam plorantē, & Iudeos qui uenerāt cum illa plorantes, infremuit spiritu, et turbauit seipsum, et dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt illi: Domine ueni, & uide. Lachrymatus est Iesus, Dixerunt ergo Iudei: Ecce quomo-

Cap. XI ANNOT. IOAN. OECOL.
do amabat illum.

Christus nunc Mariam non corripit, ob ea quæ locuta erat, sicut antea Martham reprehenderat: neque opus erat: nam iam aggressurus erat hoc miraculum. Vidit illam plorantem, uidit simul & Iudeos.

Infremuit.) Quam ob causam hoc fecit? quidam dicunt, quod indignatus fuerit maligno spiritui, cuius inuidia mors intrauit in mundum, & ita se quodammodo turbasse. Vel indignatus peccato hominis, propter quod uenerat mors in mundum. Licet apud uiros constantiores, qui affectos reprimunt, uidere fremitus quosdam &c. Ita ueritatem humanæ naturæ Christus omnibus modis uoluit indicare. Ne putemus eum solū habuisse carnem: habuit simul humanā animam, quæ potuit dolere, & tangi affectionibus, hoc permittente deo per dispensationem, ita ut ob teneritudinem amoris ipse etiam senserit id genus affectuum, sicut mox testatur Euangelista dum dicit: Iesus lachrymatus est. Alij dicunt animam fuisse in Christo, id est uitam: & nolunt animam fuisse in Christo, quæ in nobis sit, quæ potuerit etiā dolere. Huiusmodi error diminueret nostram consolationem. Si minus sumpsit, cur non maius? Id est, indicauit se quoque turbari, aliquid decedere ab illa tranquillitate, quam semper præ se ferebat. Non erat obnubilatus & tristis, sed cum talia iam uideret, remittebat aliquid de sua solita serenitate. Ita declarauit

reuit se condolere nostris malis, quia uenit propter omnium salutem.

Quo po.) Hoc certe sciebat Christus, tamen rogat, daturus illis occasionem petendi & rogandi, quomiraculum claresceret.

Domine.) Non quomodo locatus fuerit, sed ut uideat sepulchrum, & ut honeste corpus sepelierint. Vna amicorum consolatio, praesertim Iudeorum, qui religiosissime corpora sepeliebant: unde domino ostendunt sepulchrum. Quasi dicant: Honestè curauimus illum sepelire: in hac re nihil est neglectum. Nondum tamen audent petere à domino, ut resuscitet fratrem.

Lachrymatus.) Suprà, Infremuit spiritu: nunc, lachrymatus est: ut uideas etiam foris testatum esse, quomodo intus fuerit affectus.

Quomodo.) Omnia male interpretantur: qui caecorum oculos &c. Ecce si uerus filius dei esset, absens hoc potuisset. Etsi illi sint aliquanto diligentiores quam Martha & Maria in laudando Christo.

Quidam autem ex ipsis dixerunt: Nō poterat hic qui aperuit oculos caeci, facere, ut hic non moreretur?

LECTIO LXI.

AV diuimus miseriam Lazari, qui per infirmitatem mortuus est, qui quatuor diebus in sepulchro

iacuit: audiuius sororum pro fratre sollicitudinem. In Lazaro didicimus generalem nostram calamitatem, quia per Adam omnes peccauimus: deinde per sorores illas, ecclesie sollicitudinem & intercessionem. Audiuius autem etiam immensam domini misericordiam & eius uirtutem, quam compatiens fuerit, & misericordiam suam etiam lachrymis sit testatus. Iam quomodo potentiam quoque declarauerit, suscitando Lazarum, audiamus.

Iesus ergo rursus fremens in semet ipso, uenit ad monumentum. Erat autem spelunca, & lapis superiacebat super illam. Ait Iesus: Tollite lapidem.

Christus quando fre
quare fre
muerit.

Quando Iudaei irriserunt istam Christi misericordiam & facilitatem, denuo infremiscit. Quidam exponunt, ut audistis, contra peccatum, & mortem que ingressa est per peccatum & per demonem. Iam autem maior erat mors, & grauior calamitas istorum, qui excellentem istam Christi benignitatem, & misericordiam irridebant. Illis denuo irascitur dominus, illique grauius sumpturi sunt iudicium, qui diuinae misericordiae opus contemnunt. Quam enim illis pollicebimur salutem, qui ipsam despiciunt? cum non aliter poterimus saluari, quam per diuinam misericordiam. Et uidemus diuinam misericordiam aliquo modo prefigurata pulchre

chre hoc in loco. Deplorans Lazarum, etiam nostram calamitatem deplorat. Iudeis indignum uidetur, quibus est offendiculum crux, quod Christus lachrymetur. Adhuc aliqui dicunt, quid opus filium dei hominē fieri? nōne in principio potuit seruare, ne peccaret Adam? Potuisset deus. Sed interim uoces illæ blasphemæ sunt, & extenuant uobis diuinam misericordiam. Si non hoc permisisset, nunquam illa summa dei potentia manifestata esset, & summus honor erga homines. Quemadmodū Iudei offenduntur lachrymis Christi, ita alij putant opus Christi non fuisse necessarium. Verum illi planē irident ipsam salutem. Qui igitur tales sunt, iam non solum filium dei explodunt, sed etiam peccatū in spiritum sanctum committunt. Et his securus do infremiscet Christus.

Ad sepul.) Ad opus suum uadit: quamuis multū mali sint ingrati tātæ beneficentiæ, sed deus nouit suos.

Spelunca.) Probe munita, ne quis alium mortuū inferret, uel nondum uere mortuum crederet.

Tollite.) Omnia uult esse conspicua spectatori-
bus, ne aliqua fraus putetur inesse miraculo. Cæterum
scimus nos esse sepultos in peccatis, & grauem lapidē
nobis superimpositum. Non lapis grauior uel saxum Peccatū la-
quā incredulitas ipsa. Neq; credimus benignum deū, pis grauis.
donec Christus uenerit. Discipuli lapidem moueant,
externa opera doceant, admoncant, adhortentur: &

ita discipuli aliquo modo tollunt lapidem, & quicquid externum est: non ignarus interim ipse quid esset facturus. Internum opus sibi reſeruat, quia solius dei est uita dare mortuis.

Dicit illi Martha soror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam olet, quatuor dierum est enim. Dicit illi Iesus: Nonne dixi tibi, quod si credideris, uisura esses gloriam dei?

Pertinet etiã hoc ad ueritatẽ miraculi, quod Martha dehortatur Christum: ut omnino certum sit uere illum fuisse mortuum. Licet uidere in illa incredulitatem. Suprà dixerat, se credere Iesum filium dei: nihilominus dehortatur hic dominum.

Domine.) Etiam illa desperabat quodammodo: & sicut apostoli carnales dehortabantur Christum, ita etiam Martha ista ignara diuinarum rerum Christum alloquitur.

Fœtet.) Opus te indignum est: quid ages cum homine fœtulentio? nolumus te cõtristare ut hunc uideas: erit enim spectaculum miserum: nam ne suspicabantur quidem resurrectionẽ: & quasi Christus uidendi mortuum cupidus properaret ad sepulchrum: perq; illa uidetur carpere opus diuinum: non enim erat interpellandus Christus in suo opere.

Nonne

Nonne.) Gloriam dei semper respicit Christus, & idipsum etiam suis commendat.

Credideris.) Signanter addit, si credideris: nam credentibus benefacere decrevit: incredulis omnia tandem in malum cedent. Alij uiderunt miraculū, sed non gloriam dei, & potius irascabantur Christo. Opus quidem tribuebant deo, sed quasi absq; Christo hoc factum esset, cum tamen pater omnia agat in gloriam filij sui. Sicut pater honorificat filiū, ita filius honorificat patrem. Satis redarguitur Martha ista, quasi dicat, Quid interpellas me? tuum est credere: nunc est hora, ut filius dei glorificetur eximijs miraculis. Pulchre præparamur, ne alieni simus fide, alijs non erimus capaces mysteriorum dei.

Sustulerunt ergo lapidē à loco, ubi is qui mortuus fuerat, erat positus. Iesus autē attollens sursum oculos, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniā audisti me. Ego autē sciebam, quod semper me audis, sed propter turbam quæ circumstat, dixi, ut credant quod tu me miseris.

Sicut amouetur lapis principio, sic et necessaria nobis est fides: hocq; Christus ipse postulat: deinde misericordiam domini experimur per fidem, ut accipiamus eius spiritum uiuificantem.

Cap. X ANNOT. IOAN. OECOL.

Oculos.) Quid aliud hoc significat, quàm ipsum esse aduocatū nostrum? Preces eius exaudiuntur, Heb. 5. ut sciamus propter Christi gratiam & dignitatem, nos fieri capaces donorum dei.

Pater.) Iam audiuisti me. Oravit quādē: per quod charitatem erga humanū genus ostendit. Ante omnia nobis necessarium erit, ut credamus. Et hæc est fides quæ uiuificat & saluat, si crediderimus Christum misissum. Dicit: Ex immensa tua charitate misisti me filium tuum, ut fierem homo. Christus non opus habebat oratione: sed potius quæ egit, egit ut confortetur fides nostra. Quare illa omnia facta sunt? dicit, potissimum ideo, ut credant quod tu me misisti. Illum excoito à mortuis, non ut mihi parem gloriam magnam, sed ideo ut tu pater glorificeris. Scio quo loco apud te habear, & quantū tu mihi faueas. Populus contradicit mihi, quasi sim blasphemus: sed sciant tanta bona me à te recipere, & non ab alio. Omnia igitur à diuina misericordia nobis conceduntur.

Atque hæc cum dixisset, uoce magna clamauit: Lazare ueni foras.

Nihil aliud adhibuit Christus externum, quàm uocem illam. Spiritu suo, & omnipotentie suæ uerbo fit hoc miraculum. Illa uox magna Christi, solum propter circumstantes prolata est, ut agnoscant quidnam uoluerit per illam. Non propter Lazarum prolata est,

nam ille non habebat opus tanta uoce, sed ut agnosceremus difficultatem rei. Non loquor autem de potentia Christi, cum iubet illum egredi &c. Nos quoque per Christum saluabimur, ut ille inclamauerit cordibus nostris, & mortificauerit nostra membra, & iusserit à corporalibus istis abire, ducēs ad spiritualia. Filij dei, ubi ipsis locutus fuerit Christus, nequaquam illum respellent. Quidam uolunt esse Eleazarum, quod admodum commune nomē apud Hebræos: sed de hac re non contendimus cum quoquam.

Et prodijt qui fuerat mortuus, manus & pedes habens reuinctos fascijs sepulchralibus, & aspectus illius sudario obuolutus erat. Dicit illis Iesus: Soluite illum, & sinite abire.

Miraculum: qui mortuus erat, prodit è sepulchro; etiam obuinctus, quod magis mirabile: huiusmodi enim fascijs & uinculis mortui ligantur: nam uiui etiam ligati non possunt ambulare: sed hic non sine miraculo fecit cum prodire è sepulchro.

Facies.) Imperante Christo nihil non est facile: sed nolebat hoc perpetuò fieri. Iterum præcipit discipulis uel adstantibus, ut solueretur Lazarus, & concederetur libertas ambulandi: non enim ualuit in uinculis ambulare. Potuisset dare potestatem rumpendi uin-

cula, qui uitã dedit: tamen alijs commendat, ut ueritas miraculi pateſcat. Inde q; colligimus Chriſtum uere reſurrexiſſe, & nos reſurrecturos eſſe. Ad allegoriam quod attinet non reſpuo. Mortui ſi reuiuſcunt, adhuc horroni ſunt uiuentibus. Iubentur ſolui uincula. Qui igitur adhuc ligati, habentur apud homines mortui. Sunt quædam humana uincula, quibus nos declaramus alios mortuos eſſe, ſiue per excommunicationem, ſiue per uerbum. Neceſſe ut quis prius ſit mortuus, antequã uincula addantur. Si autẽ abſtuleris uincula, niſi deus gratiam dederit, uiuens tamen nõ erit. In ſpiritu Chriſti & iuſſu, res omnis eſt ſita.

Multi ergo ex Iudæis qui uenerant ad Mariam, & uiderant quæ feciſſet Ieſus, crediderunt in illum. Quidam autẽ ex ipsis abierũt ad phariſeos, & dixerũt illis quæ feciſſet Ieſus.

Ex diuinis operibus Chriſti, ſemper quidam melius habent, quidam uero deterius. Nam iterum uideamus hic ſectionem. Alij enim crediderunt, alij annunciarunt hoc phariſeis: illis inquã, qui nihil aliud quã mortem Chriſti meditabantur. Indiciũ certum eſt nõ puro animo feciſſe. Iã igitur aliquo modo gloria Chriſti reſulget, quia aliqui credunt. Hoc enim factũ in Lazaro, erat typus reſurrectionis in membris Chriſti.

Quanius

Quamuis etiam fides ista, sicut supra legimus, non est adhuc perfecta.

Pharisæos.) Quid habebant isti? Nihil contra Christum dicere poterant neq; calumniari. Erant ipsi testes, & adferebant nimirum pharisæis, quæ non grata erant, & urgebant sic pharisæos, ut properarent ad occidendum Christum. Nunc describit concilium pharisæorum, quomodo iam deinceps maiori studio cogitarint de occidendo Christo.

LECTIO LXII

OPortebat totum mundum audito tanto miraculo, ad resurrectionem inquam Lazari, confluere ad Christum, & inde agnoscere deum & redemptorem suum: sed illa dei opera perpetuo solis bonis & filiis dei utilia sunt. Mali semper se indignos exhibent & deteriores euadunt, unde potuissent meliores haberi. Pleriq; cum uidissent miraculum hoc, non sunt redditi meliores, sed abierunt ad pharisæos, incitantes illos ad eadem Christi, & ideo sequitur impium concilium sacerdotum, in quo Christus condemnatur.

Collegerunt ergo summi sacerdotes & pharisæi conciliū, ac dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa ædit? Si permiserimus illū sic, oēs credent in illum; uenientq; Romani, & tollent

Cap. XI ANNOT. IOAN. OECOL.
tum locum nostrum, tum gentem.

Iam pridem conspirauerant sacerdotes in mortem Christi: nunc autem tractant, quomodo possent comode illum perdere, postquam intellexerunt eum esse autorem uitæ. Vbiq; licet uidere istorum insaniam, & quomodo omnia secus eueniant, quàm ipsi consulant: adeò nullum consiliũ contra dominum. In summis sacerdotibus & pharisæis, qui erant iurisperiti Iudæorum, querenda erat maior religio & amplior iustitia: sed ne mica quidem sapientiæ in illis apparet, qui dolis & tyrannide omnia tentant.

Cõsiliũ nul-
lum contra
dominum.

Quid.) Perplexi secũ, cum iam debebant iudicare quid esset faciendum. Post tanta miracula profectò adorandus erat Christus ut filius dei, obtemperandũq; eius præceptis. Sed quia regnum illorum erat ex hoc mundo, & Christus uenit ad conterendum regnum illud satanæ, meritò in tanta anxietate constituti fuere. Esa. 19. cap. de Aegypto facit mentionem, ubi omnino describuntur consilij inopes, sapientes Aegyptiorum. Idem & Hierem. & cæteri prophetæ de destructione Babel similia describunt. Quando apprehenduntur in medijs periculis hi sapientes, non est ut cõsulant. Christus uenerat ad repellendas tenebras huius mundi, quia ipse lux mundi. Quid facerent tenebræ? Anxij sacerdotes uidebant opera sua redargui, uolebãt in sua pompa manere & sua tyrannide, propterea Christus intolerabilis

terabilis erat illis: neq; uiam inueniebant cōmodiorem, quàm ut tollerent Christum è medio. Hoc etiam hodie licet uidere, quoties principes congregantur aduersum domini uerbū: quando putāt maxime extincturos (etsi aliquantulo tempore persequuntur bonos) ualidius reuiuiscit apud electos. Est sententia, omnino destituimur consilio.

Hic homo.) Vocant hominem: potius deum appellare decebat: sed inuidia non permittebat, ut honeste de Christo loquerentur: quamuis ipsa opera redarguerent illos.

Signa.) Alibi negant signa facere: sed non poterant iam dicere esse imposturas.

Si permiserimus.) Est humiliter quidē dictum. Id est, nisi occiderimus illū, & abstulerimus de medio, aliter erit de nobis: & si manserit in sua dignitate, omnes erident in illum. Omnino non poterant Christi auferre dignitatem, quemadmodum uolebant, quia Christus mansit uerus deus: & ita coacti sunt illum relinquere.

Omnes.) Id est, quotquot sunt credituri, uenient.

Romani.) De ciuitate loquūtur & templo. Quo modo hoc conueniebat Christo, qui iuebat censum dare Cæsari: tunicam auferenti, pallium porrigere? & c. Et cum nihil omnino docuerit ad seditionē mouendā, quod Christo ascribebant, hoc ipsi perpetuò secū mēditabantur, quomodo possent Romanum imperiū totū

lere. Etiam sequentibus annis inde exordium belli cœpit, quia rebelles facti Romanis, excludebantq; præfules: unde & ciuitas destructa est.

Tollent.) Quomodo tollent, nisi sublata tota religione Iudeorum? nimirum hoc agnoscebāt etiam ex prophetis. Daniel. 11. In aduentu Christi ostendit, cœsuras omnes illorum ceremonias, & gentem ipsorū esse obstruendam. Hocq; timebant Iudæi, qui solū ista carnalia cogitabant, & spiritualia prorsus negligebant. Et utcunque uerba illa locuti fuerint, eodem tamen spiritu acti, quo & Caiaphas episcopus illorum: nam omnino factum est, quod timebant. Potuissent cū Christo in libertate manere, sed occiso Christo perdidērunt locum & gentem. Hoc serè omnes dicebant in concilio, nihilominus erant ancipites, quidnam esset faciendum.

Vnus autem ex ipsis Caiaphas nomine, cū esset summus sacerdos anni illius, dixit illis: Vos nescitis quicquā, nec perpenditis, quod expedit uobis, ut unus homo moriatur pro populo, & nō tota gens pereat.

Vnus ex illis, ut loco erat prior, ita & impudentia cæteros antecellebat, cū esset summus sacerdos anni illius. Erant pontifices symoniaci: iuxta legem debebant

bebāt esse prognati ex tribu Leuitica, et descendere ab
 Aarone. Sed iam contempta lege emebant sacerdotiū
 à Romanis: & ueri sacerdotes ex linea, olim perditū
 occisi à Pompeio & Herode. Talis etiam erat pontifex
 iste Caiaphas: nihilominus quamuis impius esset,
 tamen hunc locum occupabat. Et si quidem animū spe
 ctaueris loquentis, summam inuenies impietatem: si au
 tem dispensationem dei, quod deus decreuerat per ora
 gana perficere, inuenies uerba magnæ consolationis.

Vos.) Id est, stupidi estis, muliebres, & timidi: faci
 citis uobis magnam conscientiam, ubi tanta est reipu
 blicæ utilitas.

Expedi.) Quid tanti facitis homuncionem ali
 quem? iam uestra omnium sententia tota gens periclita
 bitur: quanto satius gentē saluam faciamus, & ille tol
 latur è medio. Hæc erat impia uox illius. Sed scimus
 non esse facienda mala, ut eueniant bona. Etiam hodie
 tales principes & iudices inueniuntur, qui cæde affi
 ciunt alios, ut populus sit in maiori obediētia. Sed pla
 nè contradicit omnis scriptura: etiam si posses unius
 iusti hominis cæde multorum salutem operari, tamen
 non licebit tibi: quanto minus Christum debebant tol
 lere, qui nihil quàm pacem spirabat?

Vnus.) Alioqui erit isti moriendum, quid mali si
 præoccupetur? Sed hoc omittunt, quod interim offen
 dunt deum, cui iustus homo curæ est, à quo pendent o

omnia, cuiusq; uult esse uindex: ideo planè stulte agunt, quia ubi non timor domini, ibi nihil sapientiæ. Prouer. 1. Cæterum si ordinationem dei animaduertimus, sicut Euangelista explicat, inueniemus quanta bona nobis accesserint per Christum: quia à sua gente erat occidendus.

Hoc autè à se metipso non dixit: sed cū esset summus sacerdos anni illius, uaticinatus est, quod Iesus moriturus esset pro gente: & non tantū pro gente, sed ut filios dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.

Quamuis fuerit impius (sed quia erat pōtifex, adhuc occupabat locum istum pontificis, quem deus hoc priuilegio honorabat, ut per tempus istud quo lex erat in uigore, sacerdotis autoritate nō careret) tamen deus usus est illo tanquam organo: unde discimus deum non raro assistere principibus, ut nonnunquam ignorantes optima constituent, quæ si somniarent nequaquam admitterent. Nō erat animus Caiaphæ, ut cōgregaretur populus, nihilominus deus utebatur malo istius principatu. Verba principum solent à uulgo magis obseruari, & à multis annunciari: quæ autem priuati homines loquuntur, pauci animaduertunt, etsi sapientissima sunt. Si uero idem dictū pronunciatū fuerit à principe

cipe & magno quopiam uiro, tunc multi admirantur,
& retinent quidnam dictum sit.

Iesus.) Est igitur etiam prophetia, dicit aliquis.
Est prophetia generali nomine dicta: sed si uelis pro-
phetas cum isto conferre, esset absona comparatio. Ad
Corinth. habemus, quod spiritus prophetis subiectus
est. Esaias & alij non ignorabant quid loquerentur.
Caiaphas nihil taliū cogitabat secum. Inuenimus item
prophetiam esse donum, cuius participes etiā esse pos-
sunt impij, ut in die iudicij multi dicent: Domine, do-
mine, signa fecimus. Matt. 7. & c.

Moriturus.) Gentem hic uocat populum, ut cunq;
dispersum in toto orbe: unde Christus antea dixerat
oues alias se habere, quas oporteret adducere. Ideo oc-
cidendus, ut congregaretur una ecclesia, & membra
Christi dispersa unirentur in unum corpus. Ex hoc loco
licet multas prophetias exponere, quas Iudæi peruerse
interpretantur, dum expectant reuocationem suam ex
gentibus, quasi iterum redire debeant in Hierusalem,
ut in prophetis legunt. Sed reditus ille impletus est per
ministerium apostolorū. Nam ut Christus est mortuus,
dedit spiritum sanctum apostolis: & hi profecti sunt in
totum orbem, & collegerunt nouam ciuitatem Hie-
rusalem ex omnibus populis. Sanguis Christi sufficie-
bat pro redemptione omnium, sed illis solis subuenit,
qui sunt filij dei. Qui hic per uerbum dei regenerantur

tur, illi fuerunt dispersi per totam terram. Sic spiritus sanctus interpretatur uerba Caiaphæ: unde non est mirum alia prophetica uerba, aliam expositionem accipere quam litera nuda sonat.

Ab illo ergo die conspirarunt, ut occiderent illum.

Præualuit sententia Caiaphæ, occidendum plane esse Christum. Illo die, signanter dicit, quo acceperunt Christum tantum miraculum facere, esse principem uitæ & mortis. Ab illo die, quasi per admirationem dicat.

Iesus ergo iam non libere ambulabat inter Iudæos, sed abiit in regionem iuxta desertum, in ciuitatem que dicitur Ephraim, & ibi uersabatur cum discipulis suis.

Quamuis Christus maximum miraculum fecerat, & certum erat populum aliquo desiderio Christi teneri, ut ex posterioribus patet, tamen Christus noluit statim uenire Hierusalem, sed expectauit donec desiderium populi cresceret. Ita noluit publice ambulare apud Iudæos, non quod sibi timeret, sed dabat aliquandiu locum iræ, ut supra. Sicque consuluit infirmitati nostre, & instituit nos, ne ita temere periclitaremur.

Prope solit.) Hæc regio non extra Iudæam, neque ualde procul à Hierusalem, duobus uel tribus miliaribus distabat, uno die poterat redire Hierusalem.

Nam iam secum destinauerat hoc paschate uelle occi-
di. Indicat hic Euangelista, Christum destitutum fuisse
se populo. Neque tantus illic populus, ut in Galilea.
In Iudæa enim cum solis discipulis uersabatur.

LECTIO LXIII.

Instabat autem pascha Iudeorum, &
ascenderunt multi Hierosolymam e re-
gione ante pascha, ut purificarent se.

Iterum Christus occasionem querit, ut desiderium
sui Hierosolymitis iniiciat, abscondens se aliquanto tem-
pore, & permittens alios ascendere Hierusalem, ita ut
absentiam illius admirarentur. Volebat enim excipi ab
illis honeste, & indicare se cum gloria quidam esse pro-
missum Messiam per prophetas. Vnde dicit, Instabat
pascha Iudeorum. Cognominat pascha Iudaicum, quia
nemo illud celebrabat quam Iudei. Causam autem qua-
re pascha institutum fuerit, audiuiſtis in Exodo.

Plures.) Ex regione, id est, Iudæa uel Galilea,
uel circumiacentibus regionibus.

Sanctificarent.) Sanctificatio illa erat, quia per
aliquot dies orabant in templo, & abſtinebant à cer-
tis quibusdam epulis, ut purius pascha manducarent.
Hunc quidem morem, quidam solennem habebant: etiã
Paulus cum cæteris se sanctificauit, ut in Actibus ha-
bemus. Licet interim animaduertere, cum illi tanto stu-

dio & puritate celebrarint istud Iudicū pascha, quanta maiori pietate mentis conuenit, ut nos uerū pascha celebremus, trāsīturi per Christum ad nouitatē uite?

Querebant ergo Iesum, & colloquebantur inter se, in templo stantes: Quid uidetur uobis, quod non uenerit ad diē festum?

Hic apparet, quod dixi populos illos auidos fuisse uidendi Christum, & iam incensos quodam desiderio: unde mox illa in templo cum sic se deo uouerent, loquebantur.

Vobis.) Prius: Nunquid abiturus est ad gentes? Ita hic. An fortassis præsensit insidias Iudaeorum, uel metu quodam tenetur, quod non comparet? Nam causam quare tardaret Christus, cognoscere non poterāt.

Dederant autem summi sacerdotes & pharisæi mandatū, ut si quis cognouisset ubi esset, indicaret, ut cōprehenderent illum.

Pharisæi arbitrabantur Christum latere fortassis metu, & nolle prodire nūc in publicum, eamq; ob causam constituerant mandatū. Suspiciabantur enim elāt ascendisse ad festiuitatem & nō longe abesse, quia fuerat in Bethania. Ita omni modo inuidia nō cessat. Præsentem Christum non ferebant, absenti quoq; insidias
strueo

struebant. Alij tamen alijs rationibus desiderabāt Christum: illi ad uitam, alij uero ad mortem. Illi cupiebant uidere miracula, alij nihil magis oderant quàm sic glorificari Christum. Verum aduolat Christus opportunus no tempore, ut figuræ prophetarum implerentur.

CAPVT XII.



Iesus ergo ante sex dies paschæ uenit Bethaniã, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit à mortuis.

Igitur quia magno desiderio Christi populus iam laborabat, & erant iam aliquot parati ad excipiendum illum, maxime post excellens hoc miraculũ. Ante sex, id est, sabbato, qui dies præcedit diem palmarũ.

Bethania.) Locum non longe distantẽ, ut supra, à Hierusalem elegit, quo sequenti die cum gloria quadam ingrederetur, adimpleturus insignem istam prophetiam Zachariæ prophete. Quid autem fecerit in Bethania, admodum diligenter describit Euangelista. Christus ubiq; inculcat discipulis memoriam suæ passionis, & non multum temporis abesse à passione, & sponte se iturum ad illam. Unctus enim est Christus à Maria. Quam ob causam? Nimirum in diem sepulture. Habebat unctio ista figuram quandam unctionis mortuorum, & indicabat se Christum iam iam proxis

num esse morti. Ita indicat eis proximam esse passionem suam, quamuis interim murmuret Iudas, uel alij discipuli cum Iuda. In Bethania erat, loco satis celebri propter Lazarum, qui erat mortuus, ad quem & postea multi confluebant, excitati insigni miraculo. Vna de Euangelista notanter assignat.

Mortuus.) Ille illic erat, & uolebat Christus manere apud hunc Lazarum, siue in domo Simonis uel Marie, de hoc nobis non est controuersia.

Fecerunt autē ei coenam ibi, & Martha ministrabat. Lazarus uero unus erat de numero discubentium cum ipso. Maria ergo accepit libram unguenti nardini optimi, ualde preciosi, et unxit pedes Iesu, & extersit pedes illius capillis suis.

Cum Christus uenisset in Bethaniā, illic uoluit cenare cum dilectis amicis suis: nam insignem fuisse amicitiam illorum, supra indicatum est. Videamus obiter hoc loco, licere istis temporalibus uti pro nostra necessitate. Alij euangelistae hoc conuiuuium in domo Simonis dicunt fuisse. Et pulchre figurā ecclesiae habet, ut supra: nam iterum uidebitis illas esse iunctas, & misterio deputari unamquāq;. Martha sollicita est, Maria intentior ad audiendum uerbum dei: uel etiam quae domi sedebat, illa hoc loco accipit unguentum preciosissimum, inungit pedes Iesu, quo tenerior quidam fer

nor indicatur & deuotio quedam, ut sic dicam. Erat enim tota dedita & gratissima Christo ob beneficium illud, quo Lazarus excitatus à mortuis. Inuenimus igitur in ecclesia dei, alios ministrare, alios alijs operibus occupatos, tamē omnes adherere Christo. Et discumbente Christo, certum apostolos cū eo discubuisse.

Cœnam.) Non dedignatus est cœnare. Martha ministrabat illi: quamuis esset domina, tamen non erubescibat hoc ministerio fungi.

Lazarus.) Recte is qui resuscitatus est, et aliquo modo resurrectionis particeps, recumbere dicitur cū Christo. Licet non resurrexerit adhuc ad æternam istā gloriam, & ad uitam immortalem, gerebat tamen figuram futuræ resurrectionis. Et uere quisquis hic à peccatis resuscitatus fuerit, ut dictū est, et audiuerit uocem Christi, euocantem ex consuetudine peccatorum, ille conuiuia erit Christi, & gaudebit cum eo iugiter. Qui autem intenti sunt uerbo, quiq; precibus sunt dediti, illi Christum inungunt. Sanctus Bernhardus hanc rem pulchre tractat, quomodo unxerit Christum: tamen hic nō distinxerunt euangelistæ illa: solum hic additū, unxit pedes Iesu, etiam si effuderit in caput: tamen occupata fuit in ungendis pedibus, sicq; humilitatē ostendit. Non adhibebat linteū, sed proprios capillos suos, quos antea exhibuerat fortassis in usum huius mundi. Fuerat fortē gloriosa in capillis & nimis superba.

Nardinū.) Preciosum apud illos unguentū: *πικρὸς πολυτίμος*, fidele, quod omnino est sincerū, cui non sunt adiunctæ aliæ species uiliores. Et erat huiusmodi unguentum, quod etiam magna pecunia fuit æstimatū, ut ex uerbis Iudæ licet æstimare, trecentis denarijs: idq; facit serè quinquaginta florenos iuxta supputationem ueterum, uel quadraginta coronatos: unde apparet ualde preciosum fuisse unguentū. Unguntur item pedes Iesu hodie, quoties beneficia ministris Christi conferuntur.

Pedes.) Christus non repudiavit hoc opus: atq; ostendit mundis omnia esse munda. Etiā unguenta ista preciosa, non sunt lege interdicta pijs: possunt pro tempore uti illis, præsertim in regionibus illis calidioribus. Absit ut simus superstitiosi ut quidam, qui ita temere iudicant: si quis præter panem, tria uel quatuor fercula intulerit, illum excommunicant, quasi non liceat creaturis dei bene uti. Nonne putatis Solomonem & Dauidem his bene fuisse usos? Christus in Mattheo dicit: Cum ieiunaueris, unge faciem tuam oleo. Apud nos uideretur esse luxus, apud illos quotidianum & citra luxum. Esto ditiores admittant nonnihil deliciarum, modo non spernant proximos, & abijciant timorem, ut diues ille, qui spreuit Lazarum: alioquin iusta fuisset reprehensio Iudæ, cuius nimium erat supercilium. Non solum propter mysterium passionis, sed
etiam

etiam quod licitum esset, aliàs nullo modo permisisset se tam precioso unguento ungi.

Domus autem impleta est ex odore unguenti.

Quàm utile fuerit unguentū, & quàm preciosum, hinc etiam licet agnoscere, quia tota domus inde accipit refragantiam. Nō solum Christus refocillatus fuit, sed omnes qui cum Christo erant. Bona opera quæ ex fide fluunt, bonum odorem adferunt ecclesie, ut alij etiam oblectentur.

Dicit ergo unus ex discipulis illius, Iudas Simonis Iscariotes, qui erat illum proditurus: Quare hoc unguentū non uenijt trecentis denarijs, & datum est egenis?

Qui magis propensi sunt ad iudicandum & condemnandū alios, serè cæteris peiores sunt. Nam quanto quis uirtutibus magis excellit, tanto minus est temerarius ad iudicandum in hisce rebus, quæ adiaphora sunt, quæq; possunt esse bona uel mala. Non expendant censores isti causam, quare quid fiat: unde necesse ut prodant malitiam cordis sui. Iudas prætexebat paupertatem. Facillimum est prætexere pauperes & gloriam dei: sed uide rem ipsam, num præiudicet glorie dei uel pauperibus. Posset alia ratione pauperibus consuli: quamuis huiuscemodi censores non repræ-

hendunt ex corde. Prætexunt quidem multa, sed studio proprij commodi incitantur: idq; alacriores facit ad carpendum.

Iudas.) Is præ alijs reprehendit hoc opus. Apud alios euangelistas, etiã alios indignatos fuisse legimus. Non raro, quod unus ait, multis ascribitur. Ita duo latrones dicuntur blasphemasse Christũ in cruce, & unus solus blasphemauit iuxta sententiam patrum, qui cõcordant euãgelistas. Esto autem etiam alij ex uerbis Iudæ commoti non nihil fuerint, quod tamen non admodum uerisimile est, tamẽ alia ratione. Et pulchre hoc in loco alludit ad passionem domini. Causa quare Iudas indutus fuerit, ut auderet tantum facinus, fuit auaritia, quæ causa est omnium malorum.

Discipulis.) Non obticuere euangelistæ discipulorum nomina: inde licet ueritatem historiæ agnoscere, cum discipulorum mala & peccata ascripserint, ut de Matthæo publicano, de negatione Petri &c. quæ non uidebantur pulchra apostolis, sed ut minus suspecta esset historia euangelica, illa adiecta sunt.

Quare.) Illud unguentum preciosissimum: oportebat potissimũ pauperum habere curam. Quæ utilitas parua si agrantia: illa durat ad horulam. Certe non rã pseudo- loquebatur propter pauperes, sed fur erat. Interim Iudas erit figura falsorum ministrorum ecclesiæ, qui quæ pauperum sunt, in suos usus conuertunt.

LECTIO LXIII.

Admodum diligenter historiã de prodicione Iu-
 dae inseruit Euangelista, qui inter apostolos nu-
 merabatur, ut hi potissimum, qui ecclesiã seruiunt, ad-
 moneantur, ut fideliter suo munere fungantur. Fere-
 bat ille marsupium, & dispensabat pauperibus quæ
 collecta erant: sed perfidus erat: nam furabatur & ap-
 portabat uxori & filijs. Admonentur inquam omnes
 ministri uerbi, ut ea potissimum quæ erant, quæ Christi
 & proximorum sunt: id est, non quæ erant sua, non se-
 ipsos, ut faciunt pastores mali, de quibus Ezechiel lo-
 cutus est: nam horum omnium figuram gerit in se Iu-
 das, qui talia uerba deprompsit: Quare unguentum
 &c. Nimirum recordatus est, quanti semper Christus
 fecerit misericordiam, & omnibus alijs operibus uirtu-
 tem istam prætulerit, & alioqui semper abstinuerit ab
 omni sumptu, uiuens quam frugalissime. Quamuis non
 ita sentiret secũ, tamen sciebat, quanta esset uirtus elee-
 mosinæ: proinde illam prætexebat suo sceleri. In omni-
 bus operibus quæ censentur bona, non sunt opera spe-
 ctanda, sed quo tempore fiant, qua necessitate & ratio-
 ne, perpendendum est. Etsi necessaria per se sit eleemo-
 sina & utilis: fieri tamen potest ut aliquando honestius
 sis addictus alio operi. Nam si offert se pauper, medio-
 cri pauperie oppressus, & præterea urgeat tempus
 in uerbo, iam potius uaces uerbo quàm elemosinæ, &

Ca. XII . ANNOT. IOAN. OECOL.

illud opus alteri iniungas. Non est possibile, ut unus ferat omnia onera. Ita etiam singulare quid accidit in Christo: nam alioqui non gaudebat istis refocillationibus, sed hoc tempore, quia non fiebat absq; utilitate & dispensatione dei, permittebat fieri.

Dixit autē hoc, non quod pauperes illi curę essent, sed quia fur erat, ac marisupium habebat, eaq; quę mittebant, portabat.

Nō hoc dicebat puro animo. Christus debebat iniungi, quia id gloria Christi postulabat.

Dixit ergo Iesus: Sine illam, in diē sepulturę meę seruauit istud. Pauperes enim semper habetis uobiscum, me uero non semper habebitis.

Pios affectus Christus semper excusauit: sic et hoc loco. Odit Christus temeraria iudicia: nam ea quę uel mediocriter bona sunt, etiam placent deo. Est aliquid prodire tenus, si non potes ultra. Loth in Segor saluatur. Modò ne in Sodomis maneat, et totus in peccatis.

Sine.) Id est, ne sis illi molestus. Alij: Bonum opus operata est. Facis quasi malū opus sit: procedit ex bono affectu erga præceptorem, alioqui non immiseriors erga pauperes & neuiquam dura.

Seruauit.) Non quod ipsa cognouerit tempus passionis

tionis dominicæ, & dedita opera hoc seruauerit: sed quia unctio ista habebat sacramentum quoddam. quæ si dicat. Singulari dispensatione dei significatū est per hoc, nō esse procul diem meæ sepulturæ. Solenne apud Iudæos ungere sepelendos. Certū est, non seruauit hoc animo, neq; cogitauit, quod Christus esset moriturus. Iudas querit, Quare non uenisti? Planè si uoluisset, intellexisset. Per totum mundū hoc clarū nūc est: quia gloria dei manifestanda erat: eam ob rem etiam cæcus factus est cæcus. Deus igitur omnia ordinat in hunc usum, quæ ipsa non probe nouerat. Habes hic usum istius unguenti, ut scias Christum uere fuisse mortalem.

Pauperes.) Ecce si tanta cura est pauperum, dabitur uobis magna occasio quotidie. Ita diuina ordinatione, etsi præceptum sit, ne toleremus pauperes, tamen alij futuri pauperes sunt, alij diuites. Potuisset deus paucere pauperes absq; nobis, & absq; diuitibus: sed per pauperes explorantur uiscera diuitum, an habeant misericordiã erga illos. Si deus dederit opes, & non subuenerimus his, qui sunt domestici fidei, expostulabis nobiscum in die iudicij.

Me autem.) Id est, iam proximū est tempus, cum à uobis sim abiturus. Planè declarat se absfuturum corpore. Nota, idem habebitis, uel habetis: præsens uim futuri habet. Corporaliter Christum non habemus semper: scimus interim eius uirtutem esse diffusam. Nullā

Christiano est dubium, Christum ubiq; operari. Sed si de corpore & humanitate sic uolueris loqui, locus iste planè pugnat, ut hoc tribuas corpori, quod diuinitati tribuendum est. Licet duæ naturæ sint in una persona, sed quæ humanæ naturæ conueniunt, propterea non sunt tribuenda diuinæ naturæ. Ita est cōtentio. Glossam absq; scriptura adducunt. Adest inuisibiliter & modo ineffabili, & sic nihilominus præsens & c. Ipse gloriaficaturus erat sua membra longe alia gloria, nempe immortalitate & incorruptione, & ea cui nulla alia

**Pauperes
membra
Christi.**

sit anteferenda. Illa membra sunt pauperes, in quibus Christus per spiritum suum habitat: ea plurimum sunt commendata, estq; præsens in suis membris. Iam facile liquet, quod isti qui hodie ægreferunt, quando quidam inuilibus cultus templorum in usum pauperum dissipatur, putant illam iustitiam esse omnino indignam & intempestiuā: nihilominus uolunt arguere, quod æque placeat deo, si multum auri in templis sit & c. & nescio quo fastu sint conspicui. Christus in sua ecclesia alium ornatum requirit, quàm illum in auro & argento. Pauperes templa sunt dei uiui, propterea non est quare illi succenseant, neq; perstringere possunt etiam sanctos uiros. Epiphanius accepit quædam serica, & inuoluit mortuos & sepeliuit, quæ erant ociosa in templis. Pleriq; uasa aurea & argentea constarunt, & distribuerunt pauperibus, scientes hunc usum esse luxū.

Epiphanius.

Afferant

Afferant illi talem quandam significationem à deo sic decretam, qualis hic proponitur, & dignum erit ut eis subscribamus. Hæc acta sunt in coena, ob id, ut prædicetur appropinquare passionē dominicam, ne putetur Christus illā aggredi inuitus: quia obtulit se ex immensa charitate.

Cognouit ergo turba multa ex Iudæis quod illic esset, & uenerunt non propter Iesum tantū, sed ut Lazarum quoque uiderent, quē suscitauerat à mortuis, Summi autem sacerdotes consultabant, ut & Lazarū interficerent: quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in Iesum.

Statim nunc apparet, quā nullus fuerit conatus Iudæorū, & nihil efficere potuisse suis consilijs omnibus, nisi sponte se obtulisset Christus. Antea legimus quod decretum fecerint Iudæi, ut indicaretur ubi Christus sit. Iam sciunt Christum diuertisse, & in Bethania aperte uersari apud Lazarum: unde licet intellexerint hoc, tamen non ausi sunt Christum inuadere in Bethania. Plerique etiam non curabant præceptū istud Iudæorum, siquidem egrediebatur in Bethaniam. Ad dit, plures, non tam propter Christum quā propter Lazarum: plures curiositate uidendi & superstitiosa

te, ob uirtutem & magnitudinē miraculi, ut etiam ipsi possent gloriari uidiſſe quatruiduanum mortuū ſuſcitatū. Vſum tamen & utilitatem aliquam inde reportarunt, facti enim ſunt fideles. Ea propter non ſunt repellendi iſti, qui nonnunquam non admodum pio animo accedunt ad audiendum dei uerbū: fieri poteſt ut animi eorum mutantur, & attracti ſpiritu dei alij fiant.

Sed ut Laz.) illa erat curiositas. Ita plerique ob aliam cauſam egrediuntur. Vide hic magnitudinem inuidiæ.

Occidant.) Lazarus magni nominis apud Iudeos: ſed illi cupiebant hoc miraculū obſcurari. Si Lazarus occiſus eſſet, uiderentur uana omnia. Summa ſtultitia: qui quatruiduanū ſuſcitauit, etiam tueri poteſt Lazarum ab inſidijs aduerſariorum.

Poſtero die turba multa quæ uenerat ad diem feſtum, cum audiſſent quod ueniret Ieſus Hieroſolymā, acceperunt ramos palmarū, et proceſſerūt obuiam ei, & clamabant: Hoſanna, benediſtus qui uenit in nomine domini rex Iſraël.

Antea oſtendi uobis, quod Chriſtus aliquanto tempore abſens eſſe uoluit à Hieruſalem, & non cum primis aſcendere ad feſtiuitatē, ut accenderet aliquod deſiderium in cordibus ipſorum, Ita uidemus nunc illud adimpleri:

adimpleri: nam si Christus cum alijs ascendisset, nequaquam iuisset ei turba obuiam. Præterea prophetia impleri debebat, ut Esaias & Zacharias prædixerunt, quo agnoscerent suum Mesiam uenturum non in curribus & quadrigis, neq; ut alij imperatores qui exercebant bella, sed potius mitis et mansuetus, ob hoc ingressurus super filiam asinae subiugalis. Et illud erat implendum, ut omnibus modis non possent negare Iesum esse filium dei à prophetis prædictum.

Acceperunt.) Hunc honorem ferè soliti sunt exhibere imperatoribus, gestantes in manibus palmas, sic ut honeste deducere illos: unde occursum iste cū ramis palmarum, & alia quæ facta sunt in itinere, ut à Mattheo & Marco describuntur, quod prostrauerunt uestimenta sua &c. certa indicia, quod Christum tanquam Mesiam suum agnouerunt: & quod amplius est, pueri acclamauerunt, Iesum esse benedictum domini. Ita omnia diuina dispensatione facta sunt, ut nemo negaret Iesum esse Mesiam, non curantes supercilium pharisæorum, etiam decretum pontificum summorum. Notanter dicit de turba quæ uenerat: nam Hierosolymitæ, qui addicti sacerdotibus, non exierunt, sed potius cæteri, qui magno desiderio tenebantur uisendi Christum.

Hosanna.) Salua obsecro, Hebraica dictio, & ex psalmo uersus iste desumptus est. Id est, salutare

Et sanctum sit, saluifica nos: quæ uox nulli magis conuenit, quàm filio dei. Nam cæteri non poterant redimere.

Benedictus.) Quid regij in se habebat Christus? Planè agnoscebant eum esse, quem prophætæ prædixere uenire in nomine domini. Is sit benedictus, omnes illum laudent, utpote uerum regem Israël. Idquæ honoris uolebat Christus sibi impendi ante passionem suam, in damnationem Iudæorum, quo minus sint excusabiles. Alij euangelistæ hanc historiam latius describunt, quomodo Christus duos miserit discipulos &c. quæ non carèt mysterijs: uerum cum ab alijs descripta sunt, libenter omisit noster Euangelista.

LECTIO LXV

VT Christus impleret prophetiam, multis ante seculis de se prædictâ, præcepit discipulis suis, ut asinâ cum pullo asinæ adducerent, & ita ingrediatur in Hierusalem, atque regis speciem in se gereret, ostenderetque omnibus se esse Mesiam: etsi etiâ discipuli nondum perfecte agnoscerent, sed populus & pueri ipsi declararent, Christum esse uerum Mesiam.

Nactus autem Iesus asellam, sedit super illam, sicut scriptum est: Noli timere filia Sion, ecce rex tuus uenit sedens super pullum asinæ.

Partim ex Esaiâ, partim Malachia, desumpta illa sunt.

sunt. Audistis heri quare Euangelista noster quaedam
omittat, nempe quomodo asinū adduxerint discipuli:
quodq; tale mysterium habet. Discipulorum erat po-
pulum gentiliū adducere. Quando ecclesia Christo
subiecta, & quando Christus tradiderit regnum deo
patri, tunc etiam ipse subijcietur: id est, ecclesia planè
tunc erit subiecta. Gentes, quia insensatae erant, & ad-
modum brutae, diuinarū rerum minime capaces, qui-
bus dominus insidet, quiq; factus est rector gentilis po-
puli: cum hoc populo Christus regnabit in aeternum.

Scriptum.) Huc potissimum respexit Christus,
alioqui nō legitur usum asino uel equo, neq; unus apex
de scriptura peribit. Zach. 9. aliquanto secius: Exul-
ta. Hic, ne timeas filia Sion. Vocat Hierusalem quidē,
sed ista terrena Hierusalē, semper est typus populi fi-
delium, quia Sion est mons excellentior ciuitatis. Ideo
tota ciuitas dicta Sion, & ecclesia Sion. Lex data in
Sion est, & spiritus sanctus atque uerbum domini ex
Sion exiuit. Ne timeas: omnibus fidelibus dicitur. Nō
amplius patieris tyrannos dominos, sed potius beni-
gnum regem & mitem. Non uenit cum tot quadrigis,
cum tot exercitibus, ut tyrannide premat plebem. Ex-
cludas igitur omnē timorem, quia Christus ipse est do-
minus uitae & mortis. Omnes creaturae sibi traditae à
deo. Quorum igitur rex est Christus, illi nihil habent
quod timeant, sub tãto rege potente. Ecce mira est eius

familiaritas: non uult abesse à te, uenit tibi, in tuam utilitatem. In tanta humilitate dignatus per omnia nobis fieri similis, assumpta forma serui, ut patèret nobis accessus ad ipsum.

Hæc autem non cognouerunt discipuli eius primum, sed quãdo glorificatus est Iesus, tunc recordati sunt, quod hæc essent scripta de illo, & quod hæc fecissent illi.

Sicut in plerisque locis discipuli ante resurrectionem, locorum multorum scripturæ ignari fuerunt, ita post glorificationem agnouerunt. id est, post ascensionem Christi, & missionem spiritus sancti. Antea tale nihil sciebant: quamuis Christum Messiam faterentur, tamen nesciuerunt hunc locum Zachariæ de illo dictum. Hincq; redarguuntur Iudæi de perfidia sua. Hæc non agnouerunt primo, quia primo sumus pueri, & cum tempore in uiros perfectos euadimus. Vide humilitatem Euangelistæ, qui non erubescit suam ipsius ignorantiam fateri, sicut & alibi reliquorum discipulorum ignorantiam.

Testificatur igitur turba, quæ erat cū illo, quando Lazarum uocauit ex sepulchro, & excitauit illum ex mortuis. Eapropter turba occurrit illi, quod audierant ipsum ædidisse hoc miraculum.

Volebat

Volbat honeste excipi ante mortem suam, unde hæc fieri præparauit. Alij euangelistæ de pueris dicunt, quorum confessione pharisæi potissimum sunt confusi, nimirum inuidentes Christi gloriæ ut solent perpetuo.

Pharisæi igitur dicebant inter se: Videtis quod nihil proficitis? Ecce mūdus post ipsum abiit.

Confutandi erant Iudæi, propter suum impium decretum, de prodendo, siue indicando Christo. Vident nunc suum consilium stultum & uanum omnino. quasi diceret: Vt cuiq; innit. amini, nihil proficietis, quamprimum ille compareret, nemo est qui eum reprehendat, & maius incrementum sumit eius cultus. Hi sunt fructus inuidiæ, ut aliena gloria crucientur. Gentium credulitas & desiderium erat significanda: sed oportuit antea Iudæos excæcari, quàm gentiū uocationē succedere. Ea significata est quoq; per asellam, super qua sedet Christus. Germen Christi prorumpebat, & Magi significabāt uenturum Christum. Ita Græci hoc loco, qui non supputabantur inter Iudæos, ueniebant.

Erant autē quidam Græci ex his qui ascenderant, ut adorarent in festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à Bethsaida Galilææ, et rogabant illum, dicentes: Domine, uolumus Iesum uide-

re. Venit Philippus & dicit Andreæ:
 Andreas rurſū et Philippus dicūt Ieſu.

Iudei repudiabant Chriſtum, & inuidebant illius
 laudibus. Inſeruntur igitur illis eiectis, gentiles, qui erāt
 tanquam ſylueſtres rami et agreſtes, in oliuam. Etiam
 indicat Euangelista quomodo inſiti fuerint: nam deus
 uti uoluit apoſtolorum miniſterio ad uocandas gentes.
 Sicut aſinum dominus adduxit per apoſtolos, ita dele
 git eos, per quos gentes & omnes ad Chriſtum eſſent
 uocandi. Erant Profelyti, & alij qui manebant in riti
 bus gentium, qualis Cornelius Ceſarienſis &c. ui
 ri piij alioqui, non Iudei, hiq; agnoſcebant uerum deū,
 citra Iudaicam ſuperſtitionem: nolebant ſeſe adiunge
 re Iudeis omnino. Aliqui audierant de uero deo ex ſcri
 pturis philoſophorum, & uanum deorum cultum: hiq;
 auditis miraculis Chriſti, accenſi ut uiderent Chri
 ſtum. Etiam maxima multitudo gentium Iudeis ſe ad
 iunxerat. Vnde Iudei qui hodie ſunt, incerti ſunt an ſi
 lij ſint Abrahæ, nec ne: ſolum in carne glorientur: nam
 cum rediere à Babylone, magna acceſſit multitudo
 gentium.

Bethſaida.) Patriam Petri & aliorum. Honeſte
 ſalutabant, dominum cupimus uidere Ieſum. Hoc deſi
 derium omnium gentium. Mirabantur apoſtoli princi
 pio, neq; commercium cum gentibus habere uolebant.
 Præceptum erat datum, in uiam gentium ne abirent.

Vnde

Vnde communicant consilium alius alio, quasi rem no-
uam, eos quibus non esset facta promissio, aduolare ad
Iesum. Res profecto digna admiratione.

Iesus autē respondit illis, dicens: Ve-
nit hora ut glorificet filius hominis. Ve-
re uere dico uobis, nisi granum frumen-
ti deiectum in terram, mortuum fuerit,
ipsum solum manet. Si uero mortuum
fuerit, multum fructum affert.

Respondet illis Christus, non temere factum esse,
quod gentes istæ quodam desiderio uidendi Christum
laborent: esse indicium filium hominis proxime glori-
ficandum.

Venit.) Hoc ideo contingit, ut sciatis propediem
tempus meum esse ut patiar, & deinde resurgam. Gen-
tes suscipient fidem, mihiq; se adiungent. Venit consti-
tutum tempus à patre, ut gloriosus fiat filius hominis.
Sed qua ratione nos etiam glorificemur, pulchra simi-
litudine indicat, quæ nonnihil consolationis habet in
afflictionibus.

Vere dico.) Assimilat se grano frumenti, quod
mittitur in terram. Hoc uidemus, si grana debeant fru-
tificare, necesse ut putrescant. Et ideo grano se com-
parat, quia ipse erat moriturus: & antequam morere-
tur, non erat uere glorificandus. Postea multum fru-

ctus afferet, id est, credituræ sunt gentes ex omnibus nationibus. Hic est magnus ille fructus ex passione & morte Christi. Sicut panis fractus pascit, ita nos quoque Christus pascit.

Mortuum.) Si mansissem uiuus, talem fructum non attulissem: si moriar, illum fructum adferam multiplicem. Hanc sententiam Christus etiam aliàs locutus est, sed hic uidetur repetere. Qui diligit animam suam &c. id est, qui tempore confessionis, quando oportet confiteri Christum, uult parcere corpori suo, ut potius mallet negare Christum, quàm periclitari pro illo, is supra modum diligit uitam presentem, quam & perdet.

Qui amat animam suam, perdet illam:
& qui odit animam suam in hoc mundo,

Id est, qui non pepercerit, qui non detrectauerit pericula, mortem, pro Christo, is uidetur esse prodigus animæ, cum hæc sit uera dilectio animæ. Alij oderunt in hoc mundo, alij non: qui exponit in periculum pro Christo, seruabit.

Seruabit illam in uitam æternam.

Id est, ut posthac nihil periculi habeat, licet hic amittat opes, bona, corpus, resurget tamen gloriosus, pro terrenis cœlestia accipiet, & æterna lætitia perfruetur. Est depositio quædam, si pernitimus corpus nostrum propter Christum affligi. Generalis sententia omnium fidelium, à qua seipsum non uult eximere. Eadem

dem fors discipulorum & Christi: in capite impletur hoc primum. quasi diceret: Si ego magnificerem animam meam, fortè terrem uos: sed eadem fors & domini & serui.

LECTIO LXVI.

Quidam ex Græcis, id est, gentibus, in die festo desiderabant uidere Christum, et ob hanc rem interpellabant apostolos, Andream & Philippū: per quod indicauit Christus in figura, ecclesiam ex gentibus congregandam. Hæc enim est glorificatio Christi, si à pluribus colatur & credatur. Verum ad hanc gloriam non erat peruenturus, nisi præuia cruce & morte. Vnde mortem suam prædixit, dicens: Nisi granum &c. quasi dicat: Non afferam multū fructum, nisi ante mortuus fuero; tunc fructum magnum afferam: id est, plurimi in me credent. Et quoniam in hunc sermonem incidit, confirmat illum generali ratione, ita decretum esse apud deum, ut quotquot peruenturi sint in gloriam, non sint peruenturi nisi per crucem. Primo de se locutus est, deinde in genere. Quemadmodū primus parens noster Adam, autor fuit mortis nobis, per inobedientiam suam (Quid enim illa, quàm amor sui ipsius? & philautia quid aliud quàm amare seipsum?) ita & nos imitatores quoque illius hæc perdidit. Iam Christus alia ratione nos instaurauit & reparauit, nempe

odio habens animã suam, reddens nobis salutem. Christus semetipsum exinanivit, non sua querens: & ita peruenit ad gloriam. Hac ratione omnibus nobis quodque præcipitur. Hoc est sacrificium quod deus à nobis petit: hæc est illa circuncisio affectuum impurorum & crucifixio ueteris hominis. Contra præceptum dei nihil sectemur, quod nobis adlubescit: tunc odio habemus animam nostram. Maxime hoc in confessione elucescit, quid quisq; diligat, uel odio habeat. Nam si uitã magis dilexeris, abnegabis ueritatẽ: & qui amat ueritatem, non curat uitã. Hæc non est ratio uestræ salutis, ut queratis quæ uestra sunt: aliud exemplum uobis exhibeo: igitur uos meo accipite crucem exemplo, humilitate uos ipsos &c.

Si quis mihi ministrat, me sequatur. Et ubi sum ego, illic & minister meus erit. Et si quis mihi ministrauerit, cohonestabit illum pater.

Iam quod in capite præcessit, hoc omnino in membris implendum erit. Vult igitur suo exemplo etiã nos parare ad crucem, & ad obedientiam. quasi diceret: Meus discipulus nõ proponat sibi bonos dies in hac uita, quod uelit in delicijs uiuere, ut omnia pro sua sententia procedant &c. Christus huiusmodi promissiones non dedit. Hoc autem in se complectitur summam uirtutem

virtutem, et fugam omnium uitiorum. Qui suis affectibus renunciauerit, non insolescet superbia, neque iræ frena laxabit, neq; gloriæ mancipium erit, sed erit mitis, suavis, & per omnia relucebunt in illis exempla Christi. Ex uita licet uidere habitantem gratiã Christi in hominibus.

Vbi ego.) Hic indicat præmium. Antea de suo præmio dixerat, granum frumenti multum fructũ adferre, quia resurrecturus erat. Nos nõ colligimus ecclesiam quemadmodum Christus. Cohæredes regni illius erimus & gloriæ: & bonis, in quibus est Christus, participes erimus. Ipse ad dexteram patris sedet, id est, potiora bona habet.

Sum.) Id est, in qua gloria ego sum, illic erit minister meus, & in eadem gloria: configurabimini corpori claritatis meæ. Non est necessarium, ut exponas de loco, uel etiam ut per omnia uelis cõmensurare gloriam nostram cum gloria Christi: nam scimus diuersitatem stellarũ: sol à cæteris stellis differt & c. sed erimus eiusdem gloriæ participes, ut in cap. 17. ut simus unum cum illo, ut ipse unum cum patre ob unitatẽ nature. Quæ uerba nimirum multum consolationis in se habent, quandoquidem minister eundem locum occupabit, id est, honorem sortietur, qui domino debetur.

Qui mihi.) Ne pigeat te laboris & crucis ferendæ: ampla sunt præmia: habes spectatorem deum pat-

trem, idem erit ac si deo patri ministraueris. Ego enim quid aliud quero, quàm gloriam patris? Unde non alia adoratione Christus adoratur, quàm eadem cum patre. Filio seruientes per fidem, hac resurrectione glorificabit. Ita omnibus modis ostendit per crucem esse uiam resurrectionis. Indicaui Christum, cum appropinquaret passio, prædixisse mortem suam, ut certe cognoscatur sponte accedere ad mortem. De qua re nunc ultra sequitur.

Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, seruato me ex hora illa. Sed propterea ueni in horam hanc, Pater illius nomen tuum.

Vt uideatis quomodo illa prioribus coherant, uidit aduenientem ad se populum, adesseq; tempus congregandæ ecclesiæ. Prius, Nisi granum &c. iam, anima mea. quasi dicat, Ecce iam inflat illa hora, ita ut omnia interna concutiantur. Anima ipsa uere turbatur præ cogitatione dolorum, qui superuenturi sunt super me. Sicut infra, cum oraret in monte Oluueti, cogitans iam mortem inflare, tedio magno afficiebatur secum, ita ut sudorem sanguineum sudaret, sic hoc loco.

Turbata.) Id est, Tam intra me ipsum sentio crucem istam, ut omnia cõcutiantur. Ex hoc loco Apollinaristæ arguuntur, qui affirmabant in Christo non esse animam.

animam, sed deitatem loco animæ. Error iste olim explosus est & reiectus ab ecclesia Christi. Vere enim sicut carnē nostrā portauit Christus, ita & animam. Totum hominem liberauit Christus, ita totum hominem sumpsit. Anima in superiori patre uim intellectuam habet, quæ illustratur diuino lumine: in inferiori parte affectibus est obnoxia, ut morti, gaudio, lætitiæ, & alijs perturbationibus, quas Christus accepit absque peccato dispensatiue. In anima Christi erant perturbationes & commotiones. quasi dicat, Certū, futurus est maximus fructus in morte mea, sed etiā præcedit magnus dolor, adeo ut ipse meditando concutiar.

Quid.) Id est, quibus uerbis explicabo meum dolorem, uel acerbicatem uel ingratitude Iudeorum uel blasphemiam? quibus modis effabor? quandoquidem non est quod huic passioni conferri posses. Tanta est tribulatio, ut clamem ad patrem, quo liberet.

Ab hac.) Id est, afflictione, ut destinatū à te, quia destinatum est certum tempus, quo oportebat Christū pati. In tempus uenio illud. Similis oratio in monte Oliueti infra. Omnino cupiebat liberari, hoc faciebat tamen tanquam homo, quamuis propterea non erat separatus à deitate.

Propterea.) Metonomice dictū. Tempus hoc uel hora: id est, in eam afflictionem perueni. quare? replete quæ supra, ut glorificetur pater, & ut multi eurus

agnoscant. Hoc nequaquam fieret, nisi Christus humiliaretur. Non meum dicit, sed tuum, quamuis cupiam liberari. Quare illa fiunt? ut nomen tuum sanctificetur, & innotescat omnibus iam populis, ut relictis simul lacrorum cultibus, & alijs immunditijs, ad te uerum deum conuertatur. Vult dicere: Omnia facio propter tuam gloriam. Ita Christus uiuendi exemplum praebet, ut omnia in gloriam dei faciamus. Item si patimur, gloriam dei increfcere optemus: necessariū erit Christum sequamur, patientia, innocentia, charitate &c. Nam si pateremur ut latrones, fures, &c. nulla emanaret diuini nominis gloria, sed blasphemia, ut dicitur: Blasphematur nomen dei inter gentes propter uos.

Venit ergo uox de caelo (dicens:) Et glorificaui, & rursus glorificabo.

Orante Christo subito uox audita est caelitus, quae uox est dei patris. Vt cunq; formata fuerit illa & subministrata per angelos, tamē in persona dei patris insonuit. Iterum pater filio perhibet testimonium, ut in baptismo & monte Thabor. Quidam exponunt, per hoc glorificaui, quod suscitasti Lazarum ex mortuis: accessit aliquid nomini tuo. Nō reiicio hanc sententiā, nihilominus tamen ampliorem uellem. Nam Christus eiusdem potentiae, eiusdem quoque potestatis, naturae ac substantiae cum deo patre, ita eiusdem gloriae. Et iterum, cum exinanierit se propter nos, licet manserit

serit in eadē dignitate, tamen humanitas illam dignitatem nondum acceperat. Singularem dispensationem patiebatur humanitas Christi, alioquin impossibile pati diuinitatem: non quod conuertatur humana natura in diuinam, hoc esset Dioscoridis sequi hæresim. Vult dicere: Qui antea filius meus gloriosissimus es & dilectus, glorificabo te in hac carne. Hæc uerba audita sunt: quæ Christo testimonium perhibuere, cum uerum esse filium dei.

Dioscoridis error.

Turba ergo quæ stabat et audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij dicebant: Angelus ei locutus est. Respondit Iesus, & dixit: Non propter me hæc uox uenit, sed propter uos.

Plebs diuinarum rerum ignara est, et non sapit tanta mysteria, nisi ei reuelata fuerint per deum. Vnde cum claritatem uocis audiuiisset augustiorē, quàm humana uox audiri solet, admirabatur. Nō erat simplex quædam uox, sed tonitruo similis: nam hoc testimonium inclarere debebat omnibus. Non erat obscurū murmur ut quis possit coniectare uocem hominis cuiusdā fuisse, qui sic adulatus fuisset Christo. Vnde etiam quidam rem non expedientes secum dicebant,

Tonitru.) Non esse uocem inanimam, & nullius rei significatiuam: sed adhuc non capiebāt quid sibi illud

la uerba uolebant: tamen apostoli retinuerunt hanc uocem: & digna seruatione. Iudaei & pharisaei signum petierunt, sed nemo illud animaduertit. Christus igitur bene inculcat in cordibus eorum. Dicit huc spectare, quod propè sit tempus passionis suae.

Vox.) Oraui quidem, & pater exaudivit: dedit testimonium innocentiae meae & gloriae. Ego nõ propter meipsum petiui talem uocem, neq; propter me facta est: longe alia felicitate recreor: sed propter uos, nis mirum ut meis uerbis credatis. Ego certus sum de gloria patris mihi parata.

LECTIO LXVII.

AD preces Christi orantis, Pater salua me ex hora hac: & orationem suam interpretantis, Glorificat: audita uox, Illustrabo & c. Eam uocem alij aliter interpretati sunt. Quidam putauerunt esse factum tonitru: aliqui uocem illam articulata tribuere angelo quodam. Christus autem admonuit illos, ut huius uocis memores essent: nam propter ipsos factam illam uocem esse, ut sciant tempus suae passionis adesse & glorificationis.

Nunc iudiciũ est mundi huius. Nunc princeps mudi huius eijcietur foras. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnes traham ad meipsum.

Glorificatio

Glorificatio mea inde cognoscetur, quia principē huius mundi eijciam: iudicaturus sum hunc mundum. Ita videmus geminum esse iudicium: generale, de quo nunc non est sermo: & speciale, quando Christus iam exaltatus est per crucem, nam per crucem satisfactum est pro peccatis nostris, & ita devictus est etiam satan.

Nunc.) Id est, appropriante passione mea. Nam quisquis crediturus est toto pectore mortem illam Christi, is abominabitur hunc mundū. Ita mūdus cōdemnabitur per crucem, quæ sublimia in hoc mundo infatuat: & quibus crux adlubescit, his mūdus iulescit. Nō simpliciter de hominibus mundi loquimur, sed potius de fastu, & de illis qui vitia huius mundi amant &c.

Princeps.) Id est, non habebit amplius potestatem, ut prius. Dices, quomodo hoc possibile, cū minus fidei hodie sit, & plus nequitie? Nōne apparet vires satanæ non esse cōfractas, & principē adhuc regere æque potentem ut olim? Sed uideas quibus eiectus sit, fidelibus nempe, qui in Christum credunt, neq; aliquid præualebit aduersus illos: & quotquot in Christum crediderunt, hi satanam debellabunt facillime, quia portæ inferorum nihil aduersus ecclesiam præualebunt. Per uirtutem sanctæ crucis itaq; id est, per passionem Christi, patefient uariæ imposturæ demonum, quibus seductum est humanū genus. Quamprimū fallaciæ demonum fuerint reuelatæ, tunc omnis facultas diaboli des-

iecta est & perdita.

Foras.) Id est. Ex pectoribus fidelium. Clarius hoc indicat.

Et ego.) Mox indicat, quoniam retulerit hæc uerba, nempe quo genere mortis periturus esset. Id est, si crucifixus fuero, tunc traham omnes. Omnes, distributio pro generibus singulorum. quasi dicat: omnes, tam ex Iudeis, quam Ethnicis, quos præordinavi ad æternam uitam, illos ad me traham. Inde licebit uideri quibus uilescat mūdus. Vbi enim intellexerimus nos ita dilectos fuisse deo patri, ut filiū unigenitum pro nobis tradiderit, ea certe dilectione trahimur ad ipsum. Verba illa, personam Christi duarum esse naturarum pulchre indicant. Exaltari de terra, corporis est: sicut & crucifigi, mori, & humilia ista pro nobis ferre, humanitatis erat: tamen uni personæ attribuitur, contra Nestorianos. Id est, ego ipse qui crucifigor, omnes traham. Trahere autem ad Christum, ut is qui crucifixus est, adoretur tanquam æqualis deo patri, utiq; diuinæ uirtutis est. Prius, nisi pater traxerit. Hic, omnes traham: ideo diuina potentia indicatur. Hoc est illud mysterium à sanctis olim absconditum, quod in sanguine ipsius Christi, ad æternam uitam pij delecti sint. Inde Christus suo spiritu attrahit, quando illum infundit in corda nostra, ut efficiamur credentes: effecti credentes trahimur ad ipsum: tunc mundus nobis condemnatur, & prius

Et princeps eicitur, et glorificatur Christus per nos.

Hoc autem dicebat, significans quia morte esset moriturus.

Superuacuum est, ibi uarias allegorias quærere, ubi Euangelista tam manifeste mysterium rei indicat. Hoc supra cap. 3. habuistis, oportere filium hominis sicut serpentem in deserto exaltari &c.

Respondit ei turba: Nos audiuiimus ex lege, quod Christus manet in æternū: et quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Quis est iste filius hoīs?

Quamuis aliquanto tectius Christus locutus sit de morte sua, tamen exaltari de terra prouerbialiter dicebatur tunc, ut populus intelligeret. Populus obijcit ex lege, Christum regnaturum in perpetuum: et sic colligebant omnino fore immortalem: unde de Christo dubitant. Si enim de se loquitur, quod moriturus sit, colligunt quod non sit Christus. Contemptim hæc erant dicta, ut ferè omnia quasi dicāt: Ita edocti sumus in lege. Legem uocant non solum quinque libros Mosi, sed prophetas et psalmos, quibus solebant uti. In multis locis habebant Christum perpetuò regnaturum. Esa. Regni eius non erit finis. Daniel: Potestas æterna. quæ non solū de Christo, sed et de regno eius intelliguntur. Proinde uerbū crucis semp respuebant, unā partē scri-

ptur: et retinebant, & aliam non cogitabant. Sed unum hoc arripuerant, Christum mansurum in perpetuum. Ceterum quia Iudaei illi fatentur manifeste Christi esse manere in aeternum, ideoq; Christum esse filium dei: nam hominem regnare in aeternum, nequaquam fieri poterit communi lege, sed dei solius est. Paulus dicit, Christus heri & hodie, id est, perpetuus. Iudaei nō capiebant Christum oportere pati, & sic ingredi in gloriam suam.

Quomodo.) Non sunt illa diuersa inter se, quantum ad humanam naturam attinet. Moriebatur, sed sic ut tertia die resurrecturus esset. Manebat diuinitas illa lesa, propterea mortem non gustauit, quo ad diuinitatem. Hoc mysterium est fidei, in quo summa salus exiit: non mirum Iudaeos non intellexisse.

Dicit ergo illis Iesus: Adhuc ad breue tempus lumē uobiscum est. Ambulate donec lucē habetis, ne uos tenebrae occupēt. Et qui ambulat in tenebris, nescit quō uadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lucis sitis.

Christus indicat eis, quomodo moriturus sit. Sicut sol, quamuis nocte occidat, uel nubecula tegatur, tamen sol est: ita confertur mors Christi nubicondae, quae neq; solē poterit extinguere &c. quemadmodū Christus

stus

stus etiam non extinguitur per mortem. Et ne obtendant carnem solum, ut propterea non sit Christus uerus deus, quia humiliter incedit. Antea ostendit eis se breui tempore mansurum, & propediem passurum mortem. Id est, aduersus perascit, paruo tempore lux uobiscum erit, ego non diu ambulabo uobiscum. Possētis magnam uilitatem usu lucis istius accipere, sed si auerteritis uos à luce ista, & in tenebris malueritis ambulare, necesse multa incommoda accipiatis. Video uos incredulos esse adhuc, admonco ut ambuletis quanto tempore lucem habetis. Accipite nunc uerba sapientiæ & emendemini, ne grauisima incōmoda que sequuntur ex tenebris deprehendant uos, cum suis calamitatibus. Summum malum ignorantia. Etiam Platonici disputant, & sapientiæ omnem uirtutem tribuunt, nequomōq; bene agit, nisi sciuerit bonum.

Ambulans.) O quàm periculosum est priuari ista luce, & uersari in tenebris. Nescis præcipitium, nescis quanta pericula, insidiæ, incommoda etc. Si lucē acciperis, efficieris filius lucis, id est, illuminaberis à luce, & omnia bona à luce accipies. Ita ab incommodis ad commoda ibis. Repetit postea illa uerba sub finem huius capituli.

Hec locutus est Iesus, ac digressus abscondit se ab ipsis. Cum autem tam multa signa fecisset corā illis, non credebant

in illum, ut sermo Esaiæ prophete imple-
retur, quē dixit: Domine, quis credidit
auditui nostror? & brachium domini cui
reuelatum est?

Opportune Euangelista iam ad finē sermonū, quos
Christus cum Iudæis habuit, tanquam doctor, ostendit
cæcitatem ipsorum, maxime cum Christus se lucem di-
xit. quasi dicat, Ecce audiuisti miras doctrinas, uidisti
incredibilia miracula, omnia tamen hæc ante Iudæos
inuanum acta sunt, quiq; nihilo meliores euaserunt,
uere digni ut projicerentur in extremas tenebras &
perpetuas.

Abiens.) Quia manifeste dixerat illis, ideo no-
luit amplius loqui indignis & ingratis Iudæis.

Signa.) Tanta signa fecit, nihilominus illi persti-
terunt in sua impietate. Si Christus solum locutus fuisset,
& non miracula operatus esset, minus periculi im-
mineret illis: sed cum signa ad uerba addiderit Chris-
tus, nullus erat locus excusationi. Verum confirmat
nos inde: Ecce sic oportebat impleri sermonem Esaiæ,
qui multis seculis illud prædixit.

Domine.) Id est, quam paucissimi sunt, qui uerbū
hoc acceperunt.

Brachium.) Quis recepit Christum, qui est bra-
chium & uirtus dei? Hic non licet accusare diuinā be-
nignitatem, sed potius uideamus ignauiam Iudæorum.

Quamuis

Quamuis tanta apud illos facta fuerint, nihilominus tanta ignavia secuta est, ut omnis culpa in eos rejciatur. Id est, quotusquisque credidit? pauci sunt: neque omnes arguit, sed infideles. Aliud testimonium adducit dominus contra Iudæos, ex 6. capite Esaiæ.

Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Esaias: Excæcavit oculos illorum, & induravit cor illorum, ne uideant oculis, & ne intelligant corde, & conuertantur, & sanem illos. Hec dixit Esaias, quando uidit gloriam illius, & locutus est de illo.

Noluerunt, propterea non potuerunt (solet enim deus etiã peccata peccatis punire) quia auerterunt se ab auditu ueritatis, & noluerunt accipere sermones illos, quamuis datum audire: negligentes fuere, inuidi, maligni, grauissima ignorantie plaga percissi. Nescio maligniore. Traditi sunt in sensum reprobum, dum audire nolebant Christum: & cum manebant in sua impoenitentia, non potuerunt credere: Non ut culpam ascribamus deo. Deo laudi erit, si permittat illum qui in sordibus iacet, amplius sordescere. Imperatiue uerba illa exponantur, Ne uideant. Cras illa clarius audietis.

LECTIO LXVIII.

Postquam Christus neque dictis neque miraculis apud Iudæos profecit quicquam, cõcludit Euan

gelista dignos illos fuisse, qui excacarentur, & quibus grauiora euenirent.

Non potue.) Non sunt hæc dicta ad excusandos Iudæos, sed potius ad condemnandum illos. Præmiserat enim, cum fecisset tanta signa, & cum hæc locutus esset, quæ erant tam euidentia, & tam manifesta: digni erant qui grauiori poena plecterentur. ac si diceres: Ecce uides illummersum in luto: & quamuis multi illum adhortentur, & multa adminicula ei mitterentur, ille prorsus contranimitur, & in profundiora ingreditur, respuens omnes adhortationes. Nonne diceres, quàm perditus ille homo? &c. Ita de Iudæis. Nam si diceres impossibile fuisse ut saluarentur, dona dei inefficacia faceres. Verum sua malitia perierunt, & sui interitus autores fuere. Respicit præterea ad ea Euangelista, quæ per prophetas prædicta sunt: quia prophete omnia præuident, ut geruntur: non in finem tantum rei, sed etiam quæ finem antecedunt. Ne ponamus deo necessitatem, ut minus possit agere in conuertendis Iudæis: sed is euentus iam antea præuisus & prædictus, quem oportebat omnibus modis adimpleri. Qui sic ad prædestinationem respiciunt, ut deum mali faciant autorem, nescio an rationem dei bene intelligant. Nostrum est, ut de deo quâsanctissime loquamur: licet malum quoddammodo, non dico simpliciter, possit proficisci à deo, ut tenebræ. Subtracta enim luce adsunt tenebræ: ita
 subtrah

subtrahit bonitatem dei, adest malitia. Malitia non operationem habet, sed potius priuationem. Alioquin impotentia solet excusari. Si quis pro infirmitate non est capax uerbi diuini, ille aliqua parte excusatus est: sed non item Iudaei.

Esaias.) Ait Propheta: In crassa cor populi huius &c. Viderant oculis suis Iudaei multa signa, quae fecerat Christus: audierant etiam, & aliquo modo coniectare poterant diuinitatem: erat tamen tanta obstinatio, ut hoc quod auribus offerebatur & non possent contradicere, deriderent. quasi diceret: Hoc fiet eis propter malitiam, ne conuertantur. Esaiæ principio hoc accidit in figura: nam ille expertus est tunc perfidum hominum genus, & resistens diuinæ uoluntati, cum prædicaret: etiam ea ætas ceruices ferreas protulit: unde in sequenti capite arguit illos, quod non satis sit illos molestos esse hominibus, sed & deo. Cum audiunt certissima oracula, tamen adeo obstinati sunt, ut deum audire nolint. Qui igitur sic in spiritum sanctum peccant, plane indigni curatione. Quod agebatur tempore prophetæ, hoc uerius impletum est tempore Christi: unde Euangelista exponit de Christo: etiam Esaiam uolunt de Christo intellexisse plerique.

Quando uidit.) Sciamus igitur prophetas & Moysen præter sensum, quem historia offert, continere in se abstrusiora quedam, quae nobis postea per apostolos

los detecta sunt, in Christo implenda. Nam si Iudæum interrogas, ut exponat tibi caput hoc Esaiæ, qui humili repit, is nihil planè de Christo inde accipiet: sed quia ab Euangelista manu ducimur, discimus etiã quæ in Christo impleta sunt, quod Iudæi opposcentes se Christo, execrationem potissimum & longe aliam meruerint quàm sub Esaiâ.

Gloriam.) Vidit enim dominum exercituum, & idem est Christus. Vel hinc etiam habes argumentum, eundem esse Christum in noua lege, & dominum exercituum in ueteri. Eo loco licet uidere, quomodo sedentem uiderit super solium excelsum, seraphim, senis alis, fimbrias etiam uestimenti implere, fumum exire è templo &c. qui apparatus gloria Christi dicitur, aliàs dei gloria. Dicimus diuinitatem dei, potissimum illam claritatem, in qua deus nonnunquã se manifestauit. Cum dedicaretur templum à Solomone, et cum daretur lex, hæc etiã aderat gloria, sicq; uisus est Christus. Ibi manifeste, Christum esse iudicem, atq; dominum angelorum, & quæcunq; ibi deo tribuuntur simpliciter, hæc Christo tribuenda esse. Hinc manifeste colligimus argumentum satis euidens contra Arianos.

Veruntamē etiã ex principibus multo crediderunt in illum, sed propter pharisæos non confitebant, ut ne fierent excommunicati. Dilexerūt enim gloriam
hominum

hominum magis, quam gloriam dei.

Quamuis Iudæos excæcationē meruisse dixerat, tamen sicut Paulus in epistola ad Rom. iuxta prophetas dicit, reliquias esse seruatas: ita hic habes. Nam etiā multi ex præcipuis Iudæis credebant, ut Gamaliel, Nicodemus, Ioseph de Arimathia, et si qui alij. Antea audiuius, hoc principes sacerdotum negasse: Nunquid Suprà
 ex principibus &c. Atqui non erat hæc uera fides & cap. 7
 perfecta, tamē non cōdemnatur omnino à Christo: Nā infirmi illi aliquo modo fouendi sunt. Non obstabat magistratus, uel etiam dignitatis amplitudo ne crederent, sed tamen nondum dignabantur hoc honore Christum ut palàm profiterentur illum. Vbi uera fides, ibi necesse est adsit confessio. Spiritus sanctus dat fidem, & is corroborat: plus uerebantur homines quam deum. Hic licet uidere, quantum malum sit ambitio: nam illud summum bonum amiserūt, ut possent uana gloria gloriari: illiq; mercedē suam acceperunt in hoc mundo. Vana est fides, nisi sua incrementa acceperit: confessio illa abiicienda est. Vera enim fides per quam homo innouatur, non erubescit confiteri Christū. Quare non confitebantur? propter phariseos. Nunquid in die iudicij remunerabunt eos? Sunt quidam adeò teneri, qui neq; pecunia neq; uoluptatibus abarcentur à uero cultu dei, sed unico uerbulo possunt abduci, ne male audiāt ab hominib. Verū illi non dū cōfirmati bene.

Hominum.) Suprà in 5. capite, Quomodo uos potestis &c. Hic dicit, quod crediderunt. Vt quis non particeps damnationis sit, necessum ut uere credat. Illi indigni cæteris bonis fuere, quandoquidē non toto corde addebant se Christo. Bonū est tamen aliquando habere initia cognitionis, quia tales aliquando poterunt conuerti.

Iesus autem clamauit, & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in illū qui me misit. Et qui uidet me, uidet eum qui me misit. Ego lux in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.

Nimirum hunc sermonem Christus antea locutus est: non enim describitur nunc rediisse, postquam se occultauit à Iudæis. quasi dicat Euangelista, Ecce nullam excusationem habent Iudæi, adeo manifeste se Christus manifestauit, ut uideas in illis uere dictum propheticum impleri. Erat ipse lux, & quantum ad Christum attinebat, nihil ommissum est. Lux luxit, sed miseri isti dilexerunt tenebras magis quàm lucem.

Qui credit.) Quasi dicat illis, Nolite respicere eternam personam meam, sed uidete potius & attendite illum, qui misit me. Non erit honor humane personæ, sed dei, ut suprà exposui. Id est, non in me (qualem uos

wos putatis uulgarem hominem) honor ille cadit, sed in gloriam dei, quia deus ipse misit me, uerbum suum: iam uidebitis cuius sit honor. Ne putetis ita me missum à patre, quasi pater à me seiunctus sit, uel paterna substantia.

Videt.) Hæc infrà Philippus dicit. Nam illa amplitudo miraculorum, ostendebat hunc hominem esse uerum deum, eiusdemq; substantiæ cū deo patre, alioqui certum est etiam, qui uident Christum, uident benignitatem patris in Christo.

Ego lux.) Sæpius indicaui, quatenus nos participes huius lucis simus. Vult dicere: Qui patrem hæc lenus non agnouere idolis addicti, illis ueni lux, & in bonum ueni, ut liberem à tenebris: nam periculosum uersari in tenebris: sunt præcipitia, sunt insidiæ, uariæ tenebræ &c. Si quis Christum uerum dei filium cognouerit, non in tenebris ambulabit. Iam clarius hoc dicit.

Et si quis audierit uerba mea, & non crediderit, ego nō iudico illum. Non enim ueni, ut iudicem mundū, sed ut seruem mundum.

Veni enim non ut aliquem condemnem. Si quis audierit, & audiendo mihi crediderit, saluabitur. Veni propter salutem mortalium, aduentus meus salutaris, & utilis humano generi.

Qui me respuit, nec accipit uerba mea, habet qui iudicet ipsum. Sermo quem locutus sum, ille iudicabit illum in extremo die.

Hoc uult dicere: Ego planè non ueni in hunc mundum, ut sim cuiquam damnosus. Porro si quis non acquieuerit consilijs meis, perdetur: nimirum conscientia unumqueng; redarguente. Nam in iudicio memores diuini præcepti & beneficij, quæ Christus suo aduentu præstitit, tunc uellicabimus nosipsos, tuncq; sermo iste iudex in nobis erit: propterea tamen non dicimus Christum non esse iudicem, absit. Dicit, Veni tanquã optimus amicus, & cum quis cœperit periclitari, tunc apparebit sermo meus esse uerus, tuncq; agnoscar ab illis ut uerus amicus.

Die.) Tandẽ discent me uera dixisse. Iam quantum tacung; facio huic populo, semper resistit mihi.

Quia ego ex meipso nõ sum locutus, sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Et scio, quod mandatum eius uita æterna est. Quæ ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor.

In summa, discite me obtemperatissimum fuisse patri, huius ego mandatum perfecit, neq; ad ostentationẽ quicquã

quicquam locutus sum: uerum summe obsecutus sum patri. Non solum maxima, uerum neque minima locutus sum, quæ non pertineant ad gloriam patris, quin potius ego per omnia obediens fui patri.

LECTIO LXIX.

A V diuimus hætenus, quæ Christus locutus est cum Iudæis, et turbis Iudæorū, tam bonorum quàm malorum: nunc cum proximū esset tempus passionis suæ, cum discipulis ea potissimū agit, quæ illis maxime cōmendata esse cupit. Scimus autē pleraq; hunc Euangelistā intermisisse, quæ ab alijs ponuntur: unde etiam ipsam institutionem mysteriorum, quam cæteri Euangelistæ admodum diligenter scribunt, non cōmemorat, partim quod uidebat iam solennem esse cœnam dominicam apud omnes fideles, partim quod de illius mysterijs supra cap. 6. abunde satis tractasset. Vnde et quæ ab alijs omissa erant, uberiùs ostendit. Nunc autem in hoc capite describit lotionem pedum discipulorum, et quid sibi id mysterij uoluerit: deinde Iudæ reuelationem: quæ omnia ad discipulos pertinebant.

CAPVT XIII.



Nte festiuitatem autem paschæ, sciens Iesus quod uenisset hora ipsius, ut transiret ex hoc mundo ad patrem,

cum dilexisset suos qui erant in mundo, usque in finem dilexit illos.

Quanto magis appropriabat Christus passioni suae, tanto diligentius illam inculcat discipulis: ostendebat enim se sponte passionem suam accedere, unde ita signanter hoc praemittit.

Sciens.) Cum ante pascha, id est, in profesto. Paschae dies in sabbato apud Iudaeos, & parasceue praecedebat. Sciebat igitur Iesus affore horam suam, tempus olim praedictum per prophetas, & olim constitutum à Deo, quo debebat pati. Aderat igitur istud tempus Deo beneplacitum. Non quemadmodum decreuerant Iudaei, uolebat pati, sed ut decretum à patre erat. Sunt qui uolunt hic exponi nomen paschae, quasi alludat ad hoc quod transeat, quia pascha, transitus dicitur. Atqui non simpliciter pascha erat transitus, sed angeli transilitio, quando transibat domus Iudaeorum, parcebat primogenitis illorum: inde pascha accepit nomen ab illa transilitioe potius quàm à transitu. Christum oportebat transire, id est, occidi: & in sanguine istius agni liberandi erant primogeniti &c. Sciebat igitur tempus transeundi ad patrem Christus: & quatenus erat filius Dei, semper est in sinu patris: sed humana natura unita uerbo, quanto tempore in humilitate nondum gloriosa & immortalis, tandiu non accepit aequalitatem potestatis cum patre: & tanto tempore dicitur

non transisse ad patrem. Erat igitur propè hora ista, id est, non longe aberat tempus passionis. Semper habuit summam charitatem erga discipulos, imò erga omnes. Iam sub finem vitæ suæ maiorem charitatem declarabat, & appropiante morte familiariter indicavit, quantum illos amaret: amicè cœnat cum illis, & omnia communicat.

Suos.) Omnes quidem diligit, omnes sui etiam sunt, tamen quidam familiariter sui, nempe discipuli.

Mundo.) Habet igitur etiam suos qui non sunt in hoc mundo, quales sunt patriarchæ & prophetæ, qui etiam uiuunt, nec habèdi sunt inter mortuos. Alij euangelistæ interserunt institutionem cœnæ dominicæ, in qua clare beneficia Dei nobis commendantur, quando se ipsum nobis tradit, facitq; sese esse nostrum, ut per ipsum uiuamus, factus frater noster, communicans nobis de spiritu suo, etiamq; tradens carnem suam in mortem pro nobis: sic inquam in finem dilexit suos, in quibus omnibus summa beneficia declarauit. Quod maius beneficium potest dari, quàm quod animam suam posuit pro ouibus suis? tamen in cœna etiam quædam iudicia suæ amicitie ostendit, edendo cum discipulis, laudando pedes eorum &c.

Et cœna facta, cū diabolus iam immisisset in cor Iudæ Simonis Iscariothæ, ut proderet ipsum, sciens Iesus quod

omnia dedisset sibi pater in manus, & quod à deo exisset, & ad deum iret, surgit à cœna, & ponit uestimenta, & cum accepisset linteum, præcinxit sese. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & detergere linteo, quo erat præcinctus.

Sciens iterum dicit quod omnia illa instarent, quodque esset moriendum sibi, ut sciamus eum uoluntariam mortem aggredi. Sunt quidam qui Iudam non putant fuisse participem cœnæ, sed satis ex hoc textu cognoscimus eum affuisse cœnæ, lotio enim illa facta est perfecta cœna. Dicit, facta cœna &c. Comederant agnum paschalem more Iudaico, & ita Christus imposuit finem ueteri legi, incipiens ritum nouæ legis, quem postea in ecclesia sua uoluit frequentari. Videmus interim quandiu Iudas occultus fuit, tandiu toleratus à Christo, & etiam tunc non reiectus, quando Christus dederat symbolum corporis sui. Voluit Christus illum multis modis à sua impietate abducere, & nullam ei relinquere excusationem, quamuis nihil apud illum proficeret.

Diabolus.) Ne ita putemus diabolum malas cogitationes immittere, quasi non etiam à nobis suam trahant originem. Est in nobis uetus Adam, & caro nostra, quæ procliuis est ad peccandum: de suo thesauro, & de

& de sua terra profert tribulos & spinas. Natura inclinati ad malum: deinde diabolus incensor est, ubi uidet ignauiam nostram, negligentiamq; cum tam facile diuina precepta prauaricamus, & non innitimur ut innouemus uitam nostram. Ut primū occasio mali inciderit, satan tunc omnibus modis intendit quo nos perdat: stipula parata incendio in nobis est, & innatae affectiones male. Magnitudo autem peccati hic declaratur. Quod iste preceptorem suum, filium Dei tradit, excellit humanā malitiam: id est, omnino Iudas iam secum decreuerat tradere illum, quia semen illud malum profunde insitū in corde Iudæ erat. Interim in numero discipulorum incedebat. Hoc permisit Christus, ut cognosceremus quantum periculum inter falsos fratres, & quā multi huius farinæ futuri sint inter nos.

Manus.) Id est, quanta gloria esset consecutura mortem suam. Sciebat enim quare missus in hunc mundum esset.

Ad Deum.) Exijt à Deo, quia non arbitratus est rapinam se esse &c. ut ad Philipp. Certum est quod nunquam à deo exierit, quo minus fuerit filius dei, nam ipsa diuinitas non mutabilis est: sed ita exijt, ut manserit filius Dei. Verum ut uilissimus uoluit nobis ministrare, utiq; non iuxta diuinam naturam, quasi illa mutationem quandam suscipiat, neq; ut quidam somniant, quasi humane nature omnia facta sint quæ diuinæ.

Ca. XIII. ANNOT. IOAN. OE COL.

hoc est abolere humanam naturam, sed humana natura est una persona cum deitate, & sic adoratur unus: non sunt duo. Et ita est particeps diuinæ gloriæ: non ut natura humana suas proprietates amittat, quamuis in summam gloriam euecta sit. Hæc præmittit, quasi dicat, Christus uoluit singulare quoddam opus facere. Scitis adesse tempus: sicut amicus abiturus nonnulla agit, ut cæteri magis memores sint sui &c.

Surgit.) Quod tanta diligentia Euangelista exponit, mysterio non caret. Suam uestem exiit, præcingitur linteo, quo præcingebantur ministri: manu sua mittit aquam, flectit se ante genua discipulorum, ipseque extergit. Hæc omnia signa maxime humilitatis sunt & dilectionis. Mos apud Hebræos, ut hospitem & amicorum pedes lauarent. Verum in ista historia licet aliud quid obseruare, nempe summam nostræ salutis. Antea dixit, A Deo exiuit &c. hoc etiam in hisce uerbis alio quo modo insinuatur. Surgit de cœna: hocque iterum sic expono. Habemus quomodo pastor relinquit nonaginta oves in deserto, & centesimam quærit: quam parabolum exponentes, dicimus Christum reliquisse cœlestia gaudia: ita hic eruimus mysterium. Surgit, non est arbitratus rapinam relinquens cœleste illud cœuiuium, & suas gloriosas uestes: & accipit linteam, seruilium habitum, & ita se præcinxit, & declarauit se esse ministrum nostrum. Quanto maius humilitatis opus, quod

quod filius Dei factus homo, quàm quod se inclinavit: imò in hoc opere lotionis possumus maiorem Christi humilitatem cognoscere: hoc est quod surgit de coena. Ipse est qui suos abluit. Quia aqua: sua humilitate. Sed quæ illa significant non oportet contemnere. Spiritum sanctum postea dedit discipulis, docuit illos uerbū suæ sapientiæ, quod licet appellare aquam uiuam: eam misit in uasa testacea, cepit lauare minores etiam, nam nostra salus non aliunde quàm à Christo. Passus est, ita induit linteum, effudit suum sanguinem. Etiam hodie lauit suos & lauat, quando communicat ipsis de suo spiritu. Sic purificamur, quando participes efficimur spiritus sui: tunc etiam tergemur: id est, tunc prodest nobis humilitas & meritū passionis eius, si uerbum eius quod potest purificare pectora nostra, per fidem mundauerit: nihil impuritatis ultra adhaerebit nobis. Illa pulchre insinuauit hoc factō suo Christus: quamuis omnibus modis possumus seruare quid sibi uoluerit, nempe ut mutuò seruirent sibiipsis, ut humiles sint, ne quis arbitretur se esse superiorem, quàm ut proximo ministret. Nemo Christo superior. Quare nos non ministramus? Videmus semper maiorem seruitutem Christi esse, quod corpus suum tradit crucifigendum.

Venit ergo ad Simonem Petrum, & dicit illi Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit Iesus & dixit illi:

Quod ego facio, tu nescis nunc, scies autem postea.

Quantum sit opus Christi, & quanto mysterio plenum, ignorat planè carnalis homo, sed spiritalis perfecte cognoscat. Igitur Petrus iterum carnalem quendam præ se fert hominem, qui nondum capit diuina mysteria. Si enim dixeris homini nondum regenerato, quod filius Dei factus sit pro nobis caro, Iudeus ualde scandalizabitur, Græcus omnino iridebit. Animalis enim homo non percipit &c. Id est, res hæc est indigna, ut ipse lauet pedes. Sed nemo diuinum consilium reprehendat. Videmus in hoc opere quanta nos miseros misericordia prosequatur. Ioannis tertio: Sic Deus dilexit &c. Qui nondum imbuti sunt hoc mysterio, cum Petro dicunt: Indignum est: operibus nostris satisfacemus, purificabimus nos ipsos &c.

Quod ego.) Quid sibi uoluerit lotio pedum, Petrus tunc non capiebat, utpote carnalis, cum Christus postea doceat humilitatem & charitatis opus: tamen quanta sit ista seruitus, non satis cognouit, donec spiritum sanctum accepisset.

Postea.) Pleraq; non potuerant portare, ut postea audietis.

Dicit illi Petrus: Non lauabis meos pedes in æternum.

Adhuc Petrus carnalis, quamuis audiret subesse ali
quid

quid mysterij, perstat tamen in sua pertinacia, à qua auellit eum Christus, ostendens quàm necessaria sit purificatio, quæ fit per spiritum illius.

LECTIO LXX.

Osten sum est nuper, quod Christus lauans pedes discipulorum suorum, non solum exhibuit illis humilitatis & obsequij mutui exemplum, sed hoc facto, sicut in plerisque alijs locis, maximum mysterium adumbravit: nempe omnes quotquot saluandi sunt, per ipsum esse abluendos, id est, aqua spiritus sui. Nam nisi animæ nostræ sic purificatæ fuerint, nequaquam beatitudinis participes esse poterint. Eam doctrinam uti arcana carnales nequaquam accipiunt, eapropter Petrus qui nondum plenus erat spiritu sancto, & adhuc typum gerebat carnalis hominis obsistentis doctrinæ Christi, & illam nondum suscipientis, nesciebat quid diceret: unde Christus indicare uolens quiddam sublimius hoc facto contineri & præsignari, dicit:

Respondit illi Iesus: Nisi lauero te, non habes partem mecum.

Nequaquam Christus salutem nostram constituit in illa lotionem pedum. Nam eadem ratione Petrus saluandus erat, quæ & nos, nimirum per misericordiam Dei, per receptionem spiritus, per fidem. Lotus est Petrus, loti & alij discipuli. Quamuis nobis sit baptismus ille exterior, tamen in exteriori baptismo, si de elemen-

to loquimur, ut Petrus ipse testatur, ablutio sordium nō sanctificat &c. sed quando anima abluitur, ipsa salus oritur. Significat hic affectuum abluitionem. Neque opus ut puer totus immergatur, neq; à ueteribus obseruatum est adeò anxie, sed magis sacramentum spectarunt. Confessio queritur, non aquæ multitudo.

Lauero.) Interminatur hic Petro, ne obstitat. Omnis inobedientia Deo aduersa est, etiam in rebus minimis. Nam licet non tanta mysteria prefigurata essent in ista lotionem, & nulla alia causa Christus lauisset, quàm ad probandam obedientiam discipulorum, adhuc tamen non debebant obstrepere præceptori suo. Decet enim ut in omnibus exhibeamus nos obedientes Christo, quatenus scilicet ipse aliquid à nobis requirit. Non oportet alienum sensum ex uerbis Christi elicere, & sic superstitiosum fieri. Si habueris genuinum sensum Christi, uide ut obediens sis. Cum dixit: Ne salutaueritis aliquem in itinere: non mens Christi fuit, ut omnino abstineas à saluatione in uia &c. Tunc obsequimur uerbis Christi, quando mentem uerborum amplectimur, sicq; non abutimur: etiam si literam secteris, & mentem literæ contempnas, nequaquam habebis pro obediens. Dico igitur, si Christus nihil latentius indicasset hoc factum, nihilominus discipulorum erat non refragari præceptori suo: adeò perniciosum est crimen inobedientia, præceptori reluctari.

Dicit

Dicit illi Simon Petrus: Domine non tantū pedes meos, sed et manus et caput

Petrus adhuc crassius loquitur, ignarus mysteriorum. quasi dicat: Si ex lotionē externa assequar salutē, non solum paratus ut pedes, sed et caput laues. Ita mutat sententiam. Videmus non omnem constantiam probari: neq; est proprie constantia, sed potius pertinacia, si decreueris quid tecum, quod non pertinet ad gloriam Dei. Necessē est ut rescindas uotum istud, nisi impius esse uelis: nam speciem honestatis in se habebat hunc honorem exhibere Christo, ne ante pedes præceptor procumberet discipuli: et Petrus omnino secum decreuerat, nequaquam se illud admissurum. Vbi autem intellexit decretum suum à Christo improbari, sepeq; admonitus de sua imprudentia, irritauit uotum suum. Non est frustra dictū, Melius esse rescindere male promissa, quàm seruare. Itaq; Casianus, quamuis monastica illa uota approbet, tamen hoc exemplo inductus, iudicat uota illa non esse seruanda. Ante 700. annos scripsit, et in capitulo De definitionibus illa habentur.

Dicit illi Iesus: Qui lotus est, non habet opus, nisi ut pedes lauet, sed est mundus totus.

Primum uidetur Christus loqui iuxta communem consuetudinem. Hi qui exeunt à lauacris uel balneis,

plantis pedum facile contrahunt puluerem, sordidant pedes, si uel solum incedunt in cubiculum: ita iuxta uulgarem morem abluī solent pedes, cum corpus alioqui non est impiorum neque inquinatum. Ita dicit: Pulueres qui adhæserunt temere, deponantur. Sed hic sermo etiam suum habet mysterium. Prima nostra lotio est, si deus per suam misericordiam alicui non imputat peccatum: & qui sic per misericordiam Dei ascribitur in album filiorum, quiq; annumeratur electis, talis est filius Dei & datus Christo, & pro illo quidem Christus passus est, & abluit illum sanguine suo: attamen nihilominus opus habet ut pedes illius abluantur: pedes animæ inquam, id est, affectus ipsi: illis enim pedibus graditur, illiq; quotidie sunt purificandi. Nam quandiu super hanc terram uiuimus, quotidianis prauis cogitationibus coinquinari possunt affectus nostri: & dum sic coinquantur, pedes dicuntur animæ coinquinari. Opus igitur spiritu sancto qui est uiua aqua, & uerbo Dei, ut purificentur quotidie nostri affectus: hoc contingit omnibus electis & filiis Dei. Quamuis enim abluti simus & sanctificati in sanguine Christi, decet tamen ut consideremus quo in loco uersemur, & quam periculosum sit uiuere super terram, & q̄ facile macule adhæreāt. Gaudemus ineptijs, irascimur facile & c. quæ perturbationes coram Deo possunt condemnabiles facere, nisi poenitudine ducamur. Purgemur sic in

nouam uitam, quia huc tendit tota purificationis ratio. Est tibi animus prolabendi in peccatum, in quo olim fuisti inquinatus, ne putes tibi sufficere hoc, nisi quotidiano purifices te facto, id est, iugiter purifices te, ne maculae istae te sordident.

Totus.) Iam si es lotus, electus ex filiis dei, etiam nunc quotidiana exercitatione, uel ablutione spiritus opus habes. Spiritus est qui hunc affectum in nobis excitat, ut doleamus de peccatis, per quod affectus nostri purgantur. Certum est in filiis Dei mentem ipsam esse puram, id est, superiorem animae portionem, quae dono fidei illustratur, & semper renisus quidam in filiis Dei, ut etiam dum peccant, non tanta impugnatione peccant, quanta impij alij. Est in eis semen spiritus sancti, quod deinde iterum resuscitat illos, unde fit ut illi non perpetuo maneant in peccatis.

Et uos mundi estis sed non omnes.

Ista uerba satis confirmant, expositionem quam nunc posui non esse meam, neque temere excogitatam uel somniatam. Non ita de puris loquitur, quasi alieni ab omni peccato sint: nam illi aliquanto crassiores, & nondum effusus sanguis Christi erat. Mundi nimirum propter electionem.

Omnes.) Non loquitur de externa illa purificatione, quod omnes mundi, quia iudaeus non erat ex electis, sed potius ex praesciis: is non erat mundus, sed im-

mundus, propter suam malitiam.

Sciebat enim quisnam esset qui proderet ipsum. Propterea dixit, non estis mundi omnes.

Nam ille nõ erat ex filijs Dei, propterea a nihil proderat illi purificatio pedum, quia non lauabat suos affectus. Quamuis Christus multis modis conabatur ad poenitentiam eum adducere, tamen semper renitebatur. Ferebatur impetu suo Iudas, ut perficeret hoc quod decreuerat. Si satan incitat te ad malum opus, uide ut non consentias illius consilijs malis: abluere turpem cogitationem, ne fias Iudæ similis.

Postquam ergo lauisset pedes illorũ, receptisq; uestibus suis accubisset, iterum dixit illis: Scitis quid fecerim uobis? Vos uocatis me magistrum ac dominum, & bene dicitis: sum etenim. Si ergo ego laui pedes uestros dominus et magister, uos quoque debetis inuicem alij aliorum lauare pedes. Exemplum enim præbui uobis, ut quemadmodum ego feci, ita & uos faciatis.

Impleto ministerio, Christus iterum discubuit cum discipulis suis, & explanare incipit eis factum. Si ad mysteriũ respicitis, quod supra detexi uobis, uidebitis

etiam hoc congruere. Quando discipulis reuelata sunt mysteria, & quando facti sunt capaces doctrine dominicæ? nōne quando Christus ascendit in cœlum &c.

Acceptit.) Lotio pedum, significat totum opus redemptionis nostræ.

Scitis.) Discipulis nunc dicit: Scitis &c. Laui pedes: quid putatis me uoluisse per hoc? Si uolueritis amplius extollere oculos uestros, scitis quid fecit Christus, quia passus pro uobis &c. Tanta beneficia sunt perpetuò seruanda in animo.

Dominus.) Hæc uerba pulchre cōgruunt Christo sedenti. Iam fatetur se esse dominum. Ipse unicus magister, uere & proprie dominus. Alij non ueri domini, sed serui. Quid habes quod non accepisti? Domini est terra. Vere est magister qui etiam mentes illustrat. Externi doctores nihil possunt, nisi ille doceat intus.

Bene.) Recte dicitis in hac re. Dominus sabaoth sum, angelorum & omnium creaturarum: ex me igitur discite. Reliquum est, cum ego sim dominus, potentia est mihi imperandi, constituendiq; legem, quam nemo prætergredi debet, neq; mutiendum contra illam.

Vos.) Præbui uobis exemplum charitatis. Non adhortatus est Christus, ut abluamus sordes ex pedibus aliorum, cum alia officia sint: sed illo officio uoluit omnia nobis esse commendata, ne fratri negemus auxilium. Si admonendus, docendus, opusq; consolatio-

ne, uide ne neglexeris illum: corrige, emenda quantum potes. Id est, ne despiciatis fratres uestros. Et cum uos apostoli, constituti in loco sublimi, ne efframini de dignitate uestra, quasi nemini debeatis seruire, sed ob id constituti estis, ut omnibus seruiatis: omnium estis serui: sicut ego non detrectaui seruire alijs, siue docendo, siue alijs operibus.

Exemplum.) In hoc agnoscimus dominũ, in hisce licet Christum imitari. Sunt quaedam in quibus nequaquam imitari possumus, ut sunt mirifica opera, cum sicis pedibus transit flumen: & hæc non iussit ut imitaremur: sed patientiam, mansuetudinẽ &c. Etsi non possumus uirtutes tam absolutas præstare, tamen conuenit ut in obedientia, quod in nobis est, præstemus. Ne dicamus, Christus passus est, non opus ut patiamur & bonum agamus. Christus passus ut sequaris, ut adspires ad bona cœlestia. Christus imitandus in hoc. Unde subdit:

Vere dico uobis, non est seruus maior domino suo, neque legatus maior est eo qui illum misit.

Dicitis me dominum, igitur uidetis uos esse seruos. Ego seruiui, uestrum etiam est seruire: ego multa passus sum, scitote uobis similia contingere. Non satis ut multa loquaris: operibus adimple: si opere adimpleueritis, quod iam intelligis faciendum, uere beatus eris.

LECTIO LXXI.

Christus exposuit discipulis suis, quidnam sibi uoluerit lotio pedum, nempe ut hoc exemplo commendaret eis humilitatem, ne ob dignitatis amplitudinem alter se super alterum extolleret, & ita humilitatem & charitatem amitterent. Vnde dixit: Quem admodum ego feci. Id est, uidistis me omnibus modis humilem & ministrum, eandem uoluntatē & uobis commendatam uolo.

(Neque legatus.) Si uos uestram conditionem spectaueritis, quia serui estis, apostoli & legati, intelligetis profecto uobis multo magis conuenire quā mihi, ut multa obsequia praebeatis. Vos serui: habete igitur uos pro seruis. In hoc Christus se aequalem ostendit patri. Deus est dominus, & illius est mittere, omnisq; creatura seruire Deo debet: unde filius non est proprie seruis, quatenus est filius Dei: sed quatenus participat in humana natura, dignatus est seruire &c.

Si haec nouistis, beati estis, si feceritis illa.

Nolo ut solis uerbis exhibeatis uos discipulos meos, sed implete modis omnibus, quod didicistis faciendum, tunc beati eritis. Non propterea inde quis colligat, quod ex operibus magis quā ex fide saluemur. Posses etiam diuitem nominare beatum qui erogat: & nemo erogat multas opes, nisi diues sit. Ita ille qui iam

beatus est propter fidem quam habet per inhabitantem spiritum, qui ad opera bona impellit. Opera declarant esse beatum, non faciunt. Ne usurpemus huiusmodi testimonia contra gloriam Dei, ut nos magni habeamur. Quæ dona Dei sunt, ne tribuamus nobis. Dicit: Si fides uestra, quam habueritis erga me, impulerit ad tanta opera, beati eritis &c. Sic esus uel ambulatio non facit hominem uiuentem, tamen solemus dicere, Si comederis uel ambulaueris, uiues: tamen cibus non dicitur quod præstiterit uitam, quæ alioqui est in homine. Ita hic loquitur de beatitudine.

Non de omnibus uobis loquor, ego scio quos elegerim. Sed ut impleatur scriptura: Qui edit mecum panem, suffulit aduersum me calcaneum suum.

Suprà audiistis: Qui lotus est, non opus habet, quod ut pedes lauet: sed non omnes mundi: ibiq; perstrinxerat Iudam. Sic nunc repetit, ut Iudam moneat & perterreat, quò desistat à scelere destinato: & prædicit, ut cognoscatur omnia prænouisse. quasi dicat: Non dico uos omnes esse beatos, neque mundos: ut iungantur hæc superioribus. Scio quos elegerim: solum isti quos elegerunt mundi, quia non omnibus inest hæc uoluntas. Est unus inter uos, cui nequaquã est animus seruicendi proximo, imò perdere magistrũ suum meditatur.

Scio.)

Scio.) Videtis quomodo omnia tribuat electioni sue: alioqui si uelis intelligere de electione apostolorum, electus etiam Iudas, & in eandem dignitatem constitutus. Sed quos pater elegit & prædestinavit, eosdem filius cum patre elegit, ut uideas eiusdem esse potestatis cum patre.

Scriptura.) Suprà tractauimus, quia deus ita futurum præuidit, non solum finem, sed ea quæ ad finem respiciunt: & necesse est ut talia impleantur: nõ quod scriptura per se cogat, sed omnino hoc quod deus præuidit, id necessarium est contingat. Culpa hominum erit peccantiũ, non Dei. Psal. 41. Propheta de falsis fratribus sui seculi primũ conqueritur. Nulli unquam prophetae qui non etiam experti sint suos inimicos. Item: Omnes qui pie uiuere uolunt &c. Si non ab exteris, certe à domesticis. Attamen multo grauius certamen est quod patimur ab amicis, qui se simulant, quàm ab inimicis. Vnde Christus subinde conqueritur, ostendens nobis dolorem quẽ ex falsis fratribus expertus est. Propheta figura erat & umbra perfidiæ, quæ obuentura erat Christo. Nemo unquam tantæ dignitatis fuit quàm Christus: nemo tam innocens, familiaris, blandus suis, &c. Vnde grauißime peccarunt, tum Iudas, tum Iudæi, qui edebant cum Christo panẽ. Prouerbiale dictum erat, de illo qui prosternebat aliquem præmissis pedibus, Vber dem suoß uuerßfen. id est: prostravit me positis dor-

Ca. XIII ANNOT. IOAN. OECOL.

lis, & dolose perdidit me. Cæterum quandoquidem panis mentionem facit, præsertim perstringuntur cum Iudæa, qui etiam nobiscum communicant de pane dominico, & testantur se fratres, tamen contra nos sunt, quæseruntq; excidium nostrum. Verum quotquot in ecclesiam Christi peccant, illi in ipsum Christum peccant. Qui indigne manducauerit, id est, expers charitatis fuerit, reus est sanguinis domini. Offensa charitate, & uelle cœnam peragere, peccatum est ipsius Iudæe.

Anunc dico uobis priusquã fiat, ut cum factum fuerit, credatis quod ego sim.

Sæpius prædixit Christus passionem suam, sæpius prædixit Iudæe peccatum: quare? ut credamus, quod ipse sit Christus, & uoluntarie pati uoluerit. Abruptus uidetur esse sermo, sed satis indicat se esse illum, qui prædictus est, quiq; conscius sit omnium arcanarum rerum, quod proprium est Dei.

Vere uere dico uobis, qui recipit quemcunque misero, me recipit. Qui autem me recipit, recipit illum qui me misit.

Inter cætera dixi in lectis uerbis, Christum habiturum tanquã propriam iniuriam, si quis in fratrem peccauerit. Esuriui enim, dicit, & dedistis mihi comedere &c. quæcunq; minimo feceritis &c. Sed quæris, quomodo hæc superioribus cohærent: pulchre omnia, quia
discipuli

discipuli erant relinquendi à Christo: corpus erat suum ablaturus ab illis, tametsi spiritu non absuturus: proinde consolatur eos, quod tantum premium promittit omnibus, qui sunt discipulos recepturi. Alio in loco poenam interminatur qui reiecturi sunt. Qui spernit uos, me spernit: ideo bona sit uobis consolatio.

Qui recipit: Qui uos acceperit. Longe autem aliter accipimus ministros dei & hominum, & maiori plausu oportet suscipere ministros dei quam hominū. Non enim illi simpliciter habent mandatum: nam spiritus Dei habitat in illis. Vnde etiam ipsi merentur appellari membra Christi. Iure quando ipsos suscipimus, credere debemus quod membra Christi suscipimus, propter inhabitantē spiritum Christi in illis. Ita honorem Christo impendimus: nam apostoli & ueri discipuli, templum Dei sunt. Minister regis adfert mandatū regis, sed mentem & spiritum regis non habet in corde, quemadmodum illi qui reguntur spiritu Christi. Vnde liquet quanta poena illorum sit, qui ueros Christi ministros persequantur: & uere Christum occidunt, cum illos occidunt: quamuis Christus uere non patiat, sed dicitur pati adhuc in membris suis. Tanta dignitas ministrorum Dei, à qua Iudas excidit: & omnes qui falsi sunt fratres, tollunt calcancum aduersus Christum.

Cum hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, & testificatus est, dixitq; Vere

uere dico uobis, quod unus ex uobis proditurus est me.

Videte quoties predictionem peccati Iudæ ingeminet & repetat, & semper manifestius & grauius. Cum alioqui benigne admonuisset toties Christus Iudam, indicando factum & reprehendendo conscientiam, nunc turbatur: per quod indicat se anxium ob presentiam tam maligni hominis, qui audet sedere inter tam sanctos uiros. Quamuis prædixerit Iudam traditurum se, tamen hoc manifestauit, quomodo ægerri-me in sua coena ferat grauissima illa ulcera. Ita qui Christi sunt, anguntur propter impios, ne cum eis conuersentur. Dixi antea me tradendum: iam uobis manifeste indico, quod prius indicaui obscurius. Non ex familia Caiaphæ, uel Pilati, uel Annæ, sed ex uobis, quos elegi, cum quibus hætenus tam familiariter uixi. Hæc eximia gratitudo, quam experior de discipulis meis. Ita modeste conqueritur. Interim omnes alios monet, qui uolunt esse discipuli domini, ut caueant à falsitate, ne in numero Iudæ sint.

Aspiciabant ergo se inuicem discipuli, dubitantes de quo diceret.

Sicut indicaui de Christo turbato, ita omnes quotquot spiritum Christi sortiti sunt, ubi intelligunt aliquos esse qui designant aliquod facinus, secum perplexi dubitant. ἀποροῦμενοι, non solum dubitationem, sed

sed anxietatem & perplexitatem quandam significat. Quamuis ipsi sibi bene conscij erant, tamen graue erat tale crimen eis improperare, nescientes quisnam reus esset. Absq; dubio cogitare oportebat, quàm necessaria sit omnibus Christianis pura communio, neque temere confusionem illam permittere debere.

Erat autem unus ex discipulis Iesu recumbens in sinu illius, nimirum is quem diligebat Iesus. Innuit ergo huic Simon Petrus, ut sciscitaretur quis esset de quo loquereſ. Itaq; cum recubuisset ille super pectus Iesu, dicit illi: Domine quis est?

Videtis hic quanta sit sollicitudo præcipuorum discipulorum domini: nam quanto quis amat Christum, tanto magis execratur peccatum Iudæ, & tanto magis in ecclesia inquisitionem abominatur. Feruentiores cæteris discipulis fuere Petrus & Ioannes: illi præ alijs solliciti erant, ut cognoscant illud: quandoquidem illis principatus ecclesiæ tributus sit præ alijs: etsi una dignitas omnium, tamen prærogatiua quædam illis. Vnde magis incumbebat illis curam illius rei habere in posterum, ut cognoscerent inter ueros & falsos. Petrus Ioanni insinuat, ut inquireat: quandoquidem sepius repulsam passus, cum uideretur se digna petere. Ideo

Ioanni committit, ut ipse interroget, quis ille inhumanus homo sit, qui tale audeat facinus. Ioannes propter singularem charitatem cum Iesu diligenter interrogat, quisnam est. Interim sese excusant, dum diligenter quaerunt, quod ipsi non sunt.

Respondit Iesus: Ille est, cui ego intinctam buccellam porrexero. Et cum intinxisset buccellam, dedit Iudæ Simonis Ischariothæ. Et post buccellam tunc ingressus est in illum satanas.

Christus pulchre temperat negocium: nam discipulo quidem indicat quis proditurus sit, tamen non per mittit Iudam periclitari. Detinet mentes discipulorum ne attendant de quo dicat. Hoc quoque indicium debebat Iudam à facinore suo deterrere ut poenitentiam ageret, sed obduriuit homo & deterior factus est. Satan maiorem potestatem in illo habebat. quasi diceret: Vtcumque me vis deterrere ab hoc facto, nihilominus manco in meo proposito, & exigam hoc quod proposui.

LECTIO LXXII.

AD petitionem Ioannis indicauit dominus, quis sese esset proditurus: usus tamen magna cautione, ne uidelicet Iudas periclitaretur, & magis ad poenitentiam traheretur. Porrectio buccellæ, symbolum amicitie erat, quo admonebatur, ne perfidia erga illum,
cuius

cuius panis particeps esset, uteretur. Iudas uero non curans ulla Christi beneficia, sed in singulas horas & momenta deterior & peior fiebat, unde intrauit in illum satanas, ut audiuiſtis. Buccella intincta alium saporem ex embamate habet. Ita hypocrite aliam speciem habent, foras tincti sunt, id est, pulchram speciem ostendunt, intus feroceſ & lupi. Talis erat Iudas, eapropter dominus bene porrigit illi intinctam buccellam.

Satan.) Iam uiolentior fit ingresso satana. Ita peccatum graue, nisi in tempore restiteris: & quo diutius in impoenitentia manseris, tanto minus te poteris explicare. Impius, ut Sapiens dicit, si in profundū uenerit, despiciet omnino, quicquid ei dixeris. Ita de salute Iudæ omnino desperatū est, quando ingressus in illum satan. Iam sat superq; admonitus erat per Christum, eapropter non ultra tolerandus, & etiam appropriabat hora passionis. Ideo sequitur:

Prouerb. 18

Dicit igitur illi Iesus: Quod facis, fac citius.

Non solum hæc præcipientis uerba, sed potius per mittentis. Iterū tamen ostenditur Christum uoluntarie pro nobis passum: nam si uoluisset cohercere Iudā, nequaquā potuisset tradere: sicut Iudæi nequaquam comprehendere, nisi permissa potestate. Christus magna se charitate obtulit, & Iudas magna perfidia tradit &c.

Citius.) Iam coeperat reuelari: iam tempus ex

coetu aliorum eijci: tandiu peccatores toleremus, quã-
diu alijs ignoti sunt: si innotescant, tolerari non pote-
runt. Christus noluit manifestare Iudam, nisi cum iam
nulla spes esset pœnitentiæ. Videmus igitur exactum
esse Iudam, sed aliquanto benignius, quàm talem pe-
stem decebat.

Hoc aut̃ nemo intelligebat recum-
bentium, ad quid dixisset illi.

Nemo uerba Christi intelligebat, neq; uocem illam
satis cognouerant, qua Ioanni indicabat ipsum esse pro-
ditorem. Tanta hypocrisis erat Iudæ, ut discipuli ni-
hil tale de illo suspicarentur, sed ob suam simplicitatem
ea quæ Christus locutus est interpretantur in meliorem
partem: qui candidarum mentium mos est, ut omnia in
bonam partem exponant: ita discipuli non attende-
bant illum esse proditorem.

Quidã enim putabant, quia oculos
habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus,
eme ea quæ opus sunt nobis ad diem fe-
stum: aut egenis ut aliquid daret.

Adeò etiam Ioannes ipse, quamuis hæc audiret de
Christo, non illud cogitabat, quia mentes eorum erant
detentæ. Non cogitabant, inquam, quod Christus cu-
raret maturare mortem suam, & permitteret potesta-
tem se tradendi. Quibusdam sic uidebatur, ut emeret
aliquid.

aliquid. Videtis hoc loco etiam Christum cum discipulis suis habuisse loculos, bona communia, ne alijs essent oneri, quæ erant à fidelibus in medium collata, ut Augustinus interpretatur. Iam aliquo modo Christus præscripsit formam ecclesijs, ut de bonis ecclesiæ uiuerent qui ministrarent. Hicq; redarguuntur qui Christum mendicū faciunt, unde ordines mendicantium instituerent: etiam cum opus esset ea quæ necessaria erant, emebant, ideo loculos habebant. Christus alibi miraculo quodam didrachma ex pisce quæsuit, mendicatum stipem querere nolens. Non in Euangelio legimus, ut hostiatim præcones stipem querant, neq; præcipitur manibus querere: sed si quis nouit, ut Paulus, nemo illi inuidet. Iudas dispensator infidelis, ut nõ raro contingit. Illi arbitrantur Christum præcepisse. quasi dicat: fungere munere tuo quamprimum: quasi esset aliquid præparandum ad festiuitatem more Iudeorum, qui lautius in sabbato uiuebant, & pascha. Hinc est coniectura, Christum habuisse aliquam rationem festorum: & ita se attemperasse moribus aliorum. Aliud etiam officium Iudæ, ut dispensaret pauperibus: idem & diaconatus est. Putabant Iudam tam sancto munere apparare se, non intendentes ad uerba Christi.

Cum ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuò.

Quamprimum igitur Christus præcepit, exiuit

Iudas: sed nunquam uere fuit inter illos, ut Ioannes in sua Epistola indicat. Urgebat satan ad opus suum, & ut equus præceps urgebatur, seq; ipsum præcipitat in medio impetu. Ita qui exciderunt à diuina gratia, satanæ subditi sunt, nihilq; aliud agunt, quàm perpetuo cursu in peccata prorumpunt.

Erat autem nox.

Absq; dubio allegoricum quiddam habet nox: uersabatur enim ille in tenebris: nam toties ante monuit Christus, ut ambularent in luce, quandiu lucem haberent. Qui à Christo egreditur, necesse in tenebris ambulat: quamuis iuxta rationem temporis nox erat.

Cum ergo exisset, dixit Iesus: Nunc glorificatus est filius hominis.

Iam clara lux est, & magna claritas: filius Dei iam melius habere incipit, quandoquidem abiit is, de quo dixi, Non omnes mundi. Christus dicitur in claritate sua esse, quando cum sanctis suis regnabit eiectis impijs, ut in futura gloria futurus est, ubi solæ oves congregabuntur: impij autem segregabuntur, & dicetur illis, ut ipsi abeant in ignem æternum. Eius rei typum gerit ista segregatio: Vbi abiit Iudas, iã melius incipiebat se habere ecclesia, etsi paucorum numero, nempe duodecim cum Christo. Non oportet igitur tristitia affici, quoties de nobis egrediuntur falsi fratres, sunt enim ulcera corporis Christi. Quando autem aperta fuerint

fuerint ulcera, & purulentia ista effluxerit, leuatur corpus & melius habet. Ita Christus se dicit glorificari, tamen si nondum perfecta gloria sit, sed solum figura gloriæ Christi: hacq; ratione ecclesia Dei purganda. Non possumus zizaniam omnino expellere ante diem domini. Sunt quaedam occulta, quæ non opprimunt simul nascentes fruges, istæ zizaniæ ferri possunt. Dominus dicit: Sinite utraque crescere. Sed si bonam frugem supprimant, necessitas cogit ut zizaniæ euellantur. Si corpus propter unum membrum computrescere incipit, remedium adhibendum est, ne totum pereat: ita oues separandæ, ne totus grex inficiatur. Pastoris officium erit, seponere morbidam ouem, ut aliæ melius habeant: ubi semotæ fuerint, tunc ecclesia sanabitur, tuncq; glorificatur corpus Christi. Et hodie quoque omnes oportet honestæ uitæ esse studiosos. Neque latentem hypocritam possumus prodere & depellere, sed ubi proditi, non sine periculo poterunt ferri. Est igitur cœna ista, ecclesiæ purificatæ figura.

Nunc.) Sunt qui hoc loco glorificatum esse exponant. Verum hic uidemus symbolum gloriæ filij hominis. August. annotat manifeste, quod res significantes accipiant nomina rerum significatarum: quando quidem cœna purior est. Non dictum est, petra significat Christum, sed petra erat Christus &c. Nondum Christus glorificatus re ipsa, sed in ascensione ubi ueræ

bum Dei cœpit prædicari: iam tradendus erat, iam humiliandus: sed incipiebat per crucem gloria Christi. Dicit: Video iam electos discipulos meos, uideo qualis facies sit futura regni mei & ecclesie &c.

Et Deus glorificatus est per illum. Si Deus glorificatus est per illum, & deus glorificabit illum in seipso.

Quasi dicat: Video aliquo modo faciem ecclesie meæ. Oportet filium perditionis eijci & satanã ipsum, ne præualeat aduersus electos meos. Per Christum abducti sumus à simulacrorum cultu, ab impietate gentium, ad ueritatem & ueri dei cultum. Ita unicus & uerus deus cœpit innotescere mundo & prædicari. Cum igitur filius ille resurrexit, Deus glorificatus est, & mundus adductus ad cognitionem ueri Dei, ut relinqueret errorẽ suum: talis fructus secutus est ex morte Christi. Repetite. Nox erat: iuxta historiam nemo dubitat, quia agnus iuxta uesperã comedebatur. Intus erat lux in cœnaculo isto, in quo discipuli erant. Non loquimur de corporali luce, quia filius hominis sedebat cum electis Dei, neq; erat inter illos filius tenebrarum. Et quia filius hominis accedebat mortem suam, ob id incipiebat glorificari. Exponit fructum suæ mortis, nam & ipse erat glorificandus, erat princeps mundi eijciendus foras, & ita populus adducendus. Suprà, Nisi grauum frumenti &c. Multus ille fructus, ecclesie uocatio

tio ex gentibus. Si igitur Deus glorificatus est, glorificabit etiam Christum. Si Christum glorificauit, etiam alios qui cū Christo sunt: sed aliter Christus, aliter nos.

Et continuo glorificabit illum.

Inter triduum resuscitandus Christus, non carnem in corruptionem daturus erat.

Filioli, adhuc paulisper uobiscū sum.

Quæretis me, & sicut dixi Iudæis, quō ego uado, uos nō potestis uenire: ita & uobis dico nunc. Præceptū nouum do uobis, ut diligatis uos mutuō, sicut dilexi uos, ut & uos diligatis uos mutuō.

Christus de gloria sua locutus est. Ne igitur discipuli ueniant in obliuionem mortis iam instantis, iterum admonet eos: Filioli, adhuc parum uobiscum sum &c. Verba illa, uerba magni amoris. Id est, statim rapiar ad mortem, non diu amplius uobiscum ero, uidete quam lia præcepta uobis cōmendaturus sim. Certum est hoc de humanitate loqui Christum: aufrendus erat corporali conuersatione per quadraginta dies, postea etiam non corporaliter fuit cum illis, quia corpus illius in celo: loquor de corpore naturali. Indicaui supra 7. & 8. capite, hoc quasi prouerbialiter dictū fuisse olim, Abiit &c. & dictum esse in eos qui erant breui morituri. Ita hic. Ecce, ut dixi Iudæis, ita uobis nunc dico. Quæretis

tis me, id est, breui moriturus sum. Nam si uolumus de gloria Christi exponere, certum est, cum Christus dicat: Vbi ego sum, illic minister meus erit &c. sed simplicissimam expositionem sequamur. Quia igitur abiturus sum & moriturus, reliquum est, ut bene memorie commendatis nouum praeceptum, nempe charitatis, quod unicum praeceptum est.

LECTIO LXXIII.

Iterum praedixit Christus discipulis suis, proximam esse mortem suam: uerbis tamen aliquanto tectioribus. Dixit enim, Adhuc &c. Praeterea adiungit etiam praecipuum mandatum, quod omnia alia mandata in se complectitur, uolens memorie eorum commendare: quia tenacius haerent animo quae ultimo loco commendantur. Quauis Christus per tempus praedicationis plura docuerit, omnia tamen uno praecepto complectitur.

Nouum.) Scimus iuxta prophetiam Esaiæ, Christum uenisse ad euangelizandum pacem, potius quam ferendam legem. Inquit: Non ueni soluere legem, sed implere. Charitas recapitulatio legis est & plenitudo, ut ad Rom. & Galatas. Addit hic: Nouum praeceptum, & non dicit legem. Si autem quis promiscue uelit dicere, legem & mandatum idem esse, non contendimus multum. Nouum mandatum dicitur, quia innouatum. Moses legem dedit, quae condemnat nos: neque enim pos-
tulumus

tuum uiribus nostris prestare ea, quæ legis sunt. Christus uero legem dat, & innouat, datq; spiritum suum ut perficiatur. Spiritus dicitur charitas. Ita ipse legifer noster est, hincq; adimpletio legis. Est enim nouo quodam modo data, non cum condemnatione & cum infirmitate nostra, sed potius cum benedictione, dato spiritu sancto in pectoribus nostris. Noua dicimur creatura, si innouamur, & recepto spiritu sancto omnia nobiscum renouantur: alioqui ex epistola Ioannis habes, hoc esse uetus mandatum, à principio datum, & scriptum in cordibus, ut quisque alteri faciat, quod sibi fieri uult.

Dilexi.) Hoc adiungit. Nos non possumus mensuram assequi dilectionis, ut Christus dilexit nos, si etiam expenderimus corpora nostra pro salute proximi: & ne guttula est charitatis, si conferamur ad Christi charitatem. In summa, nos serui, seruos amamus: ille nihil debebat nobis, imò nos merueramus infernum, & tanta profecutus est nos charitate. Attēdetes igitur quomodo amati à Christo, accendimur à spiritu sancto, ut mutuo diligamus. Aliqui putabant olim se satis fecisse, si non offenderent proximos: iam charitas requirit ut etiam benefacias, neq; uulgaria beneficia exhibeas, sed magna & eximia. Si Christum cum charitate Moysi confers, ille de libro uiuentium optabat deleri, quam non saluum fieri populum: Christus uero

pro nobis mortuus est &c.

Diligatis.) Mutuam dilectionem nobis commentat. Est unicum præceptum infra discipulis datum, Si mandata mea &c. Vnum ponit, sed omnia comprehenduntur in uno. Ita alia mandata interpretemur, de iurando, de corripiendo, & similibus præceptis quæ dominus dedit. Ne superstitiosius et præter mentem Christi illa interpreteris: uide ut ducaris regula charitatis: nam externa illa nobis libera sunt omnia, siue de esu carnis loquamur, uel de alijs rebus. Vide autem ne impingas in charitatem. Ita etiam de communione loquimur.

In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis, si charitatem habueritis inter uos mutuam.

Hac tanquam tessera & certo signaculo uolo discerni discipulos meos: non à miraculis, uel ieiunijs, uel precibus, sed à concordia animorum. Vultis ne explorare spiritum qui ex deo est? sciat, qui dilectionem contemnunt, simul totam legem conculcare, & omnia præcepta nihili facere. Quinam omnes? nunquid carnales, qui diuina contemnunt? Absit: sed quibus data sunt spiritalia. 1. Cor. 13. Hic solum præceptum generale habemus: Noluît Christus cætera repetere, sufficit illud unicum. Nemo tam crassi capitis, qui ignoret, quid sibi sit faciendum cum præcepta dei præscripta habeat.

Dicit

Dicit illi Simō Petrus: Domine, quō
uadis? Respondit illi Iesus: Quō ego ua
do, nō potes me nūc sequi, sequēris au
tem postea me.

Dixi uobis prouerbialiter dictum esse: nam & Iu
dæi intelligebant, & Petrus ipse, dictum esse de mor
te: uolebat tamen dilectionem erga magistrum suum
præ alijs indicare: sed pœnam luebat superbiæ, quia
ignorabat uires suas. Putabat se tam fortē, tamq̃ aman
tem, ideo & interrogat:

Quō uadis?) Quasi dicat: Vis' ne aliud quidpiam,
quàm ut audio te breui moriturum? Quocunq; uadis,
sue ad moriē, sue ad Hyperboreos montes, te sequar.
Suspicaris fortasse nos minus esse amantes tui. Iesus rea
spondet & confirmat suum sermonem.

Nunc sequi.) Nam etiam tu patrem glorificabis
& me, sed postea. Quandiu carnalis es, et nō alius ho
mo factus fueris &c. Voluit Christus indicare Petro
infirmiorem suam. Hocq; peculiare carnalibus omni
bus, ut plus suis uiribus tribuant, quàm habeant.

Dicit illi Petrus: Domine, quare non
possum te sequi nunc? Animam meam
pro te ponam.

Petrus quidem absq; ulla explanatione intellige
bat, quorsum pertinebat sermo ille. Et uult dicere, Ego

prior cupio mori, ut tu uiuas: malo ut tu uiuas, quam ego. Ergo nihil de meo amore desiderare uelis. Quorsum pertinent uerba tua? fortassis eò spectat, quasi ego is sim, qui uelit te tradere & prodere alijs. Immodica gloriatio, & supra uires apostoli: nondū enim se agnoscebat. Ecce quatenus destituti à spiritu diuino sumus, tunc nihil præstamus. Non mentiebatur Petrus. Talis affectus in illo fuit, caro autem infirma &c.

Respōdit illi Iesus: Animam tuā pro me pones: Vere uere dico tibi, non cānet gallus, donec ter me negaueris.

Alij, Non cānabit bis gallus &c. Tamen hoc nō negat etiam iste. Disce ò Petre tuam fragilitatem, nam non solum non morieris, sed quod multo minus est, non confiteberis uoce, & etiam negabis me, non semel, sed tertio, etiam cum detestatione & anathematizatione. Negauit autem non urgentibus tormentis, neq; armatis hostibus, sed uoce ancillæ adactus ad denegationē. Hæc est constantia humanæ carnis, & nostræ uirtutis, ut nō possimus ferre minimum sibilum. Iam si liberum arbitrium in nobis tam efficax ad persuadendum, non essemus tam inualidi, sed omnino inuicti: ideo caueamus ab omni arrogantia, et precibus intenti simus, ut ipse adiuuet nos, & uires det ad perficiendū ea quæ mandauit. Sequitur nunc caput 14. Velim autem esse coma, nam distinctio magnam obscuritatem inducit.



T ait discipulis suis: Ne turbetur cor uestrum. Creditis in deum, & in me credite. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Quod si secus esset, dixissem uobis.

Commēdauit ante omnia charitatem, & exemplo Petri etiam humilitatē, ne plus de nobis quā par sit, sentiamus: nunc commendat fidem, absq; qua nihil efficiemus. Id est, audistis me abiturum corpore, et turba mini quasi derelinquamini: fiducia opus est, credite, uestre res optime se sunt habituræ, manēt uos præmia magna, habebitis solia uestra in domo patris mei. Certissimum id uobis sit & persuasissimum: si non esset speranda talis remuneratio post hanc uitam apud patrem, dixissem uobis. Id est, ne quaquam lactassem uos inanis promissionibus. Videtis autem quanta bona ex fide nobis concedantur, nempe fortitudo cordis, abiectio omnis pusillanimitatis &c. Vis quiete uiuere? habeduciam in deum.

In domo.) Hic non sunt mansiones, inde erit recedendū, momentanea in hoc seculo est habitatio. Nolui uos decipere, si esset alia remuneratio expectanda, prædixissem uobis. Mansiones illæ, ab æterno consti-

tut.e sunt. In die iudicij dicetur pijs, Accipite regnum uobis paratum: nam deus ab aeterno praeuidit, quanta gaudia sit imperturus cohaereditibus Christi.

Vado paraturus uobis locū. Et si abiero ad parandū uobis locum, iterum ueniam, et assumā uos ad me ipsum, ut ubi ego sum, & uos sitis. Et quō ego uado, scitis, & uiam scitis.

Dixit esse mansiones multas in domo patris: nunc dicit iterum se preparare, quod in scripturis est fundare. Ita uerbum preparare apud Hebræos, sonat non solum preparare, sed etiam solidare. Christus igitur occisus pro nobis, confirmauit fœdus illud cum patre, ut nulla iam accusatio aduersarij praeualere possit. Si ipse preparauerit locum, opus est deinde fide. Primo predestinantur boni, sed in sanguine Christi, huius predestinationis sumus participes. Vado, ut sit uobis multo tutissimus locus, ne amplius dubitetis si à mortuis resurgam. Iam non est ut dubitemus de Christo, quod nos redemerit. Dicit, Non relinquam uos, nam & resurgam, & inuisam uos, ad me assumam, id est, faciam participes gloriæ meæ: etiam hoc maxime consolationis dictum est. Confiditis in deum, qui tanta bona dabit, & iam in me confidite, qui uobis uiam paro ad æterna gaudia.

Christus abiturus ex hoc mundo, multis nomini-
bus discipulos suos consolabatur, ne turbaretur
cor eorum. Primo quod eis parata amplissima præ-
mia, nēpe habitationes patris: deinde quod huiusmodi
habitationes preparantur ipso abeunte. Subijciēt &
alias consolationes, quod in eadē gloria sint futuri quā
ipse resurrecturus. Iste sermo, Scitis ad quam gloriam
pergo, uidebatur apostolis aliquanto obscurior, ideo
Thomas rogat de intellectu uerborum.

Dicit illi Thomas: Domine, nescimus
quō uadis, & quomodo possumus uia
scire?

Ad quam gloriā tu pergas, uel quō tu uadas, id ipsum
nobis obscurum est: etiā postquam resurrexerat.

Dicit illi Iesus: Ego sum uia, et ueritas,
et uita. Nemo uenit ad patrē nisi p̄ me.

Quærebat de uita, & quō perueniretur per uia.
Respondit Christus, se esse uiam. quasi diceret illis: Si
quis uoluerit peruenire ad gloriam istam eternā, quā
habiturus sum, non alia ratione assequetur, quā si in
me crediderit: hancq; uiam per totum euangeliū com-
mendauit. Hæc enim uia ad salutem nostrā. Vnde bene
Christus dicit: Superq; satis indicauī uobis, quod per
fidem in me licet hominibus assequi uitam eternam.

Iam dum de fide in Christum loquimur, obedientiam, humilitatem, aliasq; Christianas uirtutes non excludimus, sed potius illas commendamus per fidem. Si quis addictus huic mundo, ille Christo non credit, neque talis pertinet ad illam gloriam &c.

Ego uia.) Non erit alia uia querenda, ut postea exponit: Nullus uenit &c. non aliunde ad patrem peruenitur, quam per me. Suprà, ostium: hic, uia. Non est aliud nomen sub caelo, quo nobis salus contingat, quam in nomine Christi: neq; quis patrem cognoscet, nisi per Christum. Excluduntur igitur Iudaei & Ethnici à salute, etiam si uideantur uitam innocentem & sanctam amplecti, quia non ingrediuntur per ostiũ. Quatenus oportet cognoscere illum? quia humiliavit se propter nos, per quod declarauit immensum amorem patris erga genus humanum, eamq; ob rationem erit nobis uia. Qui ponit salutem in sua opera, ceremonias, is aberrabit maxime à uia, neq; ad ueram uitam perueniet unquam. Pater donat fidelibus, ut ipsi agnoscant Christum: hæc uia est querenda. Si quid aliud docebitur præter id, anathema sit. Qui Christum non docuerint, illi uiam ipsam relinquunt. Certum, non possumus simpliciter loqui de Christo, quod sit uia. Metaphoricus est sermo: per ipsum manuducimur credentes in illum.

Si cognouissetis me, & patrem meum utiq; cognouissetis. Et nunc cognoscitis
illum

illum, & uidistis illum.

Dicebant se etiam ignorare patrem. Thomas, nescimus quò uadis dixit. Quando hic de notitia loquitur, non de definitiua dicit, qua rem suis descriptionibus intelligimus: nam etiam sic multa nouit demon, & satan Christum confessus est filium dei esse: sed hæc non est uera notitia. Nam est notitia approbationis & beneuolentiæ dei. Sic in iudicio dominus nescit malos, id est reijcit. Nemo igitur fiduciam habebit in filio, nisi patrem agnouerit. Si diligeretis me tanquam maximū benefactorem, necessum ut patrem meum etiā diligatis, & aliquo modo noscatis.

Nunc cogno.) Scio iam quod nostis illum, quandoquidē me recepistis, meq; approbatis: si me diligitis, profecto tenemini amore aliquanto patris cœlestis. In me uidistis operationes illius mirificas. Opera uirtute patris facio, non tanquam homo purus, cui non sit iuncta ipsa deitas: quod iterum illis obscurum est. Videtis hoc loco nonnunquam sanctos ignorare quanti faciant deum, & quantus sit amor eorum erga deum. Nam uis demus in parentibus carnalibus, qui nesciunt quantum diligant suos liberos: sed si cōtingit mori uel periclitari, tunc noscunt quantum ament. Ita in discipulis hoc etiā uidemus.

Et dicit illi Philippus: Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis.

Nescimus quidnam loqueris. Philippus imaginabatur carnalem patrem, cum Christus de patre celesti loqueretur, qui non corporeis oculis comprehensibilis est ullo modo. Vel, Ostende nobis aliquid gloriæ celestis, & habebimus satis consolationis. Crasse igitur loquitur, unde sermonem eius reprobatur Christus: alioqui certum est, omnem sufficientiam nobis concedi ex demonstratione patris, ideo etiam beatus erit, & beatus qui nulla re indigebit. Sed Philippus non tam sublimia cogitabat.

Dicit illi Iesus: Tanto tempore uobiscum sum, & non cognouisti me? Philippe, qui uidit me, uidit patrem. Et quomodo tu dicis, ostende nobis patrem? Non credis, quod ego in patre sum, & pater in me? Verba quæ ego loquor uobis, à meipso non loquor.

Videtis reprehendi Philippum, quia crassius locutus est. Tanto tempore docui, & nondum istorum mysteriorum es capax? Adhuc tam rudis es? Nondum me agnouisti? Non uides quæ sint uirtutes meæ, quas operor? Non sunt humanæ, sed diuinæ. Cum illas uides, recte potes coniectare patrem esse in me, & quis sit pater ipse: ostenditur in me imago illius. Et cum uides opera filij, etiam opera patris uides. Deus dedit homini
uitam,

uitam, ego mortuis etiam do uitam: illumino cecos à natiuitate, ut uideas per omnia uirtutes patris in me: igitur ipsa natura patris in me est. Genuina uirtus patris in me est, conspicua & patris natura. Quid præterea queris?

Qui uidet.) Qui me agnoscit tanquam saluatorem suum, amat & patrem. Vnde mirum est, quod sic inrudite loqueris: oportebat spiritualibus oculis considerare. Ex uirtutibus quibus conspicuus sum, credere diuinam naturam in me esse debebas.

Non credis.) Vnam esse uirtutem meam, & patris? Per me operatur pater. Opera indiuisa sunt & uirtus, neq; à patre separor: naturæ non diuersæ, eisdem personæ diuersæ. Ratio fidei in his uerbis contenta est, nempe trinitas: tamen uarietas est personarum. quasi dicat: Quidnam habet pater, quod ego non habeam? & ego quid habeo quod non pater? profectò illa oportebat credere.

Verba.) Quemadmodum Iudæos supra erudiuit, & tam à doctrina quàm ab operibus suis, se uere filium dei esse cōprobauit: ita hoc loco, Verba quæ &c. Non alia loquor, quàm ea quæ deus locutus per prophetas. Non loquor ostentationis gratia, ut me magnum faciã, ut insimulant me Iudæi. Loquor, accepta prouincia à patre. Iam olim in ueteri testamento deus præcepit illum esse expectandũ, per quem esset locuturus. Ea uer

ba sunt patris, qui uobis filium dei promisit, fratrem uestrum secundū carnē: habeo testimoniū ex scripturis. Præterea operibus illustrauit me pater, neque minus illustratur pater per me, quàm quando eduxit populum de Aegypto &c.

Non loquor.) Non ut pius homo facio: nisi esset una deitas mihi cum patre, nequaquam possem tanta opera operari.

Credite mihi, quod ego in patre sum, & pater in me: alioqui propter ipsa facta credite mihi.

Ne putetis uerba ista esse superuacanea. Duo posuit, comprobauit se esse filium dei, ex uerbis, deinde ex operibus. Subdit, Si nō sufficit unum testimonium, credite alteri: saltem credite operibus quæ confirmant sermonem meum: nequaquam uos decipiam. Magna opera quæ Christus fecit, sed multa maiora erat factururus post mortem. Illa fideles nos reddere debebant, ut credamus eandem esse potestatem patris & filij.

Vere uere dico uobis, q̄ credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, & maiora his faciet, quia ego ad patrem meū uado. Et quicquid petieritis nomine meo hoc faciam, ut glorificetur pater per filium. Si quid petieritis in nomine meo,

ego

ego faciam.

Dixerat Christus, ut uel ab operibus suis confirmarentur, & cognoscerent ipsum esse filium dei, eiusdēq; nature cum patre. Quæ igitur sunt illa opera? promittit maxima, & qualia nunquam audita sunt, quæ sufficiunt ad probandam diuinitatem Christi. Multi magi & philosophi uaria fecerunt, nullus tamen ausus est dicere discipulos suos maiora facturos opera post mortem suam, quia incerta fuissent. Christus uirtutem concedit discipulis faciendi miracula, unde & promittit. Non loquimur solum de illuminatione cæcorū, uel resurrectione mortuorum. Nescio an discipuli talia fecerint maiora, etsi Petrus uaria fecerit, sed scriptura non indicat: sed hoc est magnum, quia per apostolos totus mundus adductus est ad Christum, ad illū in quā quem Iudæi crucifixerunt, obstante toto mundo, imperatoribus, populo, philosophis, hæreticis. Præterea apostoli homines uiles, illiterati, contempti: illi tamen mundo persuaserunt, ut crederent se saluandos per illum, qui subactus ad crucem. Nonne hoc maximum miraculū, maius quā cæcum illuminare? Chrysostomum lege in uita Babylæ.

Maiori.) Hoc non dedit singulis, sed sui fideles facturi sunt tantas res. Vnde hæc uirtus & potestas faciendi tanta miracula? quia uado ad patrem, quia æqualis uirtute patri sum. Ascendo nunc, ut adorer simul cū

patre, & suppeditabo uobis spiritum sanctum. Clarius illa in proxima lectione audietis.

LECTIO LXXV.

Aiciens dominus à discipulis suis, uarijs modis illos cōsolatus est: inter alia tamē promisit, quod ipsi maiora miracula facturi essent, quàm antea uiderent se facientem: & ad hoc promittit, quicquid petant in nomine &c. ut glorificetur pater in filio. Hucq; spectant omnia miracula quæ uera sunt. Vnde licet dicere inter miracula, quæ à deo profecta sunt, & quæ non. Si ad gloriam filij, absq; dubio miracula ista reicienda nequaquam erunt: aliàs imposturæ & præstigiæ dæmonum. Nam quando etiam apostoli miracula operati sunt, non permiserunt ut mundus ipsos adoraret, sed ut dominum reciperet per fidem, & adoraret patrem in spiritu & ueritate. Deinde etiam martyres mortui, nonnunquam exegerunt dæmones, & alia miracula fecerunt, illaq; cesserunt in gloriã patris. Quomodo? quia mundus uel homines cognouerūt illos mortuos esse propter hanc ueritatem. In confirmationem igitur doctrinæ quam illi docuerunt, contigerunt aliqua miracula. Contrà, si uideritis miracula fieri apud sepulchrum hominis, cuius nec doctrina, nec uita cognita est, planè miracula dæmonum esse credas, ad deiciendos homines, quia non glorificatur pater: ut multa con-

ta contigerunt ad probandum Purgatoriū & Missas: sed suspecta sint & abominabilia.

Petieritis.) Nō hæsitate de adiutorio meo. Quid enim nomine Christi petere? nunquid simpliciter allegare nomen Christi? nō, sed est petere ad gloriam Christi, ad maiorem celebritatem Christi, ut magis laudetur & prædicetur. Et quod pertinet ad exaltandum nomen suum, illud planè se facturum promittit: nam pater filium omnibus modis exaltari uult.

Ego.) Ibi affirmat suam diuinam auctoritatem. Exaudire petentiū preces, non est alterius quàm summi dei. Non negarim tamen alias res nobis concedi per Christum, si rogauerimus, quæ non spectant ad celebritatem sui nominis: si quidem illa nobis utilia sunt ad æternam uitam. Digni sumus ut exaudiamur, si uera fide rogauerimus, iuxta illud: Petite & dabitur uobis, pulsate & aperietur &c. Proinde etiam si aliqua re opus nobis fuerit, eaq; res conducat nobis ad salutem nostram, pater non denegabit filijs suis.

Si diligitis me, præcepta mea seruate. Et ego rogabo, & alium inhortatorẽ dabit uobis, ut maneat uobiscum in æternum, spiritum ueritatis, quem mundus non potest accipere, quia nō uidet illũ, neq; cognoscit illum. Vos autẽ cogno-

scitis illum, quia apud uos manet, & in uobis erit.

Inter cætera, quæ à nobis petenda sunt, nihil ita rogare conuenit, ut consolatore[m] spiritum, qui nos in hoc mundo consoletur, doceat, corroboret, & alia quæ animæ necessaria sunt, concedat. Vult autem tales nos esse, qui digne accipiant spiritum sanctum. Scimus uarie dari spiritum sanctum: alij accipiunt in prima sui conuersione, alij longe post &c. Omnes quotquot credere incipiunt, per spiritum sanctum accipiunt fidem: estq; ipsa fides donum dei. Quis posset illam gratiam mereeri? nemo mortalium planè: unde spiritus sanctus sola diuina gratia homini conceditur. Deinde aliter datur spiritus sanctus cum augmento quodam, ut corroboret hominem, faciat idoneum uarijs ecclesie usibus. Sic apostoli acceperant spiritum sanctum. Petrus nõ, ues filius dei, absq; spiritu sancto dixit. Postea insufflauit Christus in eos, accepto etiam spiritu autoritatis. Etiam in die Pentecostes tanta ubertate dona spiritus sancti concessa sunt. Loquitur autem hic de ampliori consolatione, quam accepto spiritu sancto receperunt. Nisi autem dilexissent Christum, & seruassent aliquo modo mandata eius, nequaquam huius spiritus participes facti fuissent. Ita si nos per spiritum sanctum credere coeperimus, æquum est ut amemus deum, & exercæamus nos in diuinis operibus, ut amplioribus spiri-

tus conu

tus consolationibus impleamur.

Mandata.) Mandatum Christi est, ut quis semetipsum abneget, contemnet hunc mundū, & tollat crucem suam. Vbi dignitas Christi innotuerit tibi, dignum ut illum ames super omnia, incipiasq; tibi uilescere: in charitate erga proximum exerccas te, orabis ad dominum &c. Certum, non propter nostram dignitatē aliquid assequimur, inutiles enim serui sumus: sed ordo dei est, ut per quosdam gradus bona impertiat hominibus. Non loquimur de absoluta dei potentia, quid deus possit, sed quid facere soleat. Concessit fidem, quā non uult ociosam esse. Si uiuemus innocenter, accipiemus ampliora dona: unde quidam uitam istam uocarunt meritum, propter illam consecutionem. Iubet nos diligere, & aliquantulum nobis concedit. Dicit rogaturum se patrem. Propter meritum filij, spiritus sanctus conceditur. Christus rogauit, & exauditus est pro sua reuerentia: precesq; Christi perpetuæ apud patrem.

Et dabit.) Ego iam uos consolor corporali meâ presentia, ad quam potissimum respicitis, sed ubi à uobis fuero ablatu corporaliter, alia ratione uos consolabor: nam spiritum meum impertiar uobis, isq; manebit in æternū apud uos, neq; diuclletur ut ego. Nam qui uere deum sic cognouerint & ita profecerint, illi non recedunt, etiamsi deus reliquerit carnis reliquias, sed perpetuò interficient Adam istum ne præualeat.

Dominus dabit gratiã, ut possitis aduersus insidias stare istius mundi. Extollit autẽ dignitatem istius spiritus: uocat spiritũ ueritatis: non uulgare donum, spiritu ueritatis donari. Mundus hic spirat nihil nisi uanitatem: ille spiritus ueritatem, & qua ratione deus colendus: talem non potest mundus accipere. Qui addicti sunt mundo, & sua oblectamenta in hoc seculo requirunt, non sunt capaces illius. Vbi autem exuerint prophana ista desideria, factiq; alij homines, tunc capaces illius erunt. Est omnino interna quædã cognitio, quæ habet uerissimam approbationem, de qua supra dixit. Nam inuenis mūdānos qui pulchre philosophantur de rebus hisce, sed nihil spiritus dei in eis inuenitur. Mundus uult exaltari. Vnde repetit:

Neq; scit.) illum spiritum nõ degustauit, & nescit suauitatẽ illius: uos autem cognoscitis. Quamuis dicat in præsentem, possumus tamen in futuro exponere: qui mos non rarus apud Hebræos. Iam aliquo modo degustauerant apostoli spiritum: unde Petrus: Apud te uera uita æternæ habes: ad quem ibimus? Manet igitur diuinus spiritus apud eos, qui Christi sunt. Refratis semper ad priora. Si dilexeritis me, tunc manebit in uobis illa consolatio, & iste consolator qui operatur per uos miracula. Fideles testimonium in cordibus suis habent de patre cœlesti, clamantes, Abba pater.

Nõ relinquã uos pupillos (absq; cõsolatore.)

Quamuis

Quamuis futurum in mundo, ut neq; me habituri sitis presentem corpore, tamen alium dabo, ne sitis deserti & destituti omni patrocinio. Habebitis defensorem & propugnatorem, qui dabit tantum robur, ut omnes aduersarij nequeant resistere sapientiæ, quæ est in uobis. In principio ecclesiæ necessarium erat miracula magis multiplicari, quo religio acciperet sua incrementa: ubi autem ecclesia plantata est in toto mundo, non opus tanta miraculorum multitudine. Hoc relinquamus spiritui diuino. Hoc sentiunt omnes fideles intra seipos. Infideles qui nondum crediderunt, nihil consolationis in cordibus suis habent, & ad quæuis uentum fluctuant, ut harundo: qui autem gustarunt Christum, fundarunt super firmam petram.

Veniam ad uos (sive resurgens, sive imperato spiritu suo) Adhuc parum est, & mundus me non ultra uidet. Vos autem uidebitis me (id est, cõsiderabitis in futuro) quia ego uiuio & uos uiuetis. In illo die cognoscetis uos, quia ego in patre meo, & uos in me, & ego in uobis.

Veniam ad uos consolaturus, tunc longe beatiore eritis cæteris qui in mundo sunt. Agnouerunt me Iudæi, qui etiam occisuri sunt: potui uideri à bonis & malis, sed posthac non sic erit. Mundus me non uidebit, neq;

capax diuini spiritus : potius irridet diuina omnia : sed uos qui discipuli , uidebitis quod ego uiuo. Faciam uos beatos, & æternæ uitæ participes , eiusq; uitæ quæ mihi concessa est.

Et uos.) Id est, cognoscetis Christum esse immortalem & uere uiuentem, autoremq; uitæ : quem accipietis ut uiuatis.

Ego.) Summa cognitio in cordibus uestris, utiq; mihi eadem natura cum patre, eadem dignitas, hocq; cognoscetis.

In uobis.) Obscuritas in uerbis illis. Fidelis bene agnoscit, quomodo Christus sit in patre, & quomodo in nobis, & nos in Christo: quia Christus geminam naturam, diuinam & humanam habet : per diuinam naturam æqualis patri, per humanam æqualis nobis. Est igitur in patre suo, quia eiusdem nature & potentie cum patre. Est etiam in nobis, quia non solum habet nostram naturam, quia homo: sed etiam communicat nobis suum spiritum. Sicut pater communicat naturam diuinam filio, ita cum filius deus & homo, quatenus accepit diuinum spiritum, eatenus nobis eundem impertitus est. Ita nos quoq; sumus in ipso, quia participes spiritus illius : & ita unum corpus efficimur cum Christo. Sic cum scriptura unitatem nobis cõmendat, non solum de unitate animorũ, sed etiam de unitate nature, dignitatis ac gloriæ, ut infrà 17. cap. loquitur.

In summa,

In summa, cognoscetis quod acceperitis de meo spiritu, & non de humano. Neque possumus omnibus modis similes esse Christo, quia non sumus naturales filij, sed adoptiui per Christum, eiusdem tamen spiritus capaces erimus. Idem est spiritus, qui in summis operatur, & qui in minimis. Id est, ego iam uirtute patris operor, uos quoque in me & per me operabimini: & etiam ego operabor in uobis: ut ante Philippo, qui dixit, Ostende nobis patrem: dicit, Qui uidet me, uidet & patrem meum. Itaque si uideris Christianum uerum, in corde tuo agnoscas, uidere te Christum in illo, & illum in Christo.

LECTIO LXXVI.

Promisit dominus discipulis suis consolationem maximam per spiritum sanctum dandam: ne autem tantis promissionibus indigni fierent, hortatus est illos ad dilectionem sui, & praeceptorum obseruantiam. Nisi enim gratiam nobis datam seruauerimus, & perrexerimus continuo studio emendandi uitam nostram, digni sumus, ut id quod accepimus, amittamus. Vnde iterum subdit,

Qui habet mandata mea, & seruat illa, ille est qui me diligit.

Quia adhortatus erat ad sui dilectionem, diceret quis, Quomodo diligam te? unde sciam quod sim uerus

amator tui? Inquit, Qui habet, id est in pectore suo tenet, & didicit, non contentus audiuisse quæ sit uoluntas dei, sed etiam seruat illam, hic est qui me amat. Dices, Quis unquam mortalium seruaui mandata dei? excedunt omnes uires humanas. Quis possidet mandata? Multi qui sciunt, sed pauci qui implent. Vnus impleuit, scilicet Christus. Nostrum uero est, quotidie ad hoc eniti ut seruemus illa. Quotidianum nostrum studium, si ex fide proficiatur, imputabitur nobis pro impletionem, in hoc enim declaramus dei charitatem in nobis uigere. Non dico, ut ita seruemus, quod meritum nobis imputandum sit: sufficit seruo studium assiduū seruandi mandata domini sui. Præcepit deus, ut omnem fiduciam in eum habeamus per Christum. Fides igitur ista probanda est ex præceptis diuinis. Vbi igitur homo iam non ita addictus est hisce terrenis rebus, sed animum ad diuina translulerit, quò scilicet Christus uocat, iam incipit obediens esse deo patri iuxta exemplū Christi, excitatus charitate uera, quæ deo placet: & si mandatum istud dilectionis exercuerimus in nobis, signum est charitatē dei in nobis esse, tuncq; aderit etiā incrementum donorum dei. Sequitur,

Qui autem diligit me, diligetur à patre meo, & ego diligā eum, & manifestabo illi meipsum.

Hæc erunt præmia diligentium me, ut rediligantur à me.

tur à me. Ipse prior dilexit, & si uicissim dilexerimus, de nouò promittit suam dilectionem: id est, declaraturus est certis indicijs, quanta dilectione nos prosequatur.

Amor in deo nō augetur, quia ipse non est capax istius mutationis: nos autem sentimus cum magis fauere, & gratijs nos locupletari, spiritu suo dato nobis.

Manifestabo.) Id est, longe clarius reuelabo me illi. Iam multo certiores sunt discipuli, quàm antea fuerunt: & uarijs modis pollicitus est manifestationē sui. Manifestaturus erat se, ubi resurrexit à mortuis, ut indicaret se adhuc uiuere, unde multum consolationis accipiebant discipuli. Etiam dato spiritu sancto illustrauit corda discipulorum, & ita ampliorem sui cognitionem illis præstitit. Expectamus aliam manifestationem in die iudicij. Sed discipuli hos sermones non intelligebant, utpote carnales, ideo quærun.

Dicit illi Iudas, nō ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quod manifestaturus es nobis te ipsum, & nō mundo?

Christus adhortatus erat potissimum ad obseruantiam præceptorū, & dilectionem sui: illo autem prætermisso, Iudas iste rogat de hoc quod dominus dixerat. Quasi diceret: Quam ob causam manifestabis te nobis, & quæ illa manifestatio? Nos hodie cum te uideamus, uideris etiam à mundo. Si iterum te manifestabis nobis solis, quæ ratione hoc futurum est? Non pote-

rat uirtutem resurrectionis uel spiritus sancti missionē secum expendere, igitur de hoc aliquāto curiosius querit, & Christus non mox respondet, et si responsum inuenit in illis uerbis.

Respondit Iesus, & dixit illi: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget illum, & ad illum ueniemus, & mansionem apud illū faciemus. Qui non diligit me, non seruat sermones meos.

Vide quō sermo meus urgeat, nempe ad obseruantiam dilectionis. Hanc nunc à uobis requiro, ne tantis donis indigni efficiamini. Non oportet nos suprā modum esse anxios de mūeribus qualia nam sint, sed ut digni efficiamur promissa dona accipere, solliciti sumus. Querit iste, quomodo manifestaturus es te nobis? Respondet: Vos estis qui accipietis uerbū meum, & mundus nequaquam uerbi mei capax est, qui neq; recipit neque seruat. Vos me diligitis, non mundus. Adero igitur uobis tanquam diligentibus me, aderit & pater, & custodiemus uos. Certum est, quod Christus postquā resurrexerit solis discipulis se manifestauit, indignis autem Iudæis minime. Præterea Christum soli agnoscēt, qui uere illum diligent. Cum dilectione etiā cognitio illa crescit, & uicissim cum cognitione dilectio.

Seruabit.

Servabit.) Non de illo solū loquetur ore, sed etiā corde meditabitur. Veniemus ad dilectionem dei per spiritū sanctum, per quem & certi efficiamur, quod templa dei simus. Nam omnes qui vere in Christum crediderint, templa dei sunt, mansuriq; sunt apud illum tanquam in templo gratissimo. Licet etiam cognoscamus nunc Christum, agnoscimus tamen solum tanquam in umbra & figura, postea facie ad faciem. Nō dicit vobis, sed diligentibus. Quis est ille qui non diligit Christum, nisi homo huic mundo addictus, qui cōtemnit sermones illius? propterea & contemnetur à deo patre, neq; eximū illud donū recipiet, scilicet spiritū sanctū.

Et sermo quem audistis, nō est meus, sed eius qui misit me patris. Hęc locutus sum vobis apud vos manens. Consolator autem spiritus sanctus, quem mittere pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quęcunque dixi vobis.

Ostendit quomodo deus diligat nos, & quomodo se se manifestaturus sit, nempe misso spiritu sancto: per spiritū enim sanctū se ipsum suis reuelat, nam mūdus spiritum sanctū capere non potest, quandiu manet mundus, hoc est, mundani homines, addicti rebus humanis.

Non est.) Pręterea qui non accipit sermonem,

non honorabitur à patre meo, quia contemptus redunt dabit ad patrem. Non locutus sum à meipso, sed missus sum à patre iuxta humanitatem. Præterea qui me contemnit, & eum qui me misit contemnit. Iam hoc mundus perpetuò facit, irridet, & pro fabula habet uerbū Christi, ideo non mirum patrem non locupletare mundum spiritu sancto. Quare pleriq; non docentur? causa adest: nolunt audire præceptum Dei, auertunt aures suas, sicq; contemnitur Christus, & cum illo, pater coelestis.

Manens.) Sæpius hoc dixit discipulis, ne putarent sermonem esse puri hominis. Cæterum quæ dixi, scio quod non admodum insita in mentibus uestris sunt. Sequitur:

Spiritus.) Si quidē me dilexeritis, habebitis aliū doctorem: & ea quæ iam imperfecte tenetis, perfectius cognoscetis, inhortante spiritu.

Nomine.) Me glorificandum, ut nomen meū gloriosum sit in toto mundo. Neque est ut intelligas quod propterea discipuli memores fuerint omnium syllabarum quæ Christus locutus sit: sed omnia putat quæ necessaria sunt ad salutem, ut uere spirituales fiant. In sua epistola prima Ioan. dicit: Unctio docet credentes, quidnam faciendum sit: non ut omnes disciplinas tenent, & quicquid in omnibus scholis docetur, ut quidam nugati sunt de ceremonijs: uel ut aliud quidpiam esset docturus,

docturus, sed quæ scitu sunt necessaria ad salutē. Vult dicere: Impleam uos spiritu sancto cœlesti doctore, qui faciet uos uere θεοδιδάκτους, id est, à deo doctos.

Pacem relinquo uobis, pacem meã do uobis. Non quomodo mundus dat, ego do uobis.

Est alia promissio. Quasi dicat: Ne doleatis, nihil enim uobis periculi imminet, quia ego relinquo uobis pacem: id est, custodio uos in bona pace, ut felices sitis. Dabo uobis solidam & semper duraturam pacem & felicitatem, qualem ego possideo. Mundi huius felicitas temporaria est, & minime sincera, quia stulta securitas huius est mundi. Pacis nomen Hebræi pro felicitate utuntur: illa pax tamen potissimum consistit in anima. Per fidem iustificati, pacem habemus apud deum.

Non sicut.) Mundus pacem dat sic, ut fugiat homo crucem. Non est illa pax uera. Crux est approbatio huius pacis, & gloriatio huiusmodi pacificorum: neq; erit exosa uel inuisa crux fidelibus. Mundus amat pacem sine cruce, talem Christus non promisit nobis. Pacem autem quam dat Christus, illa exuperat omnẽ mentem.

Ne turbetur cor uestrum, neq; formidet. Audiuiſtis qd ego dixi uobis, uado, et uenio ad uos. Si diligeretis me, gaue

deretis utiq; quod dixerim, uado ad patrem: quia pater maior me est.

Possent discipuli dicere, Multa quidem nobis promittis, & iam non turbamur nostro nomine, sed potius tuo: uidetur enim nobis quod honestius sit tibi, si hic māseris, & iuxeris nobiscum in tali gloria. Hoc refellit nunc Christus, quod suo nomine illos mœrere nō oporteat, abitionem enim illam ipsis esse cessuram in utilitatem maximam. Cor uestrum ne sit turbulentum, habebitis spiritum sanctum, eapropter nō est ut timeatis.

Vado.) Nunc sepe indicavi uobis hinc me abiturum, & regressurum cum maiori gloria. Si uera dilectio in uobis esset, non quæreretis commodum uestrū. Non est amici quærerere quæ sua, sed quæ alterius sunt.

Maior.) Ire ad patrem, cedit ad gloriam meam. Arius accipit inde argumentum suæ heresew, quia si Christus secundum diuinitatem minor sit deo patre: sed sermo iste nequaquam sic exponendus est: quandoquidem in alijs locis diuersum inuenimus: imò totus Euangelista incumbit, ut pater & filius æquales sint. Quasi dicat: Hic, iuxta humanam naturam, id est, qualem me uidetis, pater fortior est, ut me liberet. Vos tristamini: si ueri amici essetis, gratulari debebatis de maiori dignitate mea. Vado ad eandem dignitatē patris: & pater transferet ad tam excellentē dignitatem. Dignitas illa quæ posthac mihi continget, longe amplior est,

est, quàm ea in qua nunc sum, uel in qua uos cupitis me retinere. Oportet nos proficere in agnitione Christi, ut illum cognoscamus non secundū carnem, sed æqualem patri: non ut carnem separemus à diuinitate: nec carnē agnoscimus, si à diuinitate hæremus. Dicit: Vos putatis me infimæ sortis hominem, uerum pater in maximam dignitatem transferebat, unde oportebat meo nomine plurimum letari.

LECTIO LXXVII.

Multis modis hætenus dominus discipulos suos consolatus est: nunc ut magis admoneat, quo se liciter sua præcepta seruent, iterū prædicit eis nō longe abesse tempus mortis suæ, quo magis in memoria seruent, quæ Christus dicit illis.

Et nunc dixi uobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Posthac nō multa loquar uobiscum.

Id est, non multo tempore ero uobiscum, & propterea sermones quos iam loquor, diligentius auscultare uos decet. Quamuis etiam post resurrectionem locutus non pauca cum discipulis fuerit, sed magis respicit ad tempus illud, in quo locutus erat illis ante mortem suā.

Etenim princeps mundi huius uenit, & in me non habet quicquā. Sed ut cognoscat mundus, quod diligo patrē, &

sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio: surgite eamus hinc.

Id est, satan in suis membris aggressurus est me, sed nihil in me habet iuris. Venit igitur cum exercitu suo tanquam me expugnaturus: nam mihi moriendum erit. Tentabit quidem me, si posset deuincere etiam per mortem, sed nihil habet in me. Non uenit, ut quid iuris in me habeat, quasi obnoxius peccato, & debitor mortis, sed ut mundus sciat &c. Sponte mortem aggredior, ut hoc totus mundus cognoscat. Propter obedientiam quam patri exhibeo, sic me submitto, ut etiam non abhorream a morte. Propterea permitto principi huius mundi, ut me inuadat: trado me aliquo modo illi, dum permitto me crucifigi.

Et sicut.) Præcepit pater, ego obediens fui. In summa, his uerbis indicat se proximum esse morti, iamque appropinquare satanam. Videbat etiam Christus in spiritu, quanta solitudine Iudas Iscariotes obambulabat in aulis principum & summorum sacerdotum, ut colligeret exercitum ad tradendum Christum. Diabolus uenit, qui in his dominabatur. Non sentiendum cum Manichæis uel Marcionitis, qui putabant demonem principem mundi, ut negarent mundum a deo conditum. Omnia bona sunt que condidit deus. Mundani homines dicuntur mundus. Nihil iuris in Christo satan habet, neque in his qui sunt Christi. Quasi diceret: Breui
sum

sum moriturus ex dilectione quam gero ad patrē. Vos illius memores sitis.

Surgite.) Surrexit à cœna: nimirum & locutus est cum illis. Scio nonnullos hunc locum exponere allegorice, quod Christus adhortatus sit suos, ut ab hoc mundo exeant. Gregorius Nazanzenus, Eamus hinc, exponit, relinquamus quæ sunt huius mundi, meditemur potius cœlestia. Atqui uidetur esse historia. Christus in alium locum se recepit, etsi nondum in hortum se receperit, fortassis in aliam partē domus iuit. Ita post longam sessionem frē fieri solet, ut magis idonei sinus stantes: sic Christus iubet discipulos suos surgere. Deinde ulterius continuat sermonem pulchra parabola, qua iterum hortatur illos ad obseruantiam præceptorum, præsertim ut fidem retineant, & ut ueri discipuli sint. Superius audistis, si participes cœlestium bonorū esse uolumus, quod ea non contingent nobis alia ratione, quàm ne gratiam concessam abijciamus, sed domis concreditis bene utamur.

CAPVT XV.



Go sum illa uitis, illa uera, & pater meus agricola est (huius uitis.) Omnem palmitē in me nō ferentem fructum, tollit.
(cum rō hebraice additū, apud nos abūdat, ut et sequēs)

et omnem qui fert fructū purgat, ut afferat uberiores fructus.

Vt dixi, hortatur discipulos ad obseruantiam preceptorū, ita ut adferant multos fructus, alioqui nō manebunt in ipso Christo, neque participes glorię illius erunt. Quasi dicat: Ego uere confessor uiti. Sicut se habet uitis erga suos palmites, ita etiam ego me erga uos habeo. Nō potest negari, quin ibi sit metaphora in uerbo uitis. Vocat se ipsum uitem, id est, ego sum comparatus uiti. Ita cum ostium se uocat uel panem. Neque simpliciter uitem infrugiferam, uel quę excisa est, sed ueram describit.

Agricola.) Id est, sicut uera uitis & naturalis ab agricola quoque colitur & plantatur, ut fructū afferat, sic pater meus coelestis curam habet mei, & palmitum meorum, ut inde magnus fructus proueniat. Ne autem putes propterea filium esse minorem patri. Scias ista Christum loqui iuxta humanitatem, ut supra, Pater maior me est. Si ad dignitatem respicere uoles, etiā filius potest dici agricola, nam omnia opera trinitatis indiuisa sunt. Neque censendum filium minorem patre esse: & cum tribuat hoc loco patri, quod fructum multum educat ex uite, etiam sibi hoc ipsam tribuit, ut uideas quę patri tribuuntur, ea & filio tribui debere.

Palmitem.) Si quis se mihi adiunxerit, ut uelit appellari discipulus meus, & fidem in corde non habuerit, quę

rit, quæ operetur per charitatē, palmes est aridus quē pater abiicit. Talis enim palmes erat et Iudas, ille etiā se adiunxerat Christo, sed non mansit: pater abstulit illum, quia fructum non adferebat.

Purgabit.) Nimirum per crucem & per aduersitates. Purgatio illa aliquanto amarior est. Iudicio suo purgabit, ut probet qualis quisq; sit, ut in epistola Corinth. habemus. Omnis tribulatio in utilitatē cedit nobis: & non permittit ultra nos tentari dominus, quān ferre possumus. Et purgat palmitem fructiferū, ut maior sit fructus in illo: hocq; in ipso Christo ostensum, qui & passus est. Sicut comparauit se supra grano tritici, ita hoc loco uiti. Quales autē illi fructus sint, Esa. 5. habemus, ubi parabola de uinea adducitur. Vnusquisq; uitis & palmes potest appellari: & ut in Christo membra, ita etiam sumus palmites, quia eadem nostra natura est, quæ & Christi. Ita plerique exponunt qui rem penitus introspiciunt. Implantati propter naturam, quia nostram naturam assumpsit Christus. In uite & palmitibus eandem uidemus naturam. Si uolueritis intelligere de diuinitate, quomodo possemus nos appellari palmites? Neq; congrueret similitudo: oportet eandem esse naturam uitis & palmitis, & eadē natura capitis & membrorum. Christus primogenitus uniuersæ creaturæ, & Christus uera uitis est, quæ eandem naturam habet cum suis palmitibus. Deinde sicut

in uite est succus, per quem fecundatur palmes, ita in Christo est diuinus spiritus, quē transmittit in sua membra & palmites, id est in ueros discipulos. Et sicut palmites fructum afferunt per succum, qui à uite in ipsos fluit, ita etiam nos operamur bona opera, & ueros fructus, propter spiritum Christi, qui ex capite Christo in membra defluit. Iam si succus ille in homine fuerit, id est diuinus spiritus, ille utiq; magnum fructum affert, & eundem quem ipse Christus attulit. Licet ex fructibus cognoscere, qualis succus sit in arbore, sic ex nostris operibus apparet quales simus. Si fructus spiritus, quos ad Galat. Apostolus enumerat, in nobis fuerint, signum est adherere nos uiti & capiti Christo. Nam charitas, tolerantia, suauitas, misericordia &c. fructus sunt spiritus. Sicut pater dedit præceptum, ita & Christus obediens fuit: sicq; palmes quæ capax succi eius, id est, diuini spiritus, curabit in uera fide, ut uoluntati diuine se conformet, & habebit dilectionem filij, eritq; obediens & humilis.

Omniem.) Erit igitur deus iudex, & falce sue sententiae tollet palmitē in frugiferū. Ioannes Baptista locutus est Iudeis, quod sint arbores steriles, sic ad poenitentiam prouocans. Certum est, in quibus non est succus diuini spiritus, tempore tribulationis non fructificaturos, sed excidendos omnino.

Iam uos mūdi estis propter sermonē,

quem

quē locutus sum uobis. Manete in me,
& ego in uobis.

Dicere uult: Ego non habeo uos inter palmites aridos & infrugiferos, qui nullum fructum sunt prolaturi: sed per fidem mundati estis aliquo modo, & per sermonem fidei quem locutus sum, ideo & frugiferi. *Suprà*, Creditis in me etc. & ubiq; promittit credentibus in se uitam æternam. Qui credunt, manent in Christo, suntq; puri & capaces spiritus sancti. Sed uult adhortatur nos scriptura, ne deficiamus à Christo per ignauitiam nostram. Quasi dicat, Non satis quod agnouistis hunc sermonem, quod estis mundati, nisi perseueraueritis.

Vobis.) *Suppeditam* uobis spiritum meum, per quem multum fructus feretis. Si non abieceritis fidem, ego adstabo uobis, & uiuificabo uos per spiritum meum. Natura manemus aliquo modo in Christo, sed tunc manemus, si per fidem manserimus.

Quemadmodum palmes nō potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in illa uite: sic neq; uos, nisi in me manseritis. Ego sum illa uitis, uos palmites. Qui manet in me, & ego in illo, hic fert fructum multum: quia absque me nō potestis facere aliquid.

Similitudinem adaptat. Sicut palmes naturalis non

fructum à semetipso affert, nisi alicunde mutuet succū, sic etiā uos nisi manseritis in me. Ego recte comparor uiti, uos recte palmiti. Iam non satis est simpliciter mihi adherere, nisi in me manseritis: nunquam succi mei participes nisi per fidem eritis. Suprà in 6. cap. etiam manifeste iisdem uerbis eadem dicit: Qui de illo pane manducauerit & c. Nam fide manemus in illo, & ipse per spiritum suum operatur in nobis charitatis opera. Quid est manere? adferre multum fructus, non sua natura, sed ut accipit à Christo efficaciam per spiritū sanctum, ita erit fertilis & frugifer. Si quis caput relinquat, non habebit succum uel spiritum. Hic manifeste apparet, quod nihil poterimus nostris uiribus: & nisi gratia diuinitus subministretur, nihil boni poterimus facere. Vnde sententia ista pugnat contra eos, qui libero arbitrio aliquid tribuūt, quasi possit aliquid sua natura, seposita diuina gratia. Apostolus: Quid habes quod nō accepisti? imò ne cogitare potes sancte uel pie, neq; exordiri, neq; progredi, neq; perseuerare. Aliqui principium sibi ascribunt, quasi ex sua electione esset adherere Christo. Oportet initium, medium & finem deo tribuere: quicquid bonū uel sanctum, hoc omnino huic fonti acceptum referendum est. Neq; excusamur si peccauerimus, nam hoc fit ex culpa nostra.

LECTIO LXXVIII.

VT fiamus magis idonei ad dona spiritus sancti recipienda, diligenter hortatur nos ad studium mandatorum suorum: etiam hoc in precedenti capite pluribus egit: nunc idem facit assumpta parabola uitis & palmitum, qui succum à uite trahunt. Non trahunt nisi manserint in uite. Hic uult ut & nos adhareamus huic uiti, & perseueremus in fide.

Absq;) Græcus signanter loquitur, ὅτι χωρὶς ἐμῶ, & non simpliciter. Vult dicere: Si uobis non fuero iunctus, fructu omnino carebitis. Pulchre alludit ad ipsam parabolam. Nullum fructum facere potestis nisi per spiritum meum. Generalis sententia est: qui non rarus scripturæ est mos, ut sententiam subiungat, quæ multis locis congruat, tamen in proposita materia maxime. Ex nostris uiribus nihil possumus, maxime in euangelico profectu: & nisi insiti Christo fuerimus, nihil planè efficiemus. Quò si respexerimus nos, qui uerbi domini dispensatores sumus, utique memores officij nostri erimus. Si non unicus scopus noster Christus est, & si non ipse possidet pectora nostra, frustra laborabimus. Si addicti hisce terrenis rebus, uel uanam gloriam sectabimur, non admodum studiosi erimus, quo modo fructum multum afferamus, sed frigide de rebus Christi loquemur. Et Christum huc spectare, sequentia conuincunt.

Nisi quis manserit in me, eiectus est foras sicut palmes, & exaruit, & colligunt illos & conijciunt (scilicet ministri) in ignem, & ardent.

Vbiq; ferè scriptura duobus modis allicit, uel minis uel promissionibus. Promissionibus boni adducuntur, minis poenarum mali. Minatur igitur ijs, qui non manserint in se, tanquam in uera uite, eiectionem, & nõ solum eiectionem, sed arefactionem & exustionem, poenas multo grauissimas. Et multo grauissimum est eijci è regno dei, quàm è principatu aliquo, & in aeternum ignem projici, & flagrare perpetuò: hancq; poenam minatur omnibus, nisi in ipso manserint.

Nisi.) Id est, fiducia mihi perpetuò adhæreat.

Eiectus.) Fieri potest hebraico more, ut præteritū pro futuro accipiatur. Eiectus est diuina sententia propter suam perfidiam: iam actū de illo est, iam exaruit, & nihil diuini succi habet: unde ad poenas rapiuntur tales, sicut palmites execti, qui in ignem conijciuntur ut comburantur, quorum non est alius usus. Ita perfidorum istorum hominum non erit alius fructus, quàm ut gloria dei innotescat. Poterat gloria dei per impios alia ratione innotescere, si uoluissent participes diuinae gratiae esse, & absq; dubio deus ostendisset suam misericordiam etiam in illis, sed iam alium fructum ferunt, ideo condemnandi igne perpetuò, ut appareat sic diuina iustia

na iustitia. Ita primo minatur his, qui non manserunt in ipso usque in finem. Nunc secundo loco allicit promissionibus premiorum, sicut & supra.

Si manseritis in me, & uerba mea manserint in uobis, quicquid uolueritis, petetis, & fiet uobis.

Id est, Si perseueraueritis in fide mea, & non per miseritis uos à me, qui sum uera uitis, auelli, nihil denegabo uobis. Postea illud exponit clarius, quomodo fiat: Si uerba mea in uobis &c. hoc est manere in Christo. Omnia autem ista commendat nobis perseuerantiam. Quod si tales futuri sumus, & in ueritate Christum sequimur, promittit ipse omnes preces exaudiendas. Iam dicit quis, Si quis oraret mortem fratris sui, item commune aliquod periculum &c. Boni non sic orant, sed optima quæq; à deo petunt, & ea petunt quæ non dubitant deo placere, & quæ ad gloriã dei spectant, alioqui non manet in Christo. In quibus manet uerba Christi, non sunt addicti hisce terrenis rebus, ut talia petant à domino, & si petuerint, cū conditione petunt, si conducibilia animabus eorum fuerint, & semper suam uoluntatem diuine subijciunt. Summa felicitas, quãdo uoluntas nostra consentit cum diuina uoluntate. Suprà dixit orandum in nomine suo. Subdit iam:

In hoc glorificatus est pater meus, ut

XV - ANNOT. IOAN. OECOL.
feratis fructum multum, & efficiamini
mei discipuli.

Hoc potissimum precandum erit, per quod pater glorificatur. Glorificatur autem, si multum fructū attulerimus. Qui illi plurimi fructus? Si plurimos attraxerimus ad cultum ueri dei. Hoc Christus per omnia obseruauit, ut gloriam patris quāmaxime nobis commendaret, & ita esset uia per quam ueniremus ad patrem. Huc debent spectare preces nostræ, ut plurimos lucrificiamus Christo. Si sic sequimur magistrum nostrum, erimus discipuli eius. Sicut ille multos lucratus est, ita & nos: sed cum spiritu sancto id efficiemus.

Sicut dilexit me pater, & ego dilexi uos. Manete in dilectione mea. Si mandata mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea: sicut & ego seruauī mādata patris mei, & maneo in dilectione illius

Posset quis dicere, Tu quidem Christe magnā gloriam accepisti à deo patre, haud mirum si illi obsequaris: longe alia conditio nostra. Respondet: uerū est, pater dilexit, & contulit magnam dignitatem, & ego etiam mansi in dilectione sua. Cæterū sicut ille magnū honorem mihi concessit & dilexit, ita & ego uos multum dilexi & honorem concessi, ut postea habetis. Iam non estis serui, elegi uos in amicos &c. unde æquū est, ut maneatis in dilectione mea, quia uos magnam gloriam

riam expectabitis. Iam uidetis quomodo uerba ista pulchre superioribus cohæreant. Non est ut cõqueramini quasi frustra diligatis me, & nõ uicissim rediligamini.

Seruabitis.) Indicium erit ueræ dilectionis, si mandata mea seruaueritis. Si gloriamini esse ministros meos, & contemnitis illa &c. Perficimus legem, dum studemus perficere. Dixi illud, eo quod adimplemus aliquo modo. Uult autem esse in nobis perseverantem fidem, & continens studium in mandatis eius perficiendis. Non seruiui ad oculũ, ut solent loqui, sed obediens fui usq; ad mortem: igitur uos quoq; similiter facite. Dicit, reliquum est, ut me uicissim diligatis, ut sic seruetur uobis corona uitæ æternæ, præmium uestrum.

Hæc locutus sum uobis, ut gaudium illud meum maneat in uobis, & gaudiũ uestrum impleatur. Hoc est mandatũ meũ, ut diligatis inuicẽ sicut dilexi uos.

Gaudium meum, ut uos seruemini: uos diligo multum, & de salute uestra sollicitus sum. Volo ut uiuatis, non ut pereatis. Si seruaueritis præcepta mea, gaudiũ meum in uobis perfectum erit. Sicut supra de suo cibo loquebatur, ita hic gaudium meum dicit. Sic Christus omnibus modis ostendit, quàm tenero affectu suos diligat. Quid mirum est, si adeò de salute nostra gaudeat, qui etiam pro nobis passus est? Iterum repetit mandas

ta sua. Ne dicatis, quod est mandatum tuum, & in quo parebimus tibi? si abes, non possumus te sequi, neq; ungerere oleo: quid igitur à nobis petis? Petit fidem & dilectionem. Dilige propter Christum iam alios quoque, quos ille dilexit, qui etiam membra Christi sunt. In hoc mandato omnia alia præcepta recapitulatur, est enim adimpletio legis charitas, per charitatem poterimus omnes leges exponere. Quod charitas præscripsit, sit licitum & fas: quod contra est, illicitum & prophanum.

Hoc est.) Nam ego prior dilexi uos. Si salus proximi postulat, etiam non dubitabis periclitari: aliàs uirtutes Christi & dilectionem impossibile assequi.

Maiores hac dilectionem nemo habet, ut quis animam suam ponat pro amicis suis.

Posses dicere: Quamuis Christus dilexerit nos antea, sed illa quæ à nobis postulantur, ualde dura sunt, ut alteri suppeditem uictum, uestitum, et ea quæ frater opus habet in periculis. Dicit: Nihil est ad comparationem cum hisce, quæ à Christo acceperis. Non potest conferri aliquid ad eam dilectionem, quam Christus exhibuit. Paulus ad Rom. Inimici erant, quantum ad affectus: quantum autem ad Christum, semper amici, propter quos Christus passus est. Cap. 10. de pastore bono cõiunge his. Non maius opus charitatis, quam pro inimico mori. Sicq; morte Christi nihil sublimius potest nobis

commendari, quæ mors sufficit ad liberandum nos. Friuolum quod quidã nugantur, quasi cœnæ institutio, sicut ipsi cõminiscuntur, addat amplius aliquid ad charitatem quam Christus in cruce exhibuit, & quod plus sit carnem ad edendum dare, quàm mori in cruce, contra omnem scripturam. Dicit enim: Non potest maior charitas exhiberi &c. Nam charitas non consiluit in hoc, ut quis det carnem suam carnaliter manducandã. Quotquot credunt, isti uere manducant carnem. Et si quid amplius posset fieri, iam meritum passionis inueniretur: & posset quis dicere, Christũ non satis fecisse pro nobis, debuisset alia facere. Sufficiat igitur tibi ista charitas, & incipias Christum rediligere: unde in cœna uoluit nos memores esse sui beneficij. Huius etiã charitatis meminit Apostolus dicens: Annunciate mortem domini donec uenerit. Parũ erit si quid fecerimus fratribus, si respexerimus ad ea quæ Christus prior nostræ salutis gratia fecit.

Vos estis amici mei, si feceritis quæcunque ego præcipio uobis. Non post hac dico uos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus suus. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ audiui à patre meo, significauit uobis.

Suprà: Sicut dilexit me pater &c. Planè ego hæc

beo uos in numero amicorum, si ea feceritis quæ præcepero uobis. Quamuis Christus non dubitat de discipulis, tamē semper opus exhortatione ob soporem & socordiā habebant, sicuti & nos. Quasi dicat, Ego sciz ci quæ amici sunt, facite etiam uos.

Seruos.) Nō habeo uos in numero uiliū ministrorum, à quibus cōsilia mea abscondā, sicut nonnūquam seruis minus fidei habetur. Ego indicauī uobis uoluntatem patris mei. Quæ illa? quod dederit filium suum unigenitum, ut habeant uitam æternam. Illud est mysteriū. Si illud uero corde cognouerint, erunt amici dei, & habebunt spiritum sanctum testem in corde suo, per quem tanta arcana hominibus reuelantur. Igitur scizebant apostoli omnia quæ Christus locutus est? Non opus ut torqueas hic uerba, potius maneat in orbita: sed quæ proderunt uobis, talia nequaquam abscondi à uobis. Feci uos idoneos, ut fructum multum feratis.

Non uos me elegistis, sed ego elegi uos, & posui uos, ut uos eatis & fructū feratis, et fructus uester maneat: ut quicquid petieritis patrem in nomine meo, dem uobis (ego scilicet.)

Uidetis iterum Christum ad parabolam prædictā respicere. Ego do uobis scientiam, etiā spiritum, ut eatis scilicet & alios etiam adducatis, qui glorificent patrem

trem meum omni tempore &c.

LECTIO LXXIX.

Multis de causis Christus se comparat uiti, discipulos autem palmitibus. Ante omnia, quia uitis palmites adherent, & à uite succum accipiunt: ita discipulorum est, fide adherere Christo, sicq; participes fieri gratia spiritus sancti. Et sic commendat cum perseverantia illa charitatem quoq;: sicut ipse dilexit, ita & nos etc. Deinde, quia palmites frugiferi sunt, & suos botros ferunt, ita discipulorum est, ut fructus multos afferat. Qui fructus illi sint, auditum est, nempe ut multos Christo lucrificiāt, nullis parcentes laboribus. Vult dicere, Vestrum erit igitur multos afferre fructus. Nam omnia uobis supposito, nihilq; abscondo tanquam dilectis filiis, nempe ea quæ ad id negocij erunt uobis conducibilia. Amicos uocat, sed non multo post appellat etiam seruos, ut: Non est seruus maior domino suo. Quomodo hic dicit, Nō seruos? Si quis beneuolentiam Christi expendere uoluerit, non ultra uocantur serui, quandoquidem largiturus erat illis spiritum suum. Verum si quis de ministerio loquatur, manent serui, ut filij & amici seruiunt parentibus et amicis: nam nō omnia alijs serui tam prompta habent. Cum dicit, Quæ audiui à patre: putat insignia illa de nostra redemptione, quomodo fides etiam gentibus sit communicanda, & id genus, quæ non alijs ita manifeste docta sunt ut Christus indicauit.

Non me eleg.) Ita Ioannes in sua epistola, Non priores nos dileximus deum &c. Ab ipso initium & origo nostrae nobilitatis est. Nunquam ipsi accessissemus ad hoc ministerium, nisi à deo uocati essemus. In situm naturae nostrae, ut nostra potius queramus, quam aliorum, & potius terrena ista spectemus quam caelestia. Verum attracti per filium in spiritu sancto, incipiemus querere futura & caelestia. Elegerat quidem ante secula discipulos, ut & omnes electos: sed etiã speciatim elegerit illos in suum ministerium.

Posui.) In locum sublimem & in summam dignitatem, qualem neque prophetae acceperunt, quia illi soli Iudaicae genti praedicauerunt. Satis, nolo ut resideatis tanquam desidiosi: uestrum erit laborare, ut fructum afferatis. Non de fructu monasteriorum loquitur, ut precium longitudo &c. sed multos lucrificatis deo, & à uanitate huius seculi uocate illos ad cultum uerum dei: hiq; erunt fructus deo grati. Psal. Euntes ibant & flebant, portantes manipulos. id est, uberrimum fructum attulerunt.

Maneat.) Fructus discipulorum manet, & quotquot adhuc accedunt Christo, doctrinis discipulorum persuadentur, & qui uere adducti sunt, illi manent. Quamuis multae regiones à Christiana fide desciscunt, ut sub Mahometa, & in alijs prouincijs, uerum dominus nouit qui sint sui: nam illi sua ignauia desciscunt. Cer

tum est nomen Christi & apud Sarracenos florere, sed ignavi sunt, & non querunt quæ sit Christi doctrina, unde nequaquam excusationem habebunt. Electi ædificati super fundamentum apostolorum & prophetarum, dicuntur fructus apostolorum, nam per illos sumpsit ecclesia primordium.

Quicquid.) Hoc erat initio necessarium, cum totus mundus erat conuertendus ad deum: erat plantanda ecclesia, ut omnes illorum preces exaudirentur, etiam ad res externas tendentes. Si uero ad alia uoles referre, non repugno. Exaudiuntur preces nostræ ad gloriam Christi, prout ecclesiæ conducet. Neq; necessarium est, ut nunc tanta miracula fiant ut olim. Qui hodie nõ crediderint hisce miraculis per apostolos factis, neq; si noua fierent, creduli existerent: soli electi dei expendant miraculorum uirtutem.

Hæc mando uobis, ut diligatis inuicẽ.

Summa preceptorum meorum huc spectat, ut seruetis charitatem: & quod antea cõmemorauit, hoc epilogò isto repetit, in quo alia proprietas palmitum sequitur. Antequã resurgeret Christus, crucifigi cum oportebat: ita etiam de discipulis indicat, & ad patientiam hortatur. Vna cõditio palmitum ut purgentur: sic etiã discipulos Christi crux manet, & interim cum cruce multum fructus adferunt.

Si mundus odit uos, scitote quia me prius quàm uos odio habuit. Si fuissetis ex mundo, mundus amasset quod suū proprium. Quia uero non estis ex mundo, sed ego elegi uos ex mundo, propterea mundus odio habet uos.

Quod si uolueritis pergere in ministerio uestro, absque dubio pericula magna uos manent: exosieritis toti mundo. Mundū, mundanos homines uocat. Neq; illos solos uocat, qui uoluptatibus mersi & crassis erroribus impliciti, sed etiā illos qui per hypocrisim deū colūt. Nam pharisei, quamuis pleriq; abstinerent à uoluptatibus &c. tamen ob inuidiam recte mundani uocabantur, illisq; prædicatio Christi admodum grauis erat. Gentiles redarguti propter errores, uitia, luxum, & uanitatem suam, persequabantur apostolos. Item Iudei, & pharisei potissimum, qui alieni à fide, non poterāt probare doctrinam Christi. Ita fit ut omnis mundus persequatur euangelium: ideo oportet ne addicti simus hominibus. Pauli uox est: Si hominibus placere, Christi seruus nō essem. Matth. etiam 5. Beati estis cū probra iecerint in uos homines, & insectati fuerint, & dixerint &c. Poterimus facile omnia ferre, si cogitauerimus quod Christus prior passus opprobria, & alia huiusmodi. Mundus nihil odit in discipulis quàm hoc quod est Christi: id est, euangelium & ueritatem. Perpendite

pendite seculum nostrum.

Mundus.) Si uelletis eadē uia incedere ut alij, nihil periculi uobis immineret: sed cum elegi uos de mundo, haud mirū uos odio haberi. Christus alibi dicit, se misisse gladiū, ignem, etiam suscitare inter cognatos inimicitias. Et hoc hodie clarissime uidemus, ubi euangelium prædicatur, alijs mundus placet, alijs deus & uitæ puritas: tuncq; cogitationes cordium reuelantur. quasi dicat: Nolo uos esse participes huius mūdi: ex tenebris elegi uos. Hæc causa quare mundus uos odio habeat.

Memores estote sermonis, quem ego dixi uobis: Nō est seruus maior domino suo. Si me persecuti sunt, & uos persequentur. Si sermonem meum seruauerunt, & uestrum seruabunt.

Duplex persecutio est: persequuntur personam & doctrinam. Personam, dum uarijs tormentis apostolos affecerunt & opprobrijs. Doctrinam, dum non accepta, sed contempta est. Inter cætera autem fastidium maximum & tædium prædicatoribus nascitur, si uiderint nullos fructus. Sed hoc etiā accidit Christo et apostolis. Seruus in hac re non erit felicior & beator domino suo, sed potius eadem conditio erit.

Sed hæc omnia facient uobis propter nomen meū: quia nō nouerūt eum qui

me misit.

Ostendit nunc quàm graue sit peccatum illorũ, qui apostolos persequuntur, & illorum doctrinam cõculcaturi sunt. Procedit quidem partim ex ignorantia: sed quia prædicatũ euangeliũ, ignorantia illorum non excusabit. Est enim ignorãtia malitiæ, quæ nõ excusat.

Facient.) Id est, & uos & doctrinam uestrã condemnabunt. Quare? propter nomen meum: sordet eis illud. Multi nomẽ habent Christianorũ, sed persequuntur membra eius. Nam dum omnem salutem nostram fidei tribuimus, tunc explodimur. Cuius nomen queritur? nunquid nostrũ uel Christi? utiq; Christi: sed inde suscitantur discordiæ. Cauendum aut̃ omnibus modis, si quis patiat̃ur, ne tanquam fur uel malefactor patiat̃ur, ut Petrus in sua epistola ostendit. Fideliter Christiũ annunciemus, & si quid patiendum est, æquo animo feramus: illa solum discipulis cõtingent. Cæteri qui propter malam uitã perduntur, uel propter obstinationẽ, illi non propter nomen Christi patiuntur: quin potius illi ipsi sunt, qui nomen Christi cupiunt extinctum.

Nesciunt.) Quanta mea sit dignitas, & nesciunt istud mysterium, quod pater me miserit ob id, ne mundus pereat. Sic neq; Iudæi, neq; hæretici norunt nomẽ Christi, quia nesciunt nomen patris, nesciuntq; quanta beneuolentia deus genus humanũ prosequatur, ut postea iterum subiungit. Est igitur in illis ignorantia, sed
 crassa

crassa, quia nolunt à suo errore liberari, nam caro quidem ignorat quæ dei sunt. Cessat autem omnis excusatio, ubi Christus annunciatuſ fuerit, & homines repugnauerint temere.

Si nō ueniſſem & locutus fuiſſem illis, non habuiſſent peccatum. Nūc autem non habent excuſationem de peccato ſuo. Qui me odio habet, & odio habet patrem meum. Si opera non fe-ciſſem in illis, quæ nullus aliuſ fecit, peccatum non habuiſſent. Nunc autem & uiderunt & oderunt & me & patrem.

Non eſt uulgaris ignorantia, ſed planè damnabilis: quandoquidem nihil prætermiſſum eſt, quod ad liberandos eos pertineret. Chriſtus docuit eos, conatus auertere, uarijs modis ſuadendo, ut deſiſtant à ſuis iniquitatibus. Ideo dicit:

Si non.) Id eſt, nō habuiſſent peccatum iſtud: hoc non imputaretur eis, quod in me peccaſſent. Peccatum Adæ fuit in ſitū omnibus hominibus, ſed hoc quod commiſerunt in apoſtoloſ ex malitia, inexpiabile eſt: de quo etiā peccato expoſtulabit cum illis Chriſtus in iudicio extremo.

Peccato.) Id eſt, tā clara & aperta doctrina, ut plane nihil poſſent prætere. Cræſſæ erāt mētes illorum,

sed ob id non excusati, ut Paulus qui per ignorantiam peccarat: uerum nondum sic eruditus, neque obstiterat spiritui sancto.

Patrem.) Qui doctrinam Christi odit, etiam patris odit doctrinam: & talis neq; Mosen neq; prophetas audiet, quia Christus nihil aliud docuit, quam quae pater ipse docet, imò ea quae patrem declarant, docuit. Vnde qui auersatur doctrinam Christi, is profectò etiã patrem auersatur. Sed fortassis illi possent se excusare, non esse temere credendum ei, qui se dicat esse filiũ dei. Addit etiam hoc grauare peccatum eorum, quod miraculis probauerit suam doctrinam.

Opera.) Id est, Si non operatus fuisset tanta miracula inter illos, qualia nunquam à condito mundo facta sunt, quae et uiderunt scilicet me operantem, aliquo modo excusarentur: sed nihilominus me oderunt. Dicis, Quomodo oderunt patrem? Ita, quia omnia miracula Christi operata sunt in gloriã patris. Suprà, Qui me uidet, & patrem uidet, propter uirtutem diuinam, quae in Christo erat. Ita qui honorificat filium, ille etiã patrem honorificat. Non enim poterimus patrem & filium à se inuicem separare.

Sed (hoc accidit) ut impleat sermo, qui scriptus est in lege illorum: Odio habuerunt me gratis.

Librum psalmorum uocat legem & totam scripturam

ram, non solum libros Mosi. Hunc locū habemus psalmo 119. qui ad omnes iustos quidē pertinet, potissimū tamen impletur in Christo. Et si omnes iusti ita clamēt, uentus tamen declarauit omnia illa in Christo. Sicq̄ spiritus sanctus præuidit illa omnia.

LECTIO LXXX.

Christus sermonem à parabola incepit, nempe à uite, et palmitum, ne temere ab illa dilabamur. Dicitum quomodo palmites purgandi sunt, nimirū cruce, ut in hoc apparet, eos Christum sequi, qui antea uaria passus est ab ijs, qui doctrinam eius contempserant. Quia igitur prædixit affuturas discipulis suis tribulationes, ostendit nūc qua ratione uires habituri sunt ad ferenda huius seculi mala. Palmites sanè admodum teneri sunt, & quouis uento, uel minimo flagello possumunt decuti, sed habentes succū à uite seruantur: ita spirituales palmites à spiritu sancto, & gratia Christi fouentur, qui spiritus est quasi succus manans ex uite & conseruans discipulos in tribulatione. Vnde quia multa de tribulatione commemorauit, etiam de corroboratione iam narrat ipsius spiritus, quem daturus erat.

Cum autem uenerit in hortator, quē ego mittā uobis à patre, spiritus ille ueritatis, qui à patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Quin & uos te

stes estis, quia ab initio mecum estis.

Planè humane uires omnes imbecilliores sunt, quàm ut sufficiat resistere Antichristo, & impetui huius mundi. Diuino igitur auxilio opus est.

Inhortator.) Fatemur catholica confessione spiritum sanctum esse uerum deum, indiuisum à patre & filio natura. Fuit autem inter Græcos & Latinos non parua dissensio, an spiritus sanctus à patre & filio proficiscatur, uel an à patre solum: tandem redigerunt in concordiam, spiritum sanctum à patre descendere tanquam ab uno principio &c. Latini suspicabantur Græcos nonnihil Ariani erroris habere, & minus tribuere filio quàm patri, ideo clarius tradiderunt: sed certamen fuit uerborum, nõ ex ipsa re. Hic manifeste habes, quod à patre & filio, quia dicit: Quem mittam. Postea: Qui à patre procedit. Deinde, quod magis huc spectat, considerandum est, quomodo cõsortemur à spiritu sancto, qui paraclitos uocatur hic. Pleriq; consolatorem uertunt, non indignum nomen. Sed si proprietatem dictionis respexeris, est παρακλητος, quasi inhortator & incitator: quia nos natura admodum tardi & infirmi sumus ad cognoscenda quæ dei sunt, opus est spiritu, qui nos agat ad bona facienda, in quo naturam spiritus potissimum cognoscimus. Nam si semper tardus fueris in his quæ dei sunt, nec sentis actorem, ut sobrius sis & strenuus ad ea quæ dei sunt, certum indicium, tibi deesse

esse paracletum. Proinde orandum ut paracletus ad-
sit, ne ita tepidi simus ad faciēda quæ dominus præscri-
bit. Alij interpretantur quod sit aduocatus: sed magis
placet Chrysoſtomi expositio. Videmus naues in mari
absq; uento non posse ferri: quod si sequūdo uento utun-
tur, conficiunt iter maximum breui tempore: si aduer-
sus uentus, nihil proficiunt, sed potius retrocedunt. Ita
nobis continget: nisi afflati fuerimus diuino spiritu, qui
uere meretur appellari uentus, nihil proficiemus. Pau-
lus ad Rom. Hi sunt filij dei, qui spiritu dei feruntur &
agūtur. Neceſſe ut aliquo spiritu feraris. Si malus præ-
ualuerit, uide cui sis obnoxius.

A patre.) Recte hoc dicit: nam filius impetravit
spiritum sanctum: in manus filij data sunt omnia. Qui
saluantur, filio dati sunt, etiam eius hæreditas sunt &
speculum, ut in psal. Postula à me, & dabo tibi gentes
hæreditatem tuam. Neq; nostro merito datur nobis spi-
ritus sanctus, sed benignitate Christi, per quam tantam
dignitatem accipimus, ut bene possimus operari. Spi-
ritus ueritatis docet omnem ueritatem, & ut mendacia
agnoscamus, & tenebras à luce. Animales non perci-
piunt quæ dei sunt, nisi diuino numine aspirati.

Testimonium.) Tunc uere cognoscetis ex spiritu
quem ego suppedito, omnia uera esse quæ prædixi, &
me filium esse dei, redemptoremq;. Proinde etiam ido-
nei eritis ad testimonium ferendum uniuerso orbi. Ideo

elegi uos, ut sitis testes, neque frangamini in medijs aduersitatibus uestris.

CAPVT XVI.



Haec locutus sum uobis, ut ne qd offendamini. Facient uos excōmunicatos. Sed ueniet tempus, ut quisquis interficiat uos, uideatur cultum præstare Deo. Et hæc facient uobis, quia non nouerūt patrem neque me.

Scit imperfectionem nostram & infirmitatē Christi, unde Apostolus dixit, Ne offendamini. Vix aliud est, quod ita mentes hominum perturbat, ut cum uidemus uiros maxime impios, omnibus felicitatibus gaudere: in summa, nihil illis deest. Præterea uidemus sanctos & electos dei uaria pati, unde nonnunquam tentantur electi, ut Habacuc, Iob, Hieremias: & in psalmis sæpe occurrit, ubi sancti huiusmodi affectiones sentire permittuntur, quo maiorem inde consolationem accipiant. Offensi sunt discipuli in ipso capite Christo: non minus postea offensi fuissent in mēbris eius, nisi per spiritum domini confortati fuissent. Vnde enim est, quod tempore tribulationis tot millia hominum deficiunt, quæ per crucē? Beatus qui non scandalizatur in electis dei, & persecutionibus presentibus. Ideo Christus præmonuit,

mut, imminere multas tribulationes: & nos putamus quasi omnia nobis arridere debeant felicia. Vult dicere Christus: Propterea hæc locutus sum uobis ne offendamini, bonum est ut illa sciatis.

Faciunt.) Non ferent uos in eorum congregationibus, eijcient uos tanquam pessimos omnium mortalium. Apparet illo tempore excommunicatione fuisse in usu, & certe salubre remedium erat, quando legitime utebatur illa. Scriptura abutitur mali, ideo non mirum eos etiam hoc remedio saluberrimo abuti. Ex lege præscriptum, alienigenas, ut Moabitas, & alios imundos, non in synagogam intronitti. Et qui Christum sequebantur etiam excludebantur: sed non contenti illa excommunicatione &c.

Veniet.) Putant esse gratissimam uictimam, si quis occiderit apostolum. Adeo sæuit mundus contra eos, qui ueritatem annunciant. Absq; omni conscientia uos perdent, tamq; crassa erat illorum ignorantia, ut heri dictum est. Occident uos, putantes se obsequium præstare deo. Sed mala est illa ignorantia, quæ peccat in spiritum sanctum: malus est etiam istorum cultus, quia deus non sic colitur.

Quia nesciunt.) Quare promissus Christus patribus: ut cognoscamus diuinam bonitatem. Non excusant hæc Iudeos, sed culpabiles potius facit.

Sed hæc locutus sum uobis, ut cum ue-

nerit tempus illud, reminiscamini illorum, quod ego dixerim uobis.

Proderit uobis hæc olim meminisse. Ita enim ferè accidit, ut inopinata grauius feramus, præuisa autem minus. Sapienti nihil nouū accidit, propterea quia omnia sapiens præcogitat posse homini accidere, & ob id æquiori animo solet ferre: quæ apud Ciceronem in Thusculanis questionibus & Senecam satis clare inuenies. Quamuis ipsa præcogitatio non habeat uim leniendi dolorem, imò solet nonnunquam duplicare dolorem, nisi homo alioqui bene affectus fuerit, & ratio alioquo modo collecta & subdita deo, tunc patientior erit. Etiam discimus, omnia illa adimpleri debere, quæ per Christum prædicta sunt pericula.

Hæc autem uobis ab initio non dixi, quia uobiscum eram. Nunc autē uado ad eum, qui misit me, & nemo ex uobis interrogat me, quò uadam (uel uadis.)

Ab initio potuisssem uos sic cōsolari, sed nolui: nam principio Christus adeò suauiter tractauit discipulos, & in nulla re permisit penuriam illos pati. Emisit sine pera & baculo &c. quoniam noluit illos terrere principio. Potuissent dicere, Domine, si dixisses ab initio illa, non secuti fuisssemus te. Respondet:

Non dixi.) Illo tempore eram uobiscum: tuti & securi

securi agebatis cum pastor aderat. Quandiu sponsus
præsens est, gaudent amici cum eo &c.

Nunc uado.) Id est, manifeste uado: quia ubi re-
surrexit Christus, adeò manifeste cognoscebatur glo-
riam dei accipere, ut nullus quæreret quò iret, nã adeò
certum omnibus erat. Ita hoc loco indicat se ablaturum
corpus suum: nihilominus adest nobis, etiam si corpus
Christi non sit præsens: localiter dico. Vult dicere: Ex-
pleto ministerio, redeo ad patrem, id sit uobis palam.

Sed quia hæc locutus sum uobis, mœ-
stitudo impleuit cor uestrũ. Sed ego ueritatẽ dico uobis, expedit uobis, ut ego
uadã. Si enim non abiero, incitator ille
nõ ueniet ad uos. Sin autẽ abiero, mit-
tam illum ad uos.

Ecce uel hinc licet uidere uestram infirmitatẽ: cum
multa uobis promittam, adeò teneri estis, addicti carni
meæ, ut mœror possideat cor uestrum, quasi hoc mul-
tum faciat ad perfectionem, carnali Christo asidere:
ut ad Corinth. Non secundum carnem cognoscimus
Christum. Vbi autem agnouerimus illa beneficia, per
ipsa assurgimus ad ampliora ista, quæ in Christo co-
gnoscenda, nempe diuinitatem. Christus non uult ita
carnales. Et manifeste qui uolunt uindicare Christi man-
dicationem uel præsentiam in pane, ut æque sit nobis

scum atq; in caelo, pugnant cum hoc textu. Qui expendit textum, non poterit negare, quin corpus suū Christus abstulerit à nobis. Non dicit, ut corpus meū sit invisibile, sed dicit se abire. Qui in nocte tecum est, is tibi invisibilis est, nec à te abiit. Ideo manifeste dicit, Nisi abiero, non agemini uero spiritu.

Expedit.) An licet nobis dicere, Christum aliquid facere, cuius nulla sit utilitas? Absit: attamen in capite 6. satis manifeste audistis, quod caro nihil prodest: non ut carnem à spiritu separemus, sed si addicti carni, nihil proderit. Quādiu Christus praesens apostolis, pueri erant, & magis pedibus sequebantur Christū, quā animo. Quādiu in elementis haeremus istius mundi, uel in sola carne, & putamus omnem religionem in ea sitam, uidete quō feramur, & quando spirituales futuri simus. Christus si sublimatus fuerit, dicit se spiritum sanctum missurum.

LECTIO LXXXI.

NE discipuli grauitate aduersitatum & aerumnarum grauentur, dominus promittit illis spiritum sanctum adiutorem et corroboratorem, & quanta illis spiritus sanctus facturus sit, ostendit: praemittit tamen, quod non sint capaces spiritus sancti, nisi ipse abierit primum. Nam nisi crediderimus & intellexerimus Christum sedere ad dexteram patris, quomodo poterimus

poterimus nobis polliceri, spiritum sanctum per filium
concedi nobis?

**Et cum uenerit ille, arguet mundum
de peccato, & de iustitia, & de iudicio.**

Tria officia dat spiritui sancto. Varie hic locus in-
terpretatus est: sententiam autem clare uobis propo-
nam, si uolueritis capere. Quandoquidem solemus ab-
errare natura à uia ueritatis, spiritus sanctus autem is
est, qui docet uias, adducentes ad ueritatem. Non recte
credendo aberramus: & sic arguitur totus mundus.
Deinde opus nobis est, ut in rectā uiam ingrediamur,
in quam mundus non ingreditur: & illam uiam osten-
dit spiritus sanctus, quæ est uera iustitia. Deinde expe-
ctamus præmium si bene egerimus, & ad metam pro-
positam cucurrerimus. Vt autem remuneremur, uel
etiam puniamur propter peccata, opus est iudicio. In-
dicat spiritus sanctus, quod uerum iudicium sit, quomo-
do mundus iudicandus, & quomodo filij liberabuntur
in iudicio. Nihil talium carnalis homo potest per se co-
gnoscere. Nam philosophi, et si uisi sunt sibi sapientissi-
mi, tamen non recte de ijs iudicarunt, qualis beatitudo,
felicitas, uirtus, iustitia &c. Vnde opus spiritu sancto,
qui mundū arguet de peccato. Vnde seipsum exponit:

**De peccato quidē, quia non credunt
in me.**

Mundus & mundani multo aliter definiunt peccatum, uel etiam errorem. Non putant illos errare, qui sectantur uoluptates huius mundi, sed uidentur eis sapientes. Alij magis species uirtutum, quàm uirtutes sectantur. Spiritus sanctus autem demonstrat ubi aberratur. Est igitur perfidia uel incredulitas, uera radix omnis radix omnium aliorum peccatorum. Nam quod non est ex fine, peccatum est. Multi ex Iudeis qui putarunt se iustos, & non peccare, si eleemosynas darent, ieiunarent &c. sed cum non crediderunt in Christum, quid uita eorum nisi peccatum? quia Christus ipse uia, ueritas & uita. Qui Christum ueram uiam non agnoscit, aberrat. Iam qui Christum non recipiunt, neque patrem honorificant. Vnde sequitur, quod non sit uera religio apud illos, sed mera impietas & hypocrisis potius: quia omnia quae homo solet facere Christo nondum cognito, proficiuntur ex pectore inuoluntario. Adeo infecta est humana natura, & ita procliuis ad peccandum, ut semper malit peccare, quàm benefacere, si suo pte ingenio relinquatur. Mallet facere diuersum, si uel aliquid facit: si immineret aliquod periculum, absterneret ab illo bono opere. Vnde apparet, quod illa non sint uera bona opera. Vbi Christus fuerit cognitus, ibi peruenitur ad dilectionem dei, & ad opera deo grata. Ideo datur spiritus, ut homo sit uoluntarius, promptius ac alacer ad bona facienda: & si quid facit, faciat toto corde.

de. Multi ex philosophis damnarunt scriptis idololatricam, sed non ex toto corde. Adulati sunt plebi: quod iudicium est fidem ueram in illis nō fuisse. Ita unum est peccatum, incredulitas, quod potissimum etiam condemnat hominem. Si uera fides in homine, cætera peccata nō imputarentur illi. Sufficit igitur fides sola, ad delenda omnia peccata: loquor de uera. Videtis uias quæ nos ducunt ad uerā beatitudinē, quas mundus ignorat.

De iustitia autem, quia ad patrē uado, & posthac non uideris me.

Non satis est non aberrare, sed oportet etiam in uia recta incedere: unde etiam necessaria est nobis iustitia. Vera autem est in Christo, quæ etiam uera fides est. Dicit in hoc cōsistere iustitiam, quia uado ad patrē. Videte igitur quantum sit sentiendum de Christo. Ne de illo humiliter sentias, tanquā de puro homine, sed ut de deo uero & homine. Si igitur coluerimus illum, et adorauerimus etiam in spiritu, tunc ueniemus ad ueram iustitiam. Iudaica iustitia, quæ in operibus consistebat, non erat uera. Christus ergo nostra iustitia, sanctificatio, intercessorq; pro nobis apud patrem. Ita abit ad patrem, ut iam non uersetur inter homines, sicut antea quando nobis seruiuit.

De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.

Vidistis quæ uia abducant à beatitudine. Christus uia est. Deniq; restat iudicium, ut hi qui aberrant condemnentur. Vbi Christus est, ibi erunt etiam pii, qui in uia iustitiæ illum secuti sunt. Sed de impijs longe alia res est. Hoc terret mundum, quod omnis iustitia est in Christo, quem mundus condemnauit, & cuius iustitia maxime prædicatur. Aegrefert mūdus etiam iudiciū. Si princeps mundi condemnatus est, utiq; omnia membra eius, & totus mundus. Quia per crucem suā Christus diabolum uicit, & eiecit è pectoribus fidelium, non mirum igitur si etiam cæteri posthac nihil poterint aduersus pios. Discipuli etiam prædicantes arguent mundum. Quamuis adhuc expectet diem istum terribilem satan, qui mundi princeps dicitur: sed posthac tam demum ipse tam omnes qui ei seruiuerunt, condemnabuntur: hoc graue iudicium mundi. Considerate igitur illos homines, qui magis sequi uolunt tenebras quam lucem, quid agant, & quid eis expectandum sit in terribili aduentu domini. Docetur mūdus quotidie in quantis malis sit, quanta mala etiā expectet. Sed hoc aegrefert mundus, propterea persequitur iustos. Inde autem non turbabuntur pii, etiam si affligantur: habebunt spiritum sanctum assistentem, qui roborabit ipsos ne pereant & deficient.

Exo pro
possum.

Adhuc multa possum dicere uobis,
sed non potestis portare nūc. Cum au-

tem uenerit ille, qui est spiritus ueritatis, deducet uos in omnem ueritatem.

Summatim hæc uobis dixi, tamen si adhuc multa essent dicenda, sed uideo uos esse impares, præsertim hac hora, quia estis tristes & grauati. Non quod Christus non indicarit eis summa illa mysteria, & summa illorum quæ docenda erant: uel quod spiritus sanctus alia docuerit quàm Christus: nihil tale est suspicandũ: nam postea iussi sunt docere & prædicare quæ Christus docuit: neq; spiritus sanctus cõtraria docuit. Quod ideo dico: sunt qui hoc loco abutantur: non solum dicunt spiritum sanctum multa adiecisse, sed etiam episcopos posteriores multo perfectiora tradidisse quàm apostolos: & quædam omissa, quæ posterioribus seculis reuelanda essent: ita suas ceremonias & traditiones solent defendere. Indigna sunt hæc spiritui sancto, quæ si Christus non satis docuerit ecclesiam. Vult dicere: Frustra nunc pluribus agerẽ, quia adhuc carnales estis, neque uobis sapiet id genus doctrinæ: sed postea spiritalibus grata ea omnia erunt.

Venerit.) Ille incitator. Adhuc uobis graue est, quod uobis eundum sit in uniuersum mundum, & taxare reges, principes, phariseos, & omnes quos mundus obstupescit: sed ubi spiritus sanctus uenerit, non molestum erit. Sequitur:

Ducet.) In ueram ueritatẽ: ostendet uobis uiam.

Quod nunc tanquam carnales non potestis, ullo modo capere, hoc uberrime accipietis à spiritu sancto. Nō relinquet uos desides, sed ducet, & alacres faciet. Omnis ueritas promittitur discipulis, quæ saluti nostræ est necessaria & conducibilis.

Non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audierit, loquetur, & quæ futura sunt, annuntiabit uobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit uobis.

Loqui à seipso, mendacium est. Spiritus sanctus nō à seipso loquetur, ideo uera profert: hoc est, non loquitur alia, quam quæ & pater, & quæ ego locuti sumus, uel loquimur. Christus etiam dicebat, se non loqui à seipso, quamuis uere: sed uoluit indicare se non dissidere à patre, quia eadem natura cū patre. Spiritus sanctus omnia à patre & filio accipiet. Non putes segregatas esse naturas in illis, ut ipse aliud loquatur per se.

Ventura.) Ut sciatis illum etiam diuinū esse, non esse creaturam puram.

Glorificabit.) Hæc nota spiritus sancti, etiam doctrinæ, si Christum glorificet. Omnes doctrinæ quæ à gloria Christi abducunt, certum est quod non sunt à spiritu sancto: nam proprium spiritui sancto, ut glorificet Christum. Futura dicet, sed omnia cesura sunt in gloriam

gloriam meam, tantum abest, ut diuersum dicat à patre & filio. Non dicit autem simpliciter, quod eadem sit docturus, sed glorificabit. Qui de Christo loquuntur adeò frigide & somniculose, metuentes quasi nimium tribuant Christo, si æqualem cum patre doceant, si omnem potestatem ei dent, illi nequaquã spiritu sancto afflati docent. Ita quidem prædicandus est Christus, ut glorificetur.

Annunciabit.) Illa propter nos fient. Scriptura solet loqui, ut nos sentimus diuina beneficia.

Accipiet.) De illa plenitudine quæ primum in me, tanquam in capite tota residet, de illa etiam uobis distribuam. Spiritus domini residet in Christo, & manet super eum plenitudo: nos ad mensuram accipimus, ut supra cap. 10. De plenitudine eius accepimus omnes. Spiritus sanctus accipit à patre & filio, quia ab illis procedit. Vult dicere, Ea quæ cognoui apud patrem, illa uobis per spiritum sanctum reuelabuntur, & quæ iam ut carnales intelligere non potestis, per illum uobis manifestabuntur.

Omnia quæcuncq; habet pater, mea sunt. Propterea dixi, quod de meo accipiet, & annunciabit uobis.

Antipophora est. Si quis querat, Si spiritus sanctus à te accipiet, nunquid etiam à patre? Suprà dixit, Non loquetur à seipso. hic dicit, quia de meo accipiet, ut si-

Ca. XVI ANNOT. IOAN. OECOL.

lius per omnia uideatur & habeatur equalis cum patre. Dicit igitur: Quando de meo accipiet, etiam de patris accipiet, quia mea sunt accepta à patre. Totam suam substantiam, totam naturam, scientiam, beatitudinem &c. in me transfudit. Omnes electos quos pater praeuidit, mihi praeuidit. Dum ego uobis spiritum communico, pater etiam communicat. Ideo dixi uobis &c. Non ita de meo accipiet, quasi excludatur propterea pater: sed ita, quod à patre accepi, illud annuntiabit uobis, ut sciatis illa esse diuina bona, & superne concessa.

LECTIO LXXXII.

Iterum consolatur discipulos suos à breuitate tristitiae, & à magnitudine gaudiorum, quae secutura erant, & dicit:

Pusillum & non uidetis me, & iterum pusillum, & uidebitis me, quia ego uado ad patrem.

Pusillum tempus, uocat tempus passionis. Id est, paruo tempore ego patior, ut infra seipsum exponit. Et iterum paruum tempus à die resurrectionis & ascensionis: uidebitis me euntem ad patrem, id quod maxime me letificabit uos. Sicut passio mea ad breue tempus contristabit, ita abitus ad patrem, ut transferar in caelestem gloriam, letificabit uos. Euangelista perquam diligenter uerba ista inculcat, non semel, sed tertio & quarto.

quarto. Neque solum discipulos suos consolatus est dominus, sed nos quoque. Parum est quicquid patimur per tempus huius vite: inde enim secuturum est gaudium, quod ad longissimum tempus duraturum est, id est, perpetuo, quodque mox sequetur.

Dixerunt ergo quidam ex discipulis illius inter se: Quid est hoc, quod dicit nobis, pusillum & non uidetis me, & rursus pusillum, & uidebitis me, & quia ego uado ad patrem?

Non erat hoc admodum obscure dictum, si quidem potuissent discipuli capere quae antea dicta erant, cum toties Christus de morte sua, de resurrectione praedixisset: sed tenebantur oculi eorum ne agnoscerent. Quam puerilis ignorantia, tam honesta interrogatio. Est enim non minimum peccatum, sponte uelle ignorare ea quae ad nostram salutem sunt necessaria & conducibilia. Quasi dicat: Quis ex uobis est, qui obscurum hunc sermonem potest capere? Omnino oportebat illos intelligere, cum toties praedixerat se moriturum.

Ad patrem.) Obseruate superius dictum. Non ponit coniunctionem, &, sicut discipuli hic ponunt, qui duas orationes faciunt. Dicit, Videbitis manifeste quod ascensurus sim. Illi disiungunt, non quod uelint diuisum, sed admirantur per hoc.

Dicebāt ergo: Quid est hoc, quod dicit, pusillum? Nescimus quid loquatur.

Confirmat hoc Euangelista, quod antea dixerat, neque contentus semel dicere: & dum repetit, insinuat quod diligentes sint discipuli in inquirendo. Quasi dicat: Diligentissime interrogabant inter se discipuli: quid est futurum? nunquid euanescet ex oculis nostris? non possumus capere.

Cognouit autē Iesus, quod uellent ipsum interrogare, & dixit illis: De hoc quæritis inter uos, quod dixi, pusillum & non uidetis me, & iterum pusillum & uidebitis me.

Ex hoc poterant cognoscere diuinitatem Christi, cum arcana cordium, & occultas cogitationes eorum cognoscebat: hocq; frequenter inculcat Euangelista noster, quo magis ad diuinitatem Christi respiciamus.

Volebant.) Tamen prius inter se expendebant hunc sermonem, ne temere præceptorem suum noua interrogatione interturbarent. Cum autem sibi mutuo satisfacere non possent, statuere illum interrogare.

De hoc.) Non me latet, quæ sit uestra disputatio. Verbum hoc quod dixi uobis, obscurius est. Interpretabor itaq; uobis, quidnam per illud significem.

Certe certe dico uobis, plorabit &
lamens

lamentabimini uos, mundus cōtrā gau-
debit. Vos aut̄ mœrore afficiemini, sed
mœror uester uertetur in gaudium.

Hæc est interpretatio obscurioris dicti, & illa om-
nia pertinent ad breue tempus. quasi dicat: sequetur
tempus illud, ut & gauisuri sitis, & pusillum ploratu-
ri. Nam Christo patiente dispergebantur discipuli. In-
terim mundus, summi pontifices, & alij, qui odio habe-
bant doctrinam Christi, quasi actum esset de Christo,
& quasi extinxissent illius doctrinam, gaudebant.

Mœror.) In illo pusillo tempore, quod tamen ad
consolationem pertinet, patiendum est. Deinde iterum
parum temporis restat, quo eundum ad patrem mihi
est. Id est, ero aliquo tempore uobiscum, tunc uidebi-
tis me, & uidebitis ascendentem in cœlos, futurumq;
participem paternæ gloriæ: & illud gaudium non est
paruum. Licet Christus breue tempus uersatus sit cum
discipulis suis, tamē infrā ostendit perpetuò illis se non
abesse. Talis erit rerū uicissitudo, ut mundus qui nunc
gaudet, iterum incipiat tristari. Ita diuina providentia
constituta sunt omnia, ut filij Dei patiantur paruo tem-
pore: Mali autem primo gaudent, sed postremo luctus
omnia occupat.

Mulier cum parit, dolorem habet,
quia uenit hora eius: cum autem pepe-

rerit puerum, iam non meminit anxietatis, propterea quod gaudeat hominē esse natum in mundo.

Ita res uestræ sese habebūt, ut causa mulieris pueræ peræ. Illa sub horam parturitionis suæ incipit plurimum contristari, scit adesse uarios dolores: sed hac re consolatur, quia breuis est dolor. Vbi autem transierit ille, & ubi natus est puer, iam non meminit doloris sui. In Apocalypsi similis est modus loquendi de muliere, quæ peperit filium. Quæ similitudo ad ecclesiam attinet, quæ nunc in mœroribus agit, posthac sempiternis gaudijs fruitura &c.

Et uos igitur nunc quidem mœrorem habetis, sed iterum uidebo uos, & gaudebit cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollit à uobis.

Vos nunc mœrorē habebitis in passione mea, quia prædico uobis me moriturum. Verum iterum uidebo uos, scilicet resurgens ex mortuis. Quamuis alij intellegere uelint de reuelatione Christi, qua cordibus se reuelet: uel etiam de futuro gaudio, ubi facie ad faciem Deū uidebimus: sed malo simplicissime exponi, ut omnia cohæreant. Erit non unius diei gaudium, sed perpetuum, quia posthac non sum moriturus, & nulli corruptioni obnoxius. Quasi dicat, omnis felicitas sita est in me.

in me. Certi estote, mihi nihil mali potest amplius acci-
dere: hocq; uos ut ueros discipulos plurimum exhilara-
bit, certissime scio.

Et in die illo me non interrogabitis
quicquam. Vere uere dico uobis, quæ-
cunq; petieritis patrē in nomine meo,
daturus est uobis.

Non solum ego immortalitati ero obnoxius, sed &
uos felices eritis, & ita uidebitis me glorificatū, ut non
opus sit interrogatione. Vel ad spiritum referte, qui om-
nia dabit eis, ut non opus habeant rogare. Iam nihil de
gloria mea noscitis, sed cum ascendero in cælum, om-
nia manifesta fient uobis. Rogare, est interrogare hic.
Suprà se daturum, hic uero patrem, dicit: ut iterum co-
gnoscatis eandem esse patris & Christi potestatem. Di-
xi quid sit petere in nomine Christi, nempe petere quæ
ad gloriam Christi, & dilatationem nominis illius spe-
ctant. Sæpius indicatum est, quomodo nos cum magna
fiducia orare debeamus, & quod conducibile est ani-
mæ nostræ, hoc Deum daturum. Atqui de apostolis spe-
cialiter ea dicuntur, siquidem opus maiori gratia habe-
bant, ut conuerterent mundum, qui totus erat deditus
idolis, & sine miraculis ægre adducere potuissent.

Hactenus non petistis quicquam in
nomine meo. Petite, & accipietis, ut

Ca. XVI ANNOT. IOAN. OECOL.
gaudium uestrum sit perfectum.

Hactenus cum uersarem in mecum, contenti eratis
mea cohabitatione: neq; diligenti studio orabatis, nos-
men meum sic praedicari & dilatari: sed petite & acci-
pietis. Certum est Christo ascendente in caelos, conue-
nisse apostolos in unum, & deditos precibus fuisse usq;
in diem Pentecostes, nimirum petentes, ut dominus mit-
teret uirtutem ex alto, quem admodum edocti erant.

Perfectum.) Quod gaudium? Nunquid ut beati
ipsi essent, an hoc debebant orare? nequaquam. Quod
igitur gaudium? Christum maxime celebrare. Sicut do-
lor eorum Christum crucifigi, & contumelijs affici, ita
gaudium Christum glorificari. Hoc orare est, ubi nos-
men Christi glorificatur: hoc autem non poterat fieri
nisi accepto spiritu sancto. Sicut Christus uult nos do-
cere, per uerbum suum, ita etiam uult dona sua comu-
icare nobis orantibus. Electi iam erant apostoli, ut pra-
dicarent toti mundo: deficiebant uires, proinde super-
no auxilio opus habebant, neque tentabant dominum,
sed ut iussi à domino, petebant,

Hæc locutus sum uobis in prouer-
bijs. Veniet tempus, cum iam non in
prouerbijs loquar uobis, sed libere an-
nunciabo uobis de patre. In illo die pe-
tetis in nomine meo.

Locutus

Locutus sum aliquanto testius uobiscum, nam reuera non sunt cōmunes parabola, quales & apud Solomonem, & alijs prouerbijis. Et apostoli admodum carnales, & nondum capaces tantæ doctrinæ, ideo adijcit:

Vobis.) Tanquam infirmis, ut Apostolus ad Hebræos 5. dicit: Lacte opus habetis, nō solido cibo. Alijs doctrina lac est, alijs solidus cibus: alijs uidetur aperte dictum, alijs obscure: & prout cuiusque labia saporem habent, ita uerbum Dei sapit. In prouerbijis Christus locutus est: non quod postea clariora dicta sint, quàm ea quæ Christus dixit: sed quia carnales apostoli adhuc, nondum accepto spiritu sancto, abstrusiora illis omnia uidebantur.

Veniet.) Id est, ubi suppedita uero uobis spiritum sanctum, tunc manifeste annunciabo uobis patrem. Spiritu sancto corda illorum illustrante, capaces erunt mysteriorum, & recte orabunt. Vnde subdit:

In illo die.) Vbi spiritus sanctus communicatus fuerit, & ubi annuncia uero cordibus uestris, quod sum filius ille Dei, æqualisq; patri, tunc uerba illa non erunt uobis obscura, & cor uestrum ardebit.

Nomine.) Id est, ut celebretur nomen meum. Marci 16. habemus dictum illud: Ite in uniuersum mundum, & prædicate Euangelium toti mundo. Vtique discipuli memores præcepti illius.

Et non dico uobis, quod ego rogatu

rus sim patrem pro uobis: Ipse enim pater amat uos, quia uos me amastis, & credidistis, quod à deo exiuerim. Exiui à patre, & ueni in mundum: iterum relinquo mundum, & uado ad patrem.

Confirmat eos ut fidenter petant, quæ sunt in nomine suo petaturi. Tunc fidenter petimus, quando scimus eos, quos rogamus, plurimum fauere. Dicit: Non dico, quasi iam primum conciliem uobis patrem: quia ab æterno electi sunt filij Dei in me Christo. Deinde in patiendo Christus orauit patrem: sed sic tamen, non quod patrem dilexerimus nos, ut in 1. Ioan. 4. Alioquin scimus Christum esse aduocatum nostrum, quia dignitas Christi in oculis patris tanta est, ut exaudiri mereatur quotquot electi sunt in Christo: & propter hoc dicitur pro nobis intercedere. Non opus ut crasso modo imaginemur Christum, uel flexis poplitibus, uel uerbis uti uocalibus: neque opus ut tali modo petat, quali nos petimus: impetrauit illa omnia, neque huiuscemodi opus habet precibus: nihilominus dicitur aduocatus noster, ad spem conficiendam nobis. Videte, non uult hoc dicere, quod amor patris incipiat ab amore discipulorum: nam etiam amare Deum, est donum Dei.

Sed maiori charitate ipsos prosequitur, ut supra exposuimus.

LECTIO LXXXIII.

Adhortatus erat Christus discipulos ad precandum, addita promissione, ut quicquid peterent in nomine suo, daturum se illis. Porro quoniam omnes preces decet esse fideles, absque hesitatione, & fundi magna fiducia in Deum oportet: eapropter ut confirmet animos illorum dicit illis, quantum diligantur à patre suo, ita ut omnino confidant se omnia impetraturos. Nulla enim opus habet intercessione, ut in numero dilectorum habeantur. Ideo dicit,

Non rogabo.) Porro ista oratio non derogat intercessioni Christi, quia est unicus noster mediator inter deum patrem, & inter nos. Ita enim ille intercedit, & ab æterno dilectus fuit patri, ut propter illum accipiamur, & propter illum fides nobis concedatur, & ita per illum iam facti sumus dilecti, ut nunc cōfidenter oremus, tanquam amati à Deo patre. Dicit se Christus oraturum pro his, qui accepturi sunt spiritū sanctum, & illam abundantiam bonorum. Tales enim iam antea reconciliati sunt patri. Vnde addit,

Diligit uos.) Id est, non opus ut orem patrem, quod uos diliget: Nam qui non sciunt se diligi à patre, minus orant, uel absque fiducia orant. Oratio sine fide, nihil impetrat apud Deum. Discipuli igitur iam erant electi à Deo, antequam opus reconciliationis per Christum impleretur. Id est, Non orabo, quasi minus grati

fitis Deo patri: neq; opus tali oratione. Vt igitur utilis
ter oremus, persuasissimus iam antea Deum patrem no
bis conciliatum. Deinde dicit:

Quia amastis.) Videtur omnino causalis illa con
iunctio, Quia, causam ponere dilectionis diuinæ erga
nos. Ex Epistola Ioannis manifestum est, quod Deus
prior nos dilexerit. Amor, fides, & pietas &c. ipsa do
na Dei sunt, quæ non concessisset nobis, nisi prior dile
xisset. Ponitur autem causa à posteriori, quod iudiciū
est diuinæ dilectionis: Nam ex diuino amore profluit
amor Christi &c.

Exiui.) Creditis me esse filium Dei, genitum à
Deo patre, idq; ab æterno, & missum à Deo in hunc
mundum, nimirum propter salutem humani generis.
Si igitur missus est à Deo patre, iam antea erat. Dein
de ad finem quoq; adiungit:

Relinquo.) Impleto ministerio obedientiæ meæ,
ero in eadem gloria cum patre. Sæpe edocti sumus, hu
manitatem Christi cum diuinitate glorificandam. Ipsa
humanitas antea nunquã sic in diuinitate glorificata,
ut in eadem persona qua adiuncta est diuinitas, adora
retur: hoc antea nõ contigit priusquam Christus ascen
deret in cœlum. In illis igitur duobus potissimū fundat
fidem nostram, ut credamus Christum uenisse in hunc
mundum: deinde quod Deus exaltauerit illum. Qui
humilitatem Christi, & eius exaltationem recte cre
diderit,

diderit, utique de Christo recte sentiet, necesseq; est ut confiteatur uerum Deum & hominem Christum esse. Hæc est illa confessio, de qua antea Petrus laudatus, dicens: Tu es filius Dei. Et Ioan. 6. Aquam uitæ æternæ habes: Si quis igitur illa uere crediderit, quod pater miserit ipsi unigenitum suum, ille nimirum etiam credet cætera quæ saluti sunt necessaria, nempe resurrectionem & uitam æternam. Ita bene animantur discipuli, ut fidenter possint orare.

Discipuli illius dicunt illi: Ecce nunc loqueris palam, & nullam parabolam dicis. Nunc scimus, quod nosti omnia, & non opus habes, ut quis te roget.

Vbi discipuli parum laudati fuerant à domino, cœperunt sibiipsis placere. Erant enim admodum carnales adhuc. Audierant: Pater diligit. Et ita putabant se aliqua ex parte euasisse omne periculum, uidebanturq; sibi omnia satis recte intelligere, tametsi nulli adhuc erant, & admodum infirmi. Ideo dicunt:

Ecce nunc.) Iam scimus, quod scis omnia, uel etiã ex ijs poterimus cognoscere, quod arcana hominum scrutaris: non opus ut quis te interroget, quo doceas ipsum: præuenis enim, adeò omnia aperta sunt tibi. Iamq; cognouimus te filium esse Dei, qui arcana cordis potes tam facile cognoscere.

Non opus.) Scilicet quia tu ipse praeuenis con-
 sciis omnium. Nam hoc diligenter Euangelista noster
 ostendit, indicium esse diuinitatis Christi, posse abscon-
 dita cordis cognoscere. Vnde illa adiungit:

In hoc credimus, quod egressus es à deo

Iam cognoscimus te missum à Deo, et filium Dei,
 et uere credimus: tametsi non omnino hoc mysterium
 tenebant, quia fides illorum aliquanto adhuc imperfe-
 ctior erat.

Iesus respondet illis: Iam creditis. Ecce
 tempus uenit, et iam uenit, ut disper-
 gamini unusquisque in sua, et relin-
 quatis me solum: et non sum solus, quia
 mecum est pater.

Quia discipuli arrogantius locuti erant, et gloriae
 tibi de sua fiducia, et intelligentia uerborum Christi,
 ideo iterum indicat illis suam infirmitatem.

Iam creditis.) Quidam legunt hoc per interroga-
 tionem, et per irrisionem dictum esse uolunt. Nunc sci-
 licet creditis: putatis ne uos credere? Sed non uideo hic
 signatam interrogationem, propterea simpliciter ad-
 mitto, quia alijs in locis Christus dat apostolis testimo-
 nium fidei: sed quae, quamuis periclitata est, uarijsq;
 modis tentata, et admodum infirma, tamen non fuit
 omnino extincta, permansit enim in illis seminarium fi-
 dei.

dei. Vult dicere: Videte quàm infirma sit fides uestra.

Ecce.) Gloriatio igitur uestra uana erit: breui futurum est, ut dissipemini singuli, timebitis ne aliorum consortio periclitemini.

Me solum.) Videte qualis fides uestra, me estis deserturi. Adeò nihil est solidum in hac uita, etsi eximia sit fides nostra. Neq; sublime debemus de nobis sapere: sed qui stat, uideat ne cadat: nò de futuræ sunt tentationes. Creditis, bene est: uidete autem periculum: nò satis bene incepisse, perseueramini: pericula instant magna: nimirum scandalizabimini in me, ubi uideritis tam anxium me, & tanta pati ab impijs hominibus.

Non solum.) Etsi à uobis relinquar, tamen non omnino ero relictus, sed pater mecum est. Certum patrem semper adfuisse filio, quia natura non sunt diuisi pater & filius, licet persona patris non sit iuncta humanitati. Non Patri passiani sumus, neque Sabelliani, utrunque enim legimus: Pater filium suscitabit, & filius seipsum suscitabit.

Hæc locutus sum uobis, ut pacem habeatis in me. Habituri estis afflictionem in mundo, sed bono animo sitis, ego uici mundum.

Totum illum sermonem ad uestram consolationem locutus sum: per me habebitis pacem, quieti igitur sitis. Per fidem iustificamur, & pacem habemus. Licet

sunt uariae, inquit, futurae afflictiones in hoc seculo, quod satis abunde praedixi, nihilominus pax, quam in me estis habituri, sic corroborabit uos, ut possitis ferre huius mundi tribulationes. Quamuis in mundo pacem non sitis habituri, tamen in me solidam pacem, gaudium & felicitatem habebitis. Ne moueant uos afflictiones uariæ istius seculi: per me poteritis uincere. Iam prior uici mundum, quia morte mea mortem occido, infernum expugno: quanto magis mundum & principem illius? Planè in nulla re potest uobis nocere mundus, & omnia in bonum uobis cessura sunt, etiam si quid uobis fecerint. Non est situm in potestate mundi, ut affligat iustos, sed quantum Deus permittit. Licet impugnent illos, tamen in utilitatem cessurum est pijs, sicuti & mors Christi nobis in salutem cessit. Ita dum nos hic uarijs modis exagitamur, tamen ne simus pusillo animo, illa enim omnia cessura sunt in nostram salutem. Confidite igitur, & bono animo estote.

CAPVT XVII.



IN capite isto, orationem Christi habemus, in qua tanquam summus sacerdos pro suis orat. Licet prius dixerat se non orare, tamen hic orat, ut sciatis in quam sententiam priora dicta sunt uerba.

Hæc locutus est Iesus, & sustulit oculos

los

los suos in cœlum, & dixit:

Finita exhortatione sua, desinit in preces, & ostendit nobis, quanto studio orandum sit, & quanta opus eleuatione mentis. Sustulit oculos in cœlum, ut & nos quoq; oculos animi potissimū in cœlum leuaremus. Oratio enim nihil aliud, nisi eleuatio mentis ad Deū: nam qui oculos deiciunt, parue spei sunt: & qui fidenter aliquem aspiciunt, indicant sibi magnā esse fiduciam. Ita admonet Christus, ut oculos attollamus. Non opus propterea, ut Deo patri cœlum assignemus, cum ubiq; sit. Quid igitur opus tollere oculos in cœlum? Verum scias illud iuxta cōmunem opinionem hominū esse dictum. Certum est, Deum ubiq; esse, nihilominus tribuimus ei cœlum, locum nempe honestiorē. Orat igitur tam pro discipulis, quā pro alijs qui per illos crediderunt: sed ante de seipso loquitur, quo magis agnoscamus Christum exauditurū nos. Aliqui distinguunt, quod primū pro se orarit, secundo pro discipulis, tertio pro nobis. sed ex ipsis uerbis uideamus, quid sibi uelit hæc oratio.

Pater, uenit hora, glorifica filium tuum, ut & filius tuus glorificet te.

Christus certissimus erat de patre suo, & se glorificandum: orat tamen ista, non tam suo nomine, quā ut nos cognoscamus quanta ille expectauerit à patre. Dicit: Venit hora crucis & mortis meæ, uenit tempus illud iam olim prædictum, quo ego sacrificiū uerum in-

molandus sum, tu glorifica filium, Nam totus mundus in hoc conspirat, ut filium Dei abiciat, & tanquam mendacem & ignominiosum reiciat: cum enim occideretur & blasphemaretur, spectabant omnia illuc, ut filius Dei uilipenderetur per omnia. Orat igitur ut ipse glorificetur, & ut glorificatio filij cedat in gloriam patris, nam ubi mundus agnouerit tantam charitatem in mittendo filio, tunc pater per filium glorificabitur etc.

Quemadmodum dedisti illi potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti illi, det illis uitam æternam.

In illo glorificabitur filius, quia ante omnia secula quicumq; electi sunt, in filio Dei electi sunt. Filio dei data est potestas omnis carnis, & ut quotquot saluandi sunt, seruentur per nomen Christi. Ideo subdit:

Vt omne.) Psalmo 2. Postula à me & dabo tibi gentes hereditatē tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Ecclesia tota data est Christo, ut illam uiuificet suo spiritu, illiq; uitam æternam concedat: tam certus est Christus de sua glorificatione, imò olim iam potestatem habuit. Si autē uoluerimus de humanitate loqui, certum est quod tunc primū accepit potestatem, ubi resurrexit à mortuis, & constitutus est iudex omnium.

LECTIO LXXXIIII.

Dominus noster, quo magis discipulos suos confirmaret, audientibus ipsis precatus est patrem,

tum pro illis, tum pro ijs qui erant per illos credituri. Initio tamen suam dignitatem indicauit, quantus scilicet sit apud patrem. Qui enim hoc sciunt, nō dubitant quin preces Christi exaudite sint. Audiuitis, Sicut de disti. quæ sententia ita accipienda est: Nemo saluatur, nisi in nomine Christi. Ita habet potestatem omnis carnis, ut det uitam æternam. Quid illa sit, iam describit.

Hæc est autem uita æterna, ut cognoscant te solum, deum uerum, & quem misisti Iesum Christum.

Initium æternæ uitæ tribuit cognitioni diuinæ, & quanto magis in nobis intelligentia perficitur, tanto beatiore erimus. Hoc sic poteris cognoscere. Homo intelligentia præcedit cætera animalia: & tanto quisque etiam dignior inter homines, quanto sapientior est & prudentior. Non enim dicimus hominem diuitem beatum, uel ualde dignum, neque illum qui terrea potestate est præditus, sed illum qui sapientia plurimum ualeat. In hac terra ex parte cognoscimus, & tanquam in speculo & in enigmate: sed post hanc uitam uere & perfecte uidemus. Artes habere, indicant hominem prudentem: res autem diuinas habere, hominem beatum. Iam certum est non loqui hic Christum de historica cognitione. Multi de Deo, sed non ex corde loquuntur: & etiam satan nouit Christum filium esse Dei, tamen non est particeps æternæ uitæ, sicut nec illi. Eadē

propter de illa notitia loquitur, quæ hominem trahit ad amandū Deum, & ad ponendum fiduciam suam in Deum. Hæc uera cognitio Dei, quæ tum hic, tum alibi beatum facit. Hic iniiuum beatæ uitæ, alibi consummatio. Sæpius Christus illud indicat per hæc uerba: Qui credit in me, habet uitā æternā. Ex fide, quæ nascitur ex cognitione Dei, & illa non aliunde quàm per prædicationem diuini uerbi, solet homini contingere salus.

Vita æterna.) In uita æterna nihil omnino desiderabitur, illic erit summa perfectio, præsertim in resurrectione corporum. Nam maxima uoluptas nascetur, ex contuitu diuinitatis. Vnde nõ solum respicies ad contemplationis nobilitatem, sed etiam cogites quanta bona sequantur. Videtur hoc loco quibusdam imprudentioribus solum patrem appellare Deum, & ceperunt hostes fidei occasionem negandi Christum esse Deum, uel spiritū sanctum. Item alij hoc modo cõiunxerunt: Cognoscent te solum uerum deum, & Christum uerum Deum &c. Sed non opus huiusmodi interpretatione, licet apud magnos autores id habeatur. Loquitur hic ut Paulus in salutationibus suis, qui dicit: Gratia uobis & pax &c. Coniungit dominum Iesum patri. Quid sibi autem uelit scriptura, scitote: nomine scilicet patris primum Deum ipsum cõmendari, non solum nomen personæ, sed pro ipso Deo toto, qualiscunq; est. Vnde oratio quæ hic fit, dirigitur ad totam diuinitatem, quæ est

una, & in tribus personis subsistit: nam filium & spiritum sanctum quamuis ponamus in trinitate, nõ tamen tres Deos dicimus esse. Illud igitur sic accipite, ut uobis diuinitas primum cõmendetur: deinde ut totum beneficium diuinitatis maximum quo nos redimere dignatus est, cogitemus. Non sufficit solum cognoscere Deum, nisi etiam uiam, qua peruenitur ad Deum cognoscas. Vnicus deus, ad quem respiciamus. Via Christus Iesus: ille missus à deo. Et pater declarauit misericordiã suam per filium suum, qui factus nobis uia. Sunt qui dicant se cognoscere deum, ut Iud. ei: sed hos non licet dicere beatos, quia uiam ignorant, & currunt extra orbitã. Ideo Paulus gratiã à Deo patre precatur: sed ne dubitemus gratiam dandam, adiungit: Domini nostri Iesu Christi. Hęc est syncerior sententia huius loci. Inuenimus præterea in his duo: quod filius glorificat patrem, & pater filium, quod & postea magis declaratur.

Ego glorificaui te super terrã, & consummaui opus quod dedisti mihi ut facerẽ. Et nunc glorifica me tu pater apud te metipsum gloria, quam habui, priusquam hic mundus esset apud te.

Dignitatem suam Christus hoc modo reuelat discipulis: quando quidem ipse per omnia obedientissimus patri, & propterea acceptissimus: neq; dubitemus de

beneuolentia patris erga filium. Subiungit:

Glorificauit.) Id est, prædicauit tuam misericordiam super terram benignitatemq; &c. Quia diuina charitas nunquam adeò manifestata est humano generi, quàm per Christum. Accepimus filium ipsum in pignus, ut certi essemus de diuina beneuolentia. Et quicquid docuit Christus, totum eò retulit, ut animi nostri in patrem subuehantur, & ut relictis istis terrenis, cœlestia quereremus: ideo hi profectò plurimū aberrant, qui à Deo auocant.

Super terram.) Nihil quæsiui quàm gloriam tuam, & ut tu maximus habereris.

Opus.) Id est, multo grauissimū iniunxisti opus, nempe ut me humiliarem, etiam usque in mortem ignominiosissimam crucis: obediens fui, & hoc feci, ut tu glorificareris.

Nunc.) Sicut te glorificauit, ita tu me reuelas hominibus, quantum mihi concesseris, & quantum tecum semper commune habui, & quod sim tibi æqualis. Ea enim gloria fuit mea etiam ante conditum mundum. Indicat per hoc Christus, se omnibus modis patrem esse patri. Solius Dei est creare: est & Christus creator. Exponit nunc se, quid sit glorificare.

Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi ex mundo. Tulerant, & dedisti illos mihi, & seruarunt
sermonem

sermonem tuum.

Glorificare Deum, est manifestare nomen Dei hominibus. Venit igitur Christus, ut prædicaret gloriam patris sui: & non solum prædicavit, sed etiam manifestavit cordibus hominū, ita ut Deum maximi facerent.

Quos.) Neque omnis mundus, sed qui dati sunt. Videte hoc loco præcedere ante omnia prædestinationem divinam: nam ille ordo est salutis, ut Deus ante omnia prævideat, quos sit saluaturus: hosq; dat Christo, quia per Christum saluandi sunt, & à Christo spiritum salutis suæ accepturi.

Tuierant.) Primam dignitatem tibi do ò pater: tu es dominus omnium, hos tu conscripsisti, & dedisti mihi: illos locupletavi spiritu meo, & inspiravi eis verbum tuum, voluntatemq; meam, & servarunt. Apostoli præ alijs electi, peculiaris populus Iudæorum &c.

Sermonem.) Iam scimus discipulos non ita servasse omnia præcepta Dei, quin alicubi offenderent. Licet considerare hic, quid sit eloquium Dei servare. Illud servant quotquot credunt in Christum. Hi enim per fidem student innocenti vitæ, & addicti sunt unico studio illo, ut carnalem hominem conficiant: nam ita etiam discipuli servarunt. Sed si vis hoc dicere, illum esse impeccabilem qui servat sermonem Dei, nullum certe dabis ex mortalium genere, qui servarit sermonem Dei, ut absq; peccato sit, iuxta dictum 1. Ioan. 1.

Nunc cognouerunt, quod omnia quæcunque dedisti mihi, abs te sunt. Quia uerba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt, & cognouerunt uere, quod à te exiui: & crediderunt, quod tu me misisti.

Videte ordinem salutis nostræ, quomodo in dignitate Christi, salus nostra consistat. Certum est, omnia à patre dari & concedi, attamen dicit sibi datos illos. Et quomodo? quia uerbum quod illis annunciauit, acceperunt.

Cognouerunt.) Vide quid sit seruare sermonem. Dicit, cognouerunt quod uere sint tua opera, quæ ego facio. Id est, omnia quæ ego facio, sciunt me tuo iussu facere: ita tibi omnia accepta serunt: sic omnis honos redit ad patrem. Christus per se locutus est nihil, quod non iussus fuerit à Deo patre.

Exiui.) In hoc seruauerunt sermonem meum, quia sunt fideles. Non tribuit exacte operum impletiõni salutem, sed fidei, quia sæpius supra apostoli testati sunt Christum exiuisse à patre, & hoc se uere credere. Ita autem constitutum est à deo, ut illi qui crediderint in deum, habeantur in numero eorum qui scripti sunt in libro uitæ: utiq; si uere crediderint: non loquimur de uana fide & stulta. Hucusq; præmissa sunt illa, ex quibus dignitate Christi

Christi cognoscimus: deinde licebit intelligere, quantum ualeat apud patrem. Opus ut scias quem miserit Deus, nempe Christum. Omnes dati sunt filio, filius nihil neglexit. Quis dubitare potest, preces Christi Deo non esse acceptissimas, pro ijs qui dati sunt illi?

Ego pro illis rogo. Non pro mundo rogo, sed pro illis, quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt, & glorificatus sum in illis. Et iam nō sum in mundo, & illi in mundo sunt, ego ad te uenio.

Principio orat pro apostolis, qui plurimum periclitaturi erant, & quos precipue elegerat, ut nomen suum portarent coram regibus: proinde illi maiori robore opus habebant & maiori gratia. Certum quidem est, tantā esse efficaciam sanguinis Christi effusi, etiam mortis eius, ut sufficiat pro tollendo peccato totius mundi. Sed mundus, id est, increduli, & quibus mundus iste adeo placet, ut se auertant à luce ad tenebras, hi non sunt conscripti in libro uitæ: unde Christus dicit se non pro illis orare.

Pro illis.) Qui ad numerum fidelium pertinent, qui ex numero ouium sunt, & uocē pastoris accipiunt. Nihil moueant nos blasphemæ uoces malorum hominum, qui suam ignauiam sanctam facere uolunt cum

blasphemia Dei, quasi cogantur peccare: nam ignauia sua peccant. Ipsi uerbum Dei annunciat, ad Christum ut ueniant: sed ita seipsos excusant, & diuinam prouidentiam incusant.

Glorificatus.) Per illos qui tui sunt, glorificabor. Ita una gloria patris & filij. In mundo sunt, & obnoxij sunt periculis, ideo commendo tibi illos, qui nunc & tecum sum glorificandus.

LECTIO LXXXV.

O Ratio hæc plena est mysterijs, docetq; unde nostra salus consistat, & quantæ dignitatis apud Deum patrem sit Christus, sacerdos & pontifex ille summus: & discimus quibus non prodest oratio Christi, uel pro quibus etiam ipse non orat, nempe pro ijs qui non sunt electi uel prædestinati ad salutem, illi inquam non sunt traditi filio, neque illis spiritum suum communicat. Quos autem prædestinauit, illis spiritum suum communicat, quia iam olim electi sunt, & in illis dicit se glorificari. Ultra dicit:

Et iam non.) Non sunt faciendæ orationes inutilis. Vult Christus dicere: Opus nunc habent alio patrocinio meo. Cum essem præsens in hoc mundo, mea corporali præsentia illis eram solatio, & conseruabam eos, gaudebant enim tanquã coram sponso amici sponsi. Hoc solatium subtrahitur ab illis. Proinde ipsi erunt in mundo, id est inter hostes, aduersarios suos, qui ipsos
omnibus

omnibus modis persequantur: opus igitur defensione habent. Corpore abfuturus sum ab illis, unde necessaria est illis nostra defensio: non solum ob dignitatem meam, sed ob ipsorum indigentiam illos tibi commendando ô pater.

Pater sancte, serua illos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unū, sicut & nos. Quando eram cum illis in hoc mundo, ego seruabam illos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nullus ex illis perijt, nisi filius ille perditus, ut scriptura compleretur.

Quia derelinquendi sunt à me, nunc sancte pater serua illos, ad celebrationem & sanctificationem tuam nominis. Oro ut illi seruentur, ita ut hoc efficiant, ad quod electi sunt.

Vnum.) Non solum unitate & concordia animorum, sed etiam defensione, & mutua assistentia: quemadmodum ego totus in hoc incubui, ut gloriam tuam omnibus manifestarem, ita etiam illi tuam gloriam potissimum curent. Propterea tu quoque uicissim illos, sicut me, commendatos habeas. Pater honorificauit filium suum, uicissim filius patrem. Sic etiam qui sunt discipuli Christi, honorificant Deum patrem: pater impartiendo diuinam gratiam uicissim suo modo

glorificat. Non eadem unitas inter nos & Deum, qualis inter Deum & Christum, qui naturalis filius dei fuit. Sed quantum ad suppeditationem gratiae, aliquo modo & nos unum sumus cum Deo. Cum nos illius gloriam magnopere querimus, ipse nobis assistit suo subsidio. Repetit quantum egeant diuino auxilio.

Ego seruabam.) Seruauit ad tuam gloriam, ut tu celebrareris: & ita seruauit, ut planè tibi addicti sint.

Nullus.) Sed illum mihi non dederas. Est filius perditus, iuxta modum Hebraeorum. Filius mortis, id est, obnoxius morti.

Scriptura.) Iam antea praedictum est in istorum numero inuentum iri filium perditum. Iudas sua malitia pessimum abiit. Sed quos dedisti, id est, qui electi fuerunt, hos seruauit. Vnus ille nullis beneficijs, nullis minis & doctrinis seruari poterat, sed impetu magno ruebat in suum malum. Antea in psalmis scriptum erat, quod suo loco declaratum est. Non quod scriptura coegerit Iudam ad suam malitiã, sed quia proditurus erat scriptura iam antea praeuiderat.

Nunc autem ad te uenio, & haec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsis.

Seruauit haecenus illos. Verum nunc abeo, id est, transfero corpus meum ab illis. Neque solum quod moriturus erat, hoc dicit, sed quod omnino relicturus erat terram.

ram. Nunquam tali gaudio affecti discipuli, quam post resurrectionem. Antea consolatio etiam magna, sed illa oberat illis, quia non capaces spiritus sancti.

Loquor.) Id est, quandiu adhuc uiuo, uersor cum illis, & exhibeo me uisibilem.

Hæc.) Scilicet ad cōsolationem ipsorū, ut sciant alium ipsorum curam habere, nempe te patrem. Oro ipsis presentibus, ut audiant illud gaudiū. Dicit, me unum gaudiū, id est quod de me habent, ut supra 16. De gaudio pleno in seipsis non habuissent hoc gaudiū, nisi per spiritum sanctum. Nisi quis spiritu sancto præditus, parum lætabitur, etiā si multos audierit accedere ad Christum. Mundani isti homines non multū gaudent, si multi meliores euadant, imò dolent, & egre ferunt gloriam Christi crescere. Igitur tunc discipuli perfectum gaudium sortiti sunt, quando Christus æqualis patri habitus est. Dixerat præterea, Ego seruaui illos: nempe per uerbum suum. Etiam ob hanc rationem rectissime commendati sunt Deo, quia propter ueritatē periclitantur.

Ego dedi illis sermonem tuum, & mundus odio habuit illos: quia non sunt ex mundo, quemadmodum ego non sum ex mundo. Non rogo ut tollas ipsos ex mundo, sed ut custodias illos à malo. Ex mundo non sunt, quema

admodum ex mundo ego non sum.

Dignissimi praesidio dei sunt, qui propter deum, ueritatē & iustitiam periclitantur. Discipulos dicit periclitaturos in mundo, propter uerbum Dei, quia illo accepto ab alienati sunt ab hoc mundo. Ita acceperunt eloquia Christi, quae mundo annunciare debebant, & propter ista non grati mundo fuerunt: quod & hodie accidit.

Dedi.) Id est, delegi eos, ut uoluntatem tuam annuntiarent in toto mundo. Inde est, quod mundus eos odio habeat. Sciuunt principes, philosophi & pharisaei opponent se uerbo crucis Christi. Quare illos odit mundus? quia asserunt uerbum tuum. Mundus agnoscat uerbum Dei in apostolis, alienos à moribus suis, etiam filios Dei, ideo odio habet. Iam non uiuunt mundano more. Mundus gaudet in pompis, delicijs, diuitijs &c. illaq; omnia ab apostolis uilipenduntur, imò dehortantur mundum à uanitatibus & idolis, ne sibi placeat, ne sanctus uideatur propter opera sua, ut pharisaei, qui diuinū honorem sibi ipsi uindicant. Alia ratio apostolorum quam phariseorum est: illi enim uitam ita instituerunt suam, ut cupiant omnia reducere ad Deum: pharisaei uero abducunt.

Ex mundo.) Non ex mundo sum. Scimus Christum fratrem nostrum uersatum in mundo, sed non particeps peccatorum nostrorum fuit, uerum alienus erat ab omni macula peccati: ita non ex mundo fuit.

Non rogo.) Dubiū quod nasci poterat ex æqui-
 uocatione uerbi Mundi, soluit per antipophoram id
 est, Non uolo ut mox moriantur, & separentur à mun-
 danis, neq; illud utile. Oportet triticum & zizania si-
 mul crescere: ut lilia crescunt inter spinas, sic boni cum
 malis uersantur. Posuit discipulos in hunc usum, ut illos
 qui in mundo sunt, lucrifaciant.

ἐκ τῷ πονηρῷ.) A maligno πονηρῶς, malus
 dæmon qui ad molestiam & laborem usq; nocet. Ita illi
 non sint in mundo, quatenus mundus malus est, & mo-
 lestiam animabus infert. Dominus non omnino liberat
 à satana, sed affligit, uerum ita, ne succumbamus: non
 ultra tentat quàm ferre possimus. Viuendū est aliquan-
 diu & militandum: facienda igitur opera quæ Deo pla-
 cent, neque mundus nos impediat à sanctis operibus.

Non sunt.) Certum est eos fuisse homines, ut nos
 peccatores: sed iam non sunt addicti huius mundi mori-
 bus, neque uiuunt ut cæteri, unde magnum discrimen
 est inter filios Dei & huius mundi.

Ego non.) Id est, non curavi quæ huius mundi
 sunt, non habui amicitiam ullam cum hoc mundo, cru-
 cifixus sum huic mundo. Ita discipulis etiam mundus
 crucifixus est. Non sunt ciues huius mundi, sed potius
 hospites & peregrini.

Sanctifica illos in ueritate tua. Sermo
 tuus ueritas est. Quemadmodum me

mifisti in mundum, & ego misi illos in mundum.

Orauit: Serua illos. Quid est serua illos? Est sanctifica illos. Tu sanctus es, sint & illi sancti uere & efficaciter per tuam potentiam, qua omnia uerissime agis. Ne sit hypocritica sanctimonia in illis, ut ex toto corde te amēt, & te magnificent. Serua illos, facias sanctos super terram, sicut tibi sancti ut nemo aufit pollueret hęc tua uasa, præsertim malignus ille dæmon. Veb simpliciter expone: Sint uere sancti in opere, ad quod tu elegisti eos.

Veritas.) Quomodo sanctificabis? In ueritate, uirtute uerbi tui & imperij tui. Veritas non est, nisi tam efficaciam habeat. Quod speciem hominis habet, & mortuum est, uerum nominari non potest. Ita imperium Dei, uerbum appellari potest, quod uerissimum est & efficacissimum. Scimus Christum esse uerbum Dei, & ueritatem. Verum hic nulla cogit necessitas, ut sic exponamus: sed ut uerbo Dei omnia pareant, id est diuino iussui. Sermo tuus ueritas est: sermo uero hominis mendax est, qui nihil efficere potest. In psalmo: Dixi in excessu meo, omnis homo mendax. Etsi homo multa promittat, nihil efficiet, & si maxime uellet, quia homo mortalis est. Deus uerax est, id est, maxime efficax, quicquid loquitur, necessario contingit.

Mifisti.) Ut expugnarem regnum huius mundi
& satanæ.

Et satanae, predicarem tuam benivolentiam, benignitatemque erga humanum genus, et abducerem à peccatis: ita eadem ratione misi illos.

LECTIO LXXXVI.

Dominus orat pro discipulis suis, et etiam pro ecclesia sua, id est pro nobis. Varia allegat apud patrem caelestem, quae illum nobis conciliant, nempe suam dignitatem: quia concessum ei est, ut quotquot saluandi sint, per ipsum saluentur. Deinde etiam pericula apostolorum, quae futura erant in mundo. Ad haec utilitatem apostolorum, qui ualde frugi futuri erant, et mundum ad gloriam Dei adducturi. Unde dicit:

Misi si. Scilicet hanc ob causam, ut latentem in tenebris illustrarem, et cognitionem tui nominis darem: eandem ob causam et illos misi in mundum. Praedicauerunt et apostoli poenitentiam, et mundum liberarunt ab idolorum cultu, adduxeruntque ad ueri Dei cognitionem.

Et pro illis ego sanctifico me ipsum, ut & illi sint sanctificati in ueritate.

Iterum conciliat et commendat discipulos patri, obtestans et obsecrans per suum sacrificium, quo se ipsum dignatus est offerre, quia sic se sanctificauit. quae dicit: Optime pater respice in hoc holocaustum, quod oblaturus sum. Non enim me ipsum offero, ut ego purificer, qui omnis maculae sum immunis: sed sanctifico

me pro illis. Id est, ut ueram assequantur sanctimoniam, & ut uere spiritus sancti participes fiant. Apostoli quicquid habent, consecuti sunt à spiritu sancto, & omnes sancti quicquid sanctimoniam habent usquam. Olim sacrificia umbratilia oblata fuerunt, sed Christus uerum illud & unicum, modisq; omnibus sufficientissimum sacrificium est pro peccatis totius mundi. Dicit igitur, Præbeo me in sanctum sacrificium, ut etiam illi consequantur uere sanctimoniam, neq; aliquid desit eis, quo possint idonei esse ad perficiendum ministerium suum. Quid fecissent discipuli in mundo, etiam si sapientissimi, eloquentissimi &c. nihil potuissent persuadere, nisi adstisset spiritus sanctus. Hanc igitur dignitatem impetrauit Christus morte sua.

Non pro illis autem rogo tantum, sed & pro ijs, qui credituri sunt per sermonem illorum in me: ut omnes unum sint, quemadmodum tu pater in me, & ego in te: ut & illi in nobis sint unum, ut credat mundus quod tu me misisti.

Diuisimus orationem illam dominicam: primo orat pro discipulis, deinde qui per discipulos crediderunt. Hæc enim altera pars orationis. Sacrificium meum non solum pro illis, sed pro omnibus qui credituri sunt per illos &c. Vnde certissimi sumus etiam hodie, non esse

esse irritabile sacrificium Christi, & esse sufficientissimum. Tunc satisfecit, non ut nos hodie satisfaciamus, etiam pro minimo peccato. Est hoc potissimum derogare sacrificio humiliationis Christi. Sequeretur, quod non fuisset acceptissimus patri, & quod defuisset aliquid sacrificio illius.

Pro illis.) Id est, Non solum sacrifico me pro illis, sed pro omnibus qui credituri sunt per illorum praedicationem. Videtis hoc loco Christum iterum, non solum orare, sed etiam prophetam agere, id est, futura praedicere, quod plurimi per sermonem apostolorum credituri sint, quod signum diuinitatis est. Videte officium apostolorum, & quod necessarium est ministerium uerbi. Vtique spiritu sancto credunt, quotquot apostolis credunt, etsi necesse ut spiritus sanctus corda hominum aperiat, quo capaces sint uerbi, sed propterea non est superfluum apostolorum ministerium. Dicit enim, Qui per sermonem &c. Qui eundem sermonem acceperunt, quo modo apostoli docuerunt, illi dicuntur credidisse per sermonem apostolorum. Sunt etiam qui ante praecesserunt, ut ante Christum Abraham &c. qui eundem habuere sermonem: unde & illis ipsis sacrificium Christi profuit, quia eadem in Christum fide saluati fuerunt. Deinde nos quoque, qui apostolorum scriptis nitimur & erudimur, fiduciam accipimus, quod scimus Christum illum esse, qui pro nobis satisfecit, quiq;

patrem conciliauit, quia dicit se orare pro ijs, qui credituri sunt. Si igitur satan fragilitatem nostram tentet, & impetet, quasi preces Christi nihil ad nos pertineant, arripiamus hoc dictum, & uideamus quid Christus dicat, & tuti erimus ab omni satanæ dolo.

Vt omnes.) Huc spectat oratio Christi, hocq; petit, ut simus omnes unum. Verba illa quibusdam obscura sunt: uidete ut sanè intelligatis: nam Ariani sanum intellectum non accipiunt, & tamen hoc dicto potissimum conuelli possunt. Scitis negare Arianos Christum natura esse unum cum Deo patre, & propterea hoc in loco solam unitatem beneuolentiæ accipiunt: sed errant maxime.

Vnum sint.) Id est, ut sit inter nos omnes charitas. Hoc uerum quidem est, sed Christus amplius quiddam nobis impetrauit, quam charitatem. Et certum est eos qui sunt Christi, maximo loco habere unitatem, ut sit unus spiritus, una anima. Una est ecclesia, una fides, unus pater &c. Subijcit:

Sicut tu pater.) Parum esset, si non tribueremus Christo maiorem unitatē cum patre coelesti, q̄ unitatē animorū, quam amici habent inter se: nam sic Deus dilexit Abraham, & ille redamauit: & sic unanimitas fuit inter illos. Sed hæc dignitas Christi, quod eiusdem nature est cum deo patre, & eiusdem honoris particeps, qui est patris. Hilarius libro 8. de trinitate multis uer-

bis hunc locum explicat: non sufficere ut accipiamus hic unitatē uel benevolentiam, uel mutuū fauorem, sed etiam intelligenda est naturalis quaedam unitas &c.

In nobis.) Miratur quispiam, quomodo nos naturaliter possumus esse unum in Christo, & sic unum in Deo. Sed si personam Christi recte cognoscimus, quia ipse dixit, Caro mea uere est cibus &c. & illa sanē intelligimus, nihil omnino hæsitabimus. Est Christus eiusdem naturæ nobiscum, quia uerus homo: & idem eiusdem naturæ est cum patre, quia etiam uerus Deus. Ita per Christum, cui adheremus, nos quoque diuine naturæ per gratiam inserimur. Non est possibile, ut omnibus modis eandem naturam habeamus, ut homo conditor sit omnium, &c. sed per Christum in talem dignitatem euehimur, & gloriæ illius quæ Christo tradita est, etiam nos participes efficimur, ut filij Dei dicamur. Vt Christi corpus gloriā immortalem suscepit &c. ita et nos per illum, & tanquā à capite in membra defluit gloria illa. Tanta & tam summa bona nobis Christus impetrat à patre, ut gloriæ suæ participes simus. Postea declarat seipsum Christus cū dicit: Et gloriā quā dedisti &c. Ibi uidebimus propter unitatem gloriæ, nos unum fieri cum Christo, ut in Galatarū epistola habemus: In Christo non est seruus, neque dominus, neq; uir, neq; mulier: omnes unum sumus in domino. Hoc est quod Christus nobis impetrauit. Iam si sic

lij dei & spiritus illius participes, post hanc uitã in eandem claritatem, in qua est Christus, peruenturi sumus.

Sint.) Id est, habeant illi eundem honorem in nobis. In ecclesia ne quis alteri se præferat, quamuis in donis quidam meliores & magis illustrati. Verum si meritum Christi respicias, æque redemptor noster ac apostolorum ac martyrum: pares sumus in hoc omnes. Gaudent apostoli suis priuilegijs, sed omnes sumus in domino, ideo nemo alterum despiciat. Vnde etiam ad unum corpus pertinemus. Orat igitur, ut sint unum, quia una ecclesia &c.

Vt credat mundus.) Hæc unitas fidei, ut mundus credat. Qui permanet in inimicitijs, ille procul est à Deo, & merito infidelis dicitur. Qui non sunt addicti mundo, & mundanã consuetudinem relinquunt, accipiunt & ipsi ueram fidem & erudiuntur.

Et ego dedi illis gloriam, quam dediisti mihi, ut sint unum, quemadmodum nos unum sumus. Ego in illis, & tu in me, ut sint consummati in unum, & ut cognoscat mundus quod tu me misisti: & dilexi illos, quemadmodum me dilexisti.

Nihil utilius est quàm ut ipsam dominum sui ipsius interpretẽ audiamus. Quomodo igitur unum sumus?
fide

fide scilicet, & gloria quam daturus est.

Gloriam.) Dicit sibi iam datam, etsi post resurrectionem data sit: sed propter certitudinem illud dicit. De apostolis habemus, quod præcellerint donis spiritus sancti: sed hoc non omnibus contigit, generaliter autem sanctis Dei apostolis.

Vnum.) Ut nos unum sumus naturaliter, non solum benevolentia. Ego sum in illis: quia Christus homo in nobis est, ut progenitor noster & frater.

Tu in me.) Scilicet diuina natura: ita reconciliamur deo. Hæc erit summa perfectio illorum, ideo me misisti, & ideo dilexisti. Sicut Christus dilectus est à deo patre, ita nos quoque diligit. Noluit mortem nostram deus: dedit filium suum ut habeamus uitam æternam. Sic Deus dilexit &c: Ioan. 3. Non est necessarium ut illa dilectio uel gratia, uel quæcunq; nobis tribuantur similitudine quadam cum Christo, quod ad eandem mensuram Christi omnino perueniamus, ut in nullo Christus dignior nobis sit: hoc esset absurdum: sed interim similitudo perfecta est, si incorporamur corpori illius. Christus habet suam dignitatem, ut primogenitus: etiam nos eandem gloriam accepturi sumus. Omnia illa conuincunt nos ualde diligi à Deo, idque conscientias nostras letari debet. Idem ipsum ex sequentibus patebit etiam.

Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut uideant gloriam

gloriam meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante conditum mundum.

Id est, in qua gloria ego sum, & illi sint. quasi dicat, eiusdem gloriæ participes sint. Sed tamen etiam suum priuilegium indicat.

Videant.) Quia ego primogenitus sum mortuorum, gloria mea est, ut quotquot saluandi sunt, per me saluentur: & tanto maior dignitas mea, quam aliorum.

LECTIO LXXXVII.

Didicimus etiam ex oratione, quam dominus habuit, tū pro discipulis suis, tum pro ijs, qui per discipulos erant credituri, quantam illis gloriam promiserit, nempe ubi ille est, etiam credentes sint. Etiam ostendit quā iustum sit hoc iudicium Dei: nam supra dixit, non pro omnibus se orare, & sacrificium suum nō profuturum omnibus, sed ijs qui credituri sunt. Nemo Christum arguat iniustitiæ uel immisericordiæ, si obstinati isti, qui nunquam poenitentiam agunt super peccatis suis, tantorum bonorum non fiant participes: quia Christum fontem omnis bonitatis noluerunt recipere. Sua culpa igitur priuantur ijs bonis.

Pater iuste, & mundus ille te non cognouit: ego autem te cognoui, & isti cognouerūt, quod tu me misisti. Et ostendi illis nomen tuum, & notum faciam,

ut dilectio qua dilexisti me, in illis sit, & ego in illis.

Iustus es tu pater, qui tribuis unicuique secundum opera sua: fidelibus vitam aeternam, & non credentibus iuste irasceris.

Mundus.) Qui non est particeps huius glorie mee, te non cognouit, me reiecto. Quisquis filium non recipit, & patrem non recipit. Mundus omnino credere noluit, & ob incredulitatem suam fructibus sacrificij Christi priuatur.

Ego autē.) Illi fideles discipuli agnouerunt quod tu me miseris, agnouerunt meam doctrinam, & mihi crediderunt: alij indigni sunt salute aeterna.

Et notum.) Iam aliquo modo notum feci eis nomen tuum: agnoscunt tanquam in speculo, dum per fidem diuina mysteria quandiu hic uiuunt, cognoscunt: sed nomen Dei clarius notum eis erit, ubi facie ad faciem contemplaturi sunt. Quamuis etiam de missione spiritus sancti intelligere possumus, quod notum sit facturus nomen suum, quia clarius intellexerunt postea, de coena sua & resurrectione.

Dilectio.) Id est, sicut me dilexisti. Suprà hoc etiam: Sic ego quoq; illis benefaciam. Hoc idem donum claritatis precor ut sit etiam in discipulis, non ut solum eharitatem habeant. Vult dicere: qua dilectione declarasti me plurimum diligere, hanc ipsis quoq; concedas.

Plenitudinem spiritus fuisse in Christo, & in spiritu diligere Deum, nemo repugnat. Verum mallem de claritate intelligere, ut postrema superioribus cohererent. Dicit: Per me, ut per primogenitum suum glorificatur. Neque solum pater beatos reddit, sed & filius: quia opera charitatis & deitatis sunt indiuersa. Hucusque producta est oratio domini, in qua indicauit quantum dignitatis sit apud Deum patrem suum, ut cognoscamus quam efficax eius sit petitio. Nunc exorditur Euangelista passionem dominicam.

CAPVT XVIII.



Atis iam eruditi discipuli: dederat Christus eis præceptum charitatis, docuerat patientiam, promiserat spiritum sanctum: igitur accingitur nunc ad iter passurus. Scitis Euangelistam nostrum non omnia scribere, sed quæ prætermissa ab alijs, repetere solum. Poterimus autem historiam, ut ab Euangelista nostro descripta est, in quatuor partes diuidere. Primo, quæ acta in horro sunt. Secundo, quæ coram iudicibus. Tertio, quæ inter crucifigendum. Quarto quæ mortuo Christo. Obseruabitur autem, cum omnia breuissime sint descripta, quomodo prophete adimpleti fuerint.

Hæc cum dixisset Iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron,

dron, ubi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli illius.

Vbi perfecit iam Christus hæc omnia, & satis erudit diuit discipulos suos, exiuit cum illis trans torrentem. Poterat manere in domo in qua pascha celebrauit, sed omnibus modis exire uoluit, ut malignitas traditoris magis innotescat. Nam potuissent se, Iudas & alij excusare, ingressi in domum cœnaculi, quod non inuenissent Christum, & iam nocturnum esset tempus, difficile leg. posse deprehendi. Difficile inquam deprehendi poterat Christus, sed uoluit sponte capi.

Exiuit.) Non mansit in loco: per quod dociat non esse temere periclitandum: neq; ita temere nos conijciamus in pericula. Etiam licet nonnunquam declinare, non metu mortis, uel confessionis, sed ne alios inuoluamus periculis: in hoc parcebat Christus Iudæ & alijs. Potuit ob hoc Iudas pœnitentia duci sui facinoris, sed noluit. Christus extra ciuitatem Hierusalem uoluit crucifigi, ita & extra uoluit capi.

Cedron.) Scimus torrentes nō habere aquas perpetuas, sed exiccari per æstatē. Talis etiam annis Cedron. Quidam deductam uolunt ab arbore Cedro, sed hebraica uox Kedar planctū significat, & eos qui pullati ambulant, & in luctu: ideo magis cōuenit ad passionem. Post docet Christus, quomodo nos parare debeamus, quando imminet passio, nempe ut principio ore

mus Deum, & diuinū auxilium petamus, ut alij Euangeliſtæ cōmemorant: eamq; ob cauſam ingreſſus in illu locum. Tametſi non omnes ſecum acceperit, ſed ſolos tres, quos antea ih montem Thabor permiſerat, ut uiderent tranſfigurari ipſum: ita nunc facit ſpectatores ſuæ humilitatis, cum inter orandum ſudaret ſanguineū ſudorem. Hæc q; præmittit, quæ Lucas habet.

Hortus.) Locus orationi idoneus. Amant enim reſeſſus ſemotiſſimos, ſynceræ preces, ne interturbentur ab hominū frequentia & tumultibus. Quamuis omnia quæ Chriſtus tunc egit, non ideo egit, ut aliquo modo abſtrahi poſſit à cōtemplatione dei, ſed uolebat nobis oſtendere, quanta diligentia precibus oporteat uacare. Scimus quidem optimas eſſe preces & perfectiſſimas, quæ ſpiritu & ueritate fiunt. Qui in uita immaculata pergit, is bene quidem precatur: nihilominus Chriſtus attendens noſtram infirmitatem, quàm longe abſumus ab illa perfectione, & quàm non ſumus omnino inſtentabiles, præbuit exemplum, quomodo orare debeamus. Alia etiam ſecit, quæ diligentiam in orando commendant. Alius reiſcere poſſet qui non ſpiritualis eſt, ore precari: ſed ſi cognouerit ſuam infirmitatem, quàm facile delabamur à cōtemplationibus, niſi orationem deſignemus uerbis labiorum, non contemnet. Deus opus non habet oratione, ſed nobis nihil utiliſus.

Nouerat autem & ludas, qui prodebat

bat illum, locum: quia frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis suis.

Exijt quidem Iesus ex ciuitate, sed noluit se recondere in aliquo loco proditori ignoto, ne fugere mortem uideretur. Etia in extrema Galilææ, cum nondum uenerat hora, declinauit: sed ne uideatur eos irritare, iam secedit in eum locum, in quo inueniri poterat. Videmus igitur Christo admodum frequentes fuisse orationes: deinde qui uolet uidebit, quam alienus fuerit à delicijs domus, & quo lectulo fuerit usus, qui percubare solebat in horto in oratione.

Sciebat.) Ad preces & ad gratias agendas Deo patri, oportebat Iudæ hac sanctimonia Christi deterri, ne ad sanctissimū illum locum accederet, in quo Christus solitus est orare: sed obstinatissimo illi nihil prodeerat remediõrum. Vide etiam benignitatem domini, quæ Iudam proditorem conscium fecerat loci, in quo solitus est orare. Noluit cum Christus excludere. Euangelista hoc tanquam beneficium commemorat Iudæ factum, quod sciebat & illum locum.

Iudas ergo cū accepisset cohortē & à pontificibus ac pharisæis ministros, uenit illuc cū laternis ac facibus & armis.

Quia igitur Iudas Christum non reperit in cœnaculo, cum multum laborasset per illam noctem in con-

greganda turba, illa sanguinaria: accepit cohortem à Pilato prætore, & ministros pontificum, quorum magna erat potestas. Habebant illi in ministerio suo aliquot ministros: neque erant ita pauperes, ut quidam opinantur, teste Iosepho, qui indicat eorum potentiã. Etiam à Pilato tanquam à publico magistratu, coëgit turbam quandam.

Venit.) Cæteri quidem discipuli dormiebant, quamuis admonerentur per Christum, ut uigilarent in tantis periculis. Iudas autem filius perditionis, ut perderet magistrum suum tam actuosus erat, & nullius laboris illum pigebat. Ne faces extinguerentur, habebat suas laternas: & ne Christus in quibusdam angulis latitaret, facibus utebantur, sicq; illustrarunt noctem. Armis utebantur, si fortassis aliqui in subsidium Christo adessent, ut resisterent. Ita filij perditionis nihil omitunt, quod ad persecutionem bonorum attinet.

Iesus itaq; sciens omnia que uentura erant sup se, processit ac dixit illis: Quæ quaritis? Responderunt illi: Iesum Nazarenum. Dicit illis Iesus: Ego sum.

Vt impleatur prophetia, oblatu est, quia ipse uoluit. Certe multũ situm est in eo, ut cognoscamus Christum sponte oblatũ esse. Ideo diligenter describit Euangelista, quomodo non solum non fugerit, sed sponte se obtulit.

se obtulit: suo exemplo nos docens, si gloria Dei id postulet, ne trepidemus, etiam si periclitandum sit.

Sciens.) Non egit hoc per ignorantiam, neq; fortuito, sed sciens se peti ad mortem.

Queritis.) Volebat Christus hoc suo alloquio benignum aliquod responsum ab illis elicere, sed tigris de seuiore, nequaquam mansuetiore reddebatur.

Queritis malefactorē aliquem, inimicū uestrum? &c.

Iesum.) Querunt illum, sed male querunt: quærunť autorem uitæ ad mortem. Beati qui querunt ut ipsum sequantur, & salutem accipiant.

Ego.) Ostendit se sponte moriturū. Et quantum uirtutis sit in hisce uerbis, proxime ostendemus.

LECTIO LXXXVIII.

His uerbis scribitur initium passionis dominicæ, quanta cōstantia, quantaq; magnanimitate aggressus sit, & quā sponte se obtulerit. Nam cum sciret omnia uentura super se, processit tamen obuiam illis: querit quid uelint, & querant. Respondent, Iesum Nazarenum se querere. Quæ uerba per cōtemptum legenda sunt, quasi dicant: Nazarenum illum seductorem &c. Vulgatum apud illos, à Nazareth nihil boni uenire: unde Nathanaël dixit: Nunquid à Nazareth &c. Nam omnes contemptiores erant, qui à Galilæorum terra ueniebant. Ita Iesum ut contemptibilem hominē querere dicebant. Quod dicit: Ego sum:

docet tempus esse fugiendi & perseuerandi in periculis. Venerat hora, qua oportebat filium hominis pati: igitur manifestat se illis, & palam dicit se illum esse, quem quæerunt: per quod etiam indicat suam diuinitatem. Nos quoties cogitamus humanitatem Christi, reete misericordiam illius magnificimus. Porro cogitantes diuinitatem, æquum est ut reuereamur eum. Dicit: Si Iesum quæritis, non nego me hominem illum esse: & uere testatur se hominem. Quidam uerba ista ad nomen tetragrammaton uulgatum in scripturis, ut in Exodo: Ego sum qui sum, referunt: per hoc uolentes insinuare diuinitatem Christi, & ita uirtute uerbi illius externi operatum fuisse mirabilia, cum dominus sua uoluntate hæc perfecerit. Sed superioribus coniungantur. quasi dicat: Ego confiteor me hominem propter uos factum, & in uestram salutem: uerum ut cognoscatis me non purum hominem, statim agnoscetis uirtutem meam, cadetis enim retrorsum.

Stabat autem & Iudas, qui prodebat illum cum ipsis. Vt ergo dixit illis, ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt humi.

Ita semper euenit in temptationibus, ut falsi fratres se prodant: neque unquam antichristi manifestantur, nisi tempore aduersitatis: iungunt se enim aduersarijs fidei: nam quantumuis simulent se probos tempore prosperitatis,

ſperitatis, tamen ubi peruentum fuerit in illam horam, quando ignis probationis omnia probauerit, tunc hi reuelantur, quales in animo fuerint. Erat ſerè miraculum diſcipulis uidere Iudam, quem habebāt inter ſuos, cui Chriſtus tam multa commiſerat, loculos, poteſtatem eiſcindi dæmonia &c. ſtare cū hoſtibus. Sic quodam modo deliniatur nobis diuinum iudicium, quod impios & falſos detegit: indigni ſunt ut cum Chriſto patiantur, qui non ſecuti illum fuerint puro corde. Habemus apud alios Euangelistas plura, quomodo dederit ſignū, quomodo excellat alios impietate &c. Eò enim proficit impietas, ut hi qui ſicte cōuerſantur inter fideles, etiam impios ſlagitijs excellent.

Abierunt.) Voluit Chriſtus omnibus modis eos retrahere ab impietate: faciebat quod in ſe erat, oſtendebat adhuc aliqua indicia diuinitatis, quamuis uerus homo eſſet, nihilominus indicauit ſuam diuinitatem, ut admonerentur hoc miraculo, & tanta eius maiestate, & parcerent ſibiſſis, ne inquinarent ſe tanto crimine. Legimus de Scipione Aphricano, cum quidā miſſi eſſent ad capiendum illum, deterriti auctoritate maiestatis illius, quandoquidem in ſummo honore habitus ſemper à Romanis. Sed longe hic ampliora uidemus. Apparebat in Chriſto ſumma humilitas: ipſe autem cum ſumma humilitate, iuxta excellentiã diuinitatis & inuiſibili uirtute illos proſtrauit. Erat uerbum illud etſi

pacificum, & magnæ humilitatis, tantæ tamen uirtutis, ut illos in terram dei jecret. Vnde admonemur nos non posse in conspectu Christi iudicis consistere. Cum uox terruit in humilitate consistens, quid in gloria? Si quis penitus scrutetur in scripturis, inueniet cadere retrorsum, in malam partem capi: serè enim impij, & qui diuinam ultionem merentur, retrorsum cadunt: ut Heli qui filios suos non castigauit. Cadunt inimici retrorsum, ut appareat quanta confusione obruantur.

Humi.) Indicium est futuros planè terrenos, & amissuros coelestia gaudia.

Iterum ergo interrogauit illos: Quæ queritis? At illi dixerunt: Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi uobis, quod ego sum. Itaque si me queritis, sinite hos abire. Ut compleretur sermo quem dixerat: Ex ijs quos dedisti mihi, non perdidit quenquam.

Iterum apparet prompta uoluntas patiendi: nam eos quos prostrauerat sua uirtute, sua etiam misericordia erexit. Sed illi inmemores tanti beneficij, permanserunt in sua peruecacia obstinati.

Quem queritis.) Dicitis ne adhuc Iesum Nazarenum? putatis ne adhuc hominem Iesum Nazarenum esse, qui mereatur capi? Tempus erat cognoscere, in quem

quem mittatis manus. Videte in istis quanta miseria sit obstinatarum mentium, apud quas neque beneficia, neque pœnæ proficiunt, sed perseverant in suo responso.

Iesum.) Utique per contemptum illa dicta sunt, ut superiora uerba. Tribuere ruinam suam euentui magis, quàm diuinæ uirtuti, neque putauerūt beneficium esse Christi, quod erecti sint, imò magis exacerbantur impiæ mentes. Christus tandem facit eis copiam sui, quia non potuissent Christum capere, nisi dedisset eis potestatem: nam cum satan non habeat potestatem in hominem, quia dominus sepes pro iob: quanto magis membra satanæ non possunt offendere filium Dei, nisi uolente Deo? Ut igitur Christus significet hoc in sua potestate esse situm, & non ideo capi, quod imbecillior sit, dat eis aliquo modo copiam, tamen refrenat potestatem illorum, ne seuire possint quantum uelint: utique insaniissent in discipulos, & unà captiuos duxissent. Ut Deus indicaret in iob, demoni non esse datam potestatem, primum permittit ei, ut sint in manu eius omnia quæ habebat, sed ne anima eius tangeretur: ita refrenabatur eius austeritas & sæuitia. Sic hoc loco licet uidere iterum magnam benignitatem Christi, & si dem erga discipulos suos. Pastor mori uult, ut parcas tur ouibus &c.

Si me queritis.) Me comprehendite, iam non in pediam, sed permittam uobis hoc nunc: ut alibi: Hæc

est hora uestra, potestas tenebrarum. Sic concedo uobis, sed ne tetigeritis illos qui mihi dati sunt à patre.

Cōpleretur.) Habuistis in præcedenti capite 17. Ego seruauì illos in nomine tuo, & nullus ex illis &c. Vbi ostendimus diuina beneuolentia apostolos, & electos Dei seruari maxime in æternam uitam. Iam hoc loco uidetur Euangelista dictum istud suo proposito accommodare, cum tamen Christus aliò uideatur respexisse, quod non permiserit illos sic abduci ab hoc mundo, & non simpliciter de periculis locutum esse: unde apparet quod Euangelista intellexit: Si apostoli deprehensi, propter imbecillitatem fidei periclitati fuissent, non solum corpore, sed & animo defecissent. Nouit dominus uires famulorum suorum, semperq; habet rationem infirmitatis illorum. Cum iam adhuc essent teneri, neque spiritum fortitudinis accepissent, custodit illos. Prius nihil deerat, absque marsupio dimissis, & uatico: & sic ubique excitabat illos Christus, quia cognoscebat infirmitatem illorum. Ita hoc loco Christus consulit infirmitati discipulorum, & ob id noluit eos tam grauius periclitari. Cum Petrus ad uocem mulierculæ deterritus fuerit, & alij suggerint, quid futurum si capti fuissent? Suprà excipit Simonem Iudam filium perditionis, ille non erat Christo sic datus, ideo indignus cura Christi: etsi prorsus nihil Christus in illo curando obmiserat.

Simon ergo Petrus cum haberet gladium, extraxit illum, & percussit pontificis seruum, & defecuit illius auriculam dextram. Erat autem nomen seruo Malchus.

Vidistis quanta cura fuerit magistri erga discipulos, nunc licet etiam uidere fidem discipulorū, & præsertim Petri erga magistrum. Vt carnales erant, putabant sui officij esse armis tutari magistrum, & etiam periclitandum usque ad mortem. Verum hoc non pertinebat ad discipulos, neq; enim cum Christus quæsiuit, Qui non gladium habet, uendat tunicam &c. non dixit ut ita uterentur gladijs: potius indicauit magnitudinem periculorum. Sed discipuli putabant illud requiri officium illorum. Vnde Petrus magis zelo quam prudenter extraxit gladium, tanta reuerentia magistri apud illum. Temeritatem Christus intempestiuam nequaquam approbavit Petri, etsi affectum eius non adeo improbarit. Qui allegorias quæerunt, hoc facto instare horam dicunt, qua periclitaturū erat regnum Iudaicū, & sacerdotium, ut impleatur prophetia Danielis.

Auricula.) Iam non sit sacerdotiū apud illos, iam non audiant uerbum domini. Deinde nomen Malchos, quod est rex uel regnum, indicat perituram regiam dignitatem & sacerdotalem in populo Iudeorum. Imò

iam perierat sub Herode.

Dicit ergo Iesus Petro: Mitte gladium tuum in uaginam. Poculum, quod dedit mihi pater, nunquid bibam illud? (Hebraice dictum, subiungit relatiuum sub finem: quasi dicit, illum in signem calicem.)

Reprimitur audacia Petri. Non enim est officium apostolorum, ut gladio pugnent. Atqui si Petrus fuisset Pilatus uel Herodes, cui data fuisset superne illa potestas animaduertendi in flagitiosos, & eos qui uim inferunt alijs, nequaquam Christus dixisset, Mitte gladium tuum in uaginam. Debuiisset Pilatus hoc agere, & erudire Christum &c. Sed ita internoscendum est inter officia apostolorum & magistratum: priuatorum hominum, & eorum qui publicis muneribus funguntur. Si Petrus dixisset, Amici quid agitis, quare capitis hominem innocentem: & declarasset suam charitatem, ut quis pro fratre solet famam uel uitam lucrari, tunc quoque non meruisset redargui. Sed quoniam alieno munere fungi coepit, id est, gladio uti, qui permissus ei non est, merito reprehenditur. Ita qui seipsos uindicant contra leges publicas, uel etiam alios gladio defendere uolunt, ubi opus est uirtute uerbi, hi iam nequaquam excusari poterunt. Legimus quidem de Mose, quod spiritu domini ductus fratrem Hebraeum liberauerit. Sed is iam constituendus erat rex super populum, & futurus liberator

liberator populi Dei. Confer officium Moſi & Petri. Nolebat Chriſtus regnum parari per apoſtolos. Magiſtratus nequaquam excuſatur, ſi permittit ſuos interiri à malis: reddet rationem de pupillis & uiduis.

Vaginam.) Matth. Qui capit gladium, gladio peribit. Id eſt, qui ſua autoritate accipiunt gladium. Sed quibus datus eſt, hi non peribunt, quia miniſtri dei ſunt. Sic abarceſt Petrum.

Poculum.) Id eſt: Nunquid uis tu repugnare diuinæ uoluntati, cum ſic Deo placitum ſit, & hæc ſit ordinationo Dei, ut filius hominis patiat, quo tota gens ſaluata fiat? Vocat paſſionem ſuam poculum, quod dedit pater, id eſt, iniunxit. Vis ut non impleam uoluntatem patris? reſiſtis diuinæ ordinationi, ô Petre? Alij Euangelizæ pluribus indicant. Non putas me rogare patrem poſſe, ut duodecim legiones angelorū det &c. In omnibus reſpicio uoluntatē patris, ad quam & te, & omnes reſpicere oportet. Manifeſtū erat, & Chriſtus ſæpius dixerat, ſe uelle pati, & oportere. Si hodie certum eſſet magiſtratui, quod Deus uellet ſuos tradere in captiuitatem Turcæ uel alio hoſti, nequaquam reſiſtere deberet. Verum cum ignoret hoc, potius eſſe memor officij ſui debet & periclitari pro his qui commiſi: & iam non reſiſtit deo. Ezechias toties à prophetis audierat, ne rebellaret contra Nabuchodonofor: ideo debebat ſe ſponte ſubiſcere &c. Iam longe alia ratio eſt. Priuati ſciunt

se non uti gladio, nisi iussi à magistratu. In proprijs causis Christiana mansuetudo ostendenda est &c.

LECTIO LXXXIX.

Qvicunq; uolunt utiliter meditari passionem dominicam, tria potissimū obseruare debent. Primo, dignitatem eius qui patitur. Secundo, modum passionis. Tertio, utilitatem quæ ex passione illa sequitur. Dignitatem patientis obseruare ita debemus. Videamus quis ille sit, nempe filius Dei, qui propter nos homo factus est, & innocens cruci affixus. Quisquis igitur cogitauerit dignitatem illam, & innocentiam Christi, is facile compungitur secum: nam non ita passio dominica legenda est, ut aliæ historiæ uel tragœdiæ, in quibus nonnunquam atrocissima supplicia leguntur, quæ multorum lachrymas excutere possent. Nos longe sublimiora hic habemus, quia nihil dignius Iesu, qui etiam Deus est. Deinde ut uideamus modum, quomodo passus sit: pertulit enim grauissima tormenta, & perstitit in summa constantia, fortitudine animi, & summa patientia, ex quo licet uidere uarias uirtutes eius qui patitur. Tertio dico bene memoria tenendas esse utilitates: nam quod Christus passus est, pro nobis id factum est, ut nos liberaremur à cruciatibus æternis, & ut reconciliaremur patri cœlesti. Hæc si quis cognouerit, non sine fructu leget passionem domini. Si non agnoueris uirtutem, quam obseruauit Christus quum pateretur,

pateretur, uix redderis idoneus, ut imiteris illum: nam fructus passionis, imitari Christum, sequi eius uestigia, crucem ferre, quam ille iniunxit &c.

Cohors igitur & tribunus ac ministri Iudæorum cōprehenderunt Iesum, & ligauerunt illum, & abduxerunt illum ad Annam primum.

Videte hic quanta immanitate aggrediuntur Christum. Posset unus: sed dicit Euangelista signanter, cohors, id est, simul omnes inuasērūt eum, ut multi unam ouiculam inuadunt: nemo sibi temperabat, & omnes pariter aggressi sunt. Ita apparet quāto furore in Christum ferebantur. Verū nihil hic audimus in tanta ferocitate Iudæorum, quā patientiā Christi. Apud alios Euangelistas quid responderit, habetis. Non opus tanto apparatus ad comprehendendum, ut latronem. Porro aliqui fructum horum uerborum ita examinare solent: Capi Christum & ligari, ut nos liberemur. Elegans antithesis eorum quæ Christus passus est, et eorum à quibus nos liberati sumus. Nos eramus obnoxij uinculis peccati & mortis. Christus autē ideo uinctus, ut à uinculis peccatorū nostrorum, & malarū consuetudinum liberaremur. Serui eramus peccati, officimur nunc liberi. Ita etiam in toto processu historię, licebit per antitheses allegoricum sensum elicere. Ducitur ad Annam

primum, ut nos apud dominum absoluamur, ne ducamur ad tribunal æterni iudicij. Ita omnem uiolentiam pro nobis passus est, ut ab æternis pœnis liberemur.

Erat enim socer Caiaphæ, qui erat pōtifex anni illius. Erat autē Caiaphas is qui consilium dederat Iudæis, quod expediret unum hominem mori pro populo.

Suprà illa habuimus, non opus ut eadem repetamus. Verum Euangelista interserit socerū fuisse Caiaphæ Annam: indicat etiam sacerdotium uenale fuisse: decebat unum & perpetuum esse pontificem. Iam uero quotannis licitabant sacerdotiū, nunc Annas, nunc Caiaphas redimebant eam dignitatem sibi. Apud multos autem sic deridebatur Christus, ut eius innocentia & uirtus magis fieret conspicua.

Anni illius.) Maiori etiam odio ferebatur in Christum. Annas non dederat consilium, sed socer. Suprà dignitatem huius uocis manifestauit Euangelista. Et huiusmodi eximias uoces & propheticas Euangelista libenter repetit, sicq; nobis quoque utilitatem dominicæ passionis commendat. Non ut de alijs malefactoribus loquitur, quos nonnunquam expedit, ut è medio tollantur, ne perdant multos: sed ut nos salui fieremus per illum, qui satisfacerebat pro populo. Obseruandum est, quedam inculcari hic quæ apud alios non habentur, quasi

quasi acta essent in aedibus Annæ sacerdotis, cum acta sint in domo Caiaphæ. Euangelista enim habet transpositionem, dum postea sequitur: Misit eum ad Caiapham &c. Vulgus sentit apud Annam fuisse, quod Petrus negavit: sed factæ omnes negationes in domo Caiaphæ. Intelligimus de illo pontifice, qui anni illius erat.

Sequebatur autem Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, & introiit cum Iesu in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiit ergo discipulus ille alter, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum:

Inter initia passionum probantur, quinam sint veri amici, & qui ficti. Omnes discipuli quamuis promiserant se morituros cum Christo, capto illo fugerunt, declarantes suam infirmitatem. Cæterum resumpservant animos, & declarabant affectus suos, & nihilominus inter tentationes amici erant, etsi Christus ab omnibus derelictus recenseatur. Multum enim iucunditatis adfert adflicto homini, fidelibus amicis cingi. Sic contra non caret mœrore, si quis relinquatur tempore necessitatis ab amicis suis: neque solum relinquatur, sed etiam contemnatur. Hæc pertulit Christus, ut nos assuesceremus, si pro veritate patienti sit. Neque simus serui hominū,

sed dei. Sic Paulus: Si hominibus placerem, seruus Dei non essem. Petrus à longe nimirum sequebatur. Quis autem ille discipulus sit, qui notus pontifici, nō constat: pleriq; Ioannem dicunt: sed nescio an ille notus fuerit summo pontifici, qui superbus & fastus. Quia autem Euangelista nō significauit, ne nos curiosi simus. Erāt etiam alij discipuli, qui fauebant doctrinæ Christi, etiā si non essent ex numero duodecim. Sit quisquis uoluerit, satis est scire, plerosque coniectare fuisse Ioannem.

Notus.) Summo sacerdoti, *ἱερωδῆς*. Qui poterat Ioannes cōmendare discipulum pontifici, qui iam triennio Christum sequebatur, & nulla familiaritas cum illo? &c. Lapsus petri Euangelista proponit nobis. Si igitur ille non satis securus, quis ex nobis qui de uiribus suis ausit præsumere aliquid? Ambulemus igitur in timore domini. Licet tamen uidere discrimen inter discipulos: alij deficiunt à Christo per infirmitatem carnis, hos decet misericordia dignari: alij autem per malitiam, qui penitus à domino derelinquuntur. Et quare non eandem ueniam affectus est Iudas ut Petrus? uidete rem ipsam. Petrus negauit Christum & alij discipuli, hoc præ metu faciebant. Iudas autem non solum negauit Christum, sed prodidit & persecutus est. Igitur qui per malitiam peccat, nō assequitur ueniam. In discipulis qui per infirmitatem peccarunt, fides non fuit in totum extincta. In Iuda autem nihil fidei, nihilq; amoris

amoris erat. Hoc ideo propono uobis, ut cogitetis etiã hodie si quidam recedant: nam si intellexerimus sola infirmitate carnis defecisse, fieri potest ut multo fortiores surgant, & incipiant pro Christo periclitari. Postquam discipuli acceperunt spiritum sanctum, mira passi sunt pro Christo. Ita quidam ex sola carnis infirmitate recedunt, illi tamen omnibus modis cauent ne aliquem ex fratribus offendant uel persequantur, & dolent nihilominus male rem habere euangelicã, quamuis non ausi sint palam confiteri. Cum hisce minori austeritate agimus: sed qui ita recedunt ut Iudas, in quibus dominatur etiã satan, ut sint multo peiores cæteris hostibus in perseguendo alios & ueritatem, illis uix polliceri poterimus ueniam. Nolumus tamen in illis negare aliquando esse infirmitatem carnis.

Foris.) Expectans quidnam ageretur cum Christo: infirmus erat & timidus. Indicat partim amorem, sed consternatus erat.

Egressus.) Vtique Ioannes non sic notus, etiam illi ostiariæ, qui triennio uel plus Christo adhæserat. Neque uerisimile ut pontifici pisces attulerit, quia longius iter, quàm ut illinc pisces portarentur.

Dixit ergo Petro ancilla ostiaria: **Nũ & tu ex discipulis es hominis illius? Dicit ille: Non sum.**

Quanta fragilitas Petri fuerit, uel ex hoc indicat

tur, quod puellæ etiam contemptissimæ, quæ à foribus erat, resistere non audebat.

Num & tu.) Sunt qui dictum putant per cõmiserationem: Nunquid tu illius, qui tam misere tractatur, & qui tot criminibus accusatur apud pontificem, discipulus? nimirum omnia indicant te talem esse quendam.

Non sum.) Videtis quæ sit infirmitas humana: qui antea paratus ire in carcerem, is ad leuem uoculam puellæ negat. Quid si raptus ad tormenta &c. Ponit & secundam negationem.

Stabant autem serui & ministri, qui prunas cõgesserant, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum illis & Petrus stans & calefaciens se.

Vt primum ingressus est, negauit ad uocem ostiariæ: stetit aliquandiu apud ministros, & iterum negauit. Et Euangelista interserit quomodo Christus acceptus fuerit.

Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis & de doctrina sua.

Quia dicit ἀρχιεὺς, uidetur quod nõ intelligat Annam, sed Caiapham, ut omnes tres negationes factæ sint apud illum, & alapa etiam data illic Christo. Vnus dicebatur pontifex: alijs per hunc annum non dabatur nomen pontificis. Multa interrogauit absque dubio,

dubio, sed duo præcipue, de discipulis & doctrina eius. Parati erant omnino scire in discipulos, sed dominus non dedit potestatem illis, quia uolebat tunc parcere discipulis. Alij dicunt intellexisse pontificem, quomodo Petrus negarit Christum: uel quod Christus ipse cognouerit. Certum omnia manifesta illi &c.

Doctrina.) Recte quidem, si discendi animo interrogasset. Verum neq; melior neq; doctior euadere uoluit, & solum ut irideret uel condemnaret, interrogauit, propterea non merebitur doceri. De discipulis nihil respondit: de doctrina autem dicit:

Respondit illi Iesus: Ego palàm locutus sum mundo. Ego semper docui in synagoga, & in templo, quò omnes Iudei conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui audierunt quid locutus sim illis. Ecce hi sciunt quæ dixerim ego.

Ex his uerbis licet uidere summam Christi innocentiam, & animi fortitudinẽ, quæ nihil territum sit pontificis auctoritate. Palàm loqui, peculiare omnibus bene doctibus, ut qui lucem nõ fugiunt, & parati sunt ad respondendum. Neq; Christum opus erat interrogare. In templo docuit, in publico loco, non in occulto. Verum proxima lectione diligentius examinabimus illa.

Aliter accusatur Christus apud pontificem, & aliter apud præsidem Cæsareum. Apud pontificem ut contemptor legis desertur & sacerdotij. Inquit enim Caiaphas princeps sacerdotum, sicut intelligimus hic, Iesum de discipulis suis, utpote de doctrina falsa. Fecerat quædam signa Christus in sabbato, propterea uocabant uiolatorem sabbati, & ita soluentem legem. Itaq; Christus doctrinam suam defendit ab omni suspitione, eo quod publice docuerit. Indicium enim ueræ doctrinæ est, quæ lucem non formidat.

Ego palàm.) Id est, fidenter, omnibus tam bonis quam malis. Neq; mundum hic pro mundanis duntaxat hominibus accipimus. Vult dicere: In templo, loco minime suspecto docui, omnibus audientibus. Qui clam irrepunt in domos uiduarum, hi & se faciunt suspectos, & doctrinam quam adferunt. Præterea hoc attendendum est ubiq; Christū hoc agere, ut innocentia sua manifestetur, ideo ad pleraq; obticiat, & responsum nullum dedit. Verum quoties doctrina periclitabatur & suspectior reddebatur, rationem reddit. Ita hic dicit se palàm docuisse, & nihil suspitionis esse in doctrina sua. Vnde etiã ut aduersarij, quorum testimoniū uehemens est & ualidū, referant quæ docuerit, petit. quas si dicat: Interroga quotquot me audierunt, si uerum dicere uolunt, necessū est ut fateantur me nihil antiquius habuisse

habuisse quàm gloriam patris. Tam non erubescō doctrinam meam, ut libenter patiar tibi eam ab alijs indicari. Idem etiam postea habebimus de doctrina sua.

Hæc aut̄ cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Iesu dicens: Siccine respondes summo sacerdoti?

Is minister intentat Christo aliud crimen, quod parum honorifice principem sacerdotum tractet: nam etiam cautum erat lege diuina, sacerdotes honorare: et planè Christus nequaquam contempserat Caiapham, sed rationem reddidit doctrinæ suæ. Illi tamen omnia in pessimam rapiebant partem. Arbitrabantur enim nisi quis per omnia aduletur sacerdotibus, eos conuicijs afficerè. Ita hic minister adulator pontificis, cum Christus non fateretur se peccasse, Christum cedit alapa, quasi iniuria afficientè pontificem. Alapa symbolū est impudentiæ. Hi alapa cædebantur olim, qui uanius, magis & impudentius quid locuti erant. Igitur in facie cedit Christum, ut declararet hoc factō Christum impudenter & sine reuerentia contra legem Dei locutum esse, & contra sacerdotem summū. Quamuis non irreuerentia esset, ut sic dicā, quin potius sacerdos ipse sese ignominia notauerat. Paulus etiam cum reprehendisset pontificem, uocans parietem de albatum, dicebat se ignorasse: quo dicto magis illum taxabat, quia sacerdotis est, legem non ignorare, & iustum iudicium iudicari.

care. Sacerdos re ipsa non erat, utpote destitutus uera unctione: sed ex defensione à Christo subiecta licet animaduertere, quod Christus nulla iniuria illū affecerit.

Respondit illi Iesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, cur me cædis?

Opus erat etiam hoc loco responsione: non enim paruum crimē erat tunc sacerdotem cōtempnisse. Contempto sacerdotio, etiam contemnitur is qui sacerdotium instituit, contemnitur & lex ipsa. Proinde Christus in hoc se excusat, & nihil se fecisse indigne aperte dicit. Interim discimus etiam, neminem esse puniendū, nisi antea conuictum.

Si locutus.) Præcedere oportebat antea cōuictio nem illam. Dicit: Innocentia oportebat mihi patrociniari, & non obesse: merebar potius laudem quàm alas pas. Si male locutus sum, necesse est ut prius conuincar. Hoc non licet apud sacerdotē, præcipue summū. Satis apparet sacerdotē magis confusum factō adulato ris istius, quàm responsione Christi. quasi dicat Euangelista: Nōne apparet quā iniqui iudices fuerint, in quorum conspectu cæduntur, qui nondum conuicti sunt de crimine? Sunt etiam alia acta coram Caiapha, cum interrogaret eum, an esset filius Dei: quæ cum ab alijs narata, noster omittit. Nunc iterum transit ad alias negationes Petri, & hæc ita inserta sunt. Petrus cum fam
mulis

multis apud prunam iterum negat Christum.

Et miserat illum Annas uinctum ad Caiapham summum sacerdotem. Stabat autem Simon Petrus, & calefaciebat se. Dixerunt ero illi: Num & tu ex discipulis illius es? Negauit ille, & dixit: Non sum.

Periculosum est diu manere in peccatis: nam nisi statim poenitentia peccatum ablueris, pondere peccati semper in grauiora pertraheris. Ita Petrus non habens curam sui ipsius, neq; attendens se negasse præceptorem suum, trahitur in grauius peccatum.

Stabat.) Conuersabatur cum malis: unde non mirum est, cum infirmus esset coinquinari ab illis. Igitur qui antea ad uocem puellæ negauit Christum, cum iam à ministris interrogaretur, iterum negauit.

Num & tu.) Nihil etiam graue in istis uerbis erat, & statim negauit. Iterum humanã declarauit imbecillitatẽ, & suo exemplo omnes nos monet, ut ambulemus in timore domini, & nihil de uiribus nostris presumamus. Iam planè nullus erat, qui Christum fatebatur. Monui relicta fuisse seminaria fidei in pectore Petri & aliorum. Nihilominus infirma illa fides non sufficisset ad salutem, quia ore sit confessio ad salutem &c.

Dicit ei unus ex seruis pontificis co-

gnatus illius, cuius absciderat Petrus auriculam: Nunquid ego te uidi in horto cum illo? Iterū ergo negauit Petrus.

Hæc est tertia negatio, in qua Petrus magis urgetur, & testibus quoq; conuincitur esse discipulus Christi. Quamuis hic simplex negatio ponatur, Marcus autem addit quod iurauerit. Ita peccatum semper increfcit, quandiu relinquitur indilutum. Vnus ille non simpliciter rogauit Petrum. quasi dicat: Quare audes negare, nõnne uisus es in horto? Ego te uidi. Alij Euangelistæ habent quod ex ipso sermone deprehenderunt Petrum esse Galileum: nihilominus Petrus confusus negabat, quia adhuc erat carnalis.

Et statim gallus sonuit.

Iterum omittit Euangelista noster poenitentiam Petri, ab alijs decantatam. Secundo sonuit gallus: primum cantum Petrus non audierat, ad huius uero sonitum, Petrus memor facti sui, abiit, ut Euangelistæ alij habent. Iterū habetis quomodo Christus relictus à suis sit, & ab inimicis iniquissime tractatus, Ethnicisq; traditus. Ut aut magis reus censeatur, putabant Iudæi si ipsi uel lapidassent illum, uel alia morte occidissent, quod possent diuulgari, quasi iniuste occidissent. Ideo in maiorem contumeliam uolebant à Pilato iudicari Christum.

Ducunt ergo Iesum à Caiapha in prætorium.

torium. Erat autem mane, & illi nō introierunt in prętorium, ut non polluerentur, sed ut comederent pascha.

Ducitur Christus in prętorium à Caiapha primo mane, quo iterum indicatur immanitas Iudeorum sic properantium ad occidendum Christum, existimantes ipsum luce & die indignum. Alij Euangelistę addunt, quomodo omnis multitudo surrexerit, & adduxerit ad Pilatum Iesum, cum magna contumelia, utpote omnium mortalium sceleratissimum. Videte nunc simulationem illorum. Addit Euangelista, Ne polluerentur. Ita deglutiunt hypocritę camelum & liquant culicem, decimant mentham & anethum, uerum iudicium & misericordiam pręuaricantur. Ne polluerentur, magna diligentia curabant: etsi non fuissent coinquinati, si in prętorium iuissent. Constitutum erat lege, ne quid fermenti sit in domibus Iudeorum, quando pascha editur. Id est, ne communicarent. 1. Corinth. cum immundis. Fermentum enim illud erat eijciendum. Sed magis preceptum illis erat, ut fermentum malitię expurgarent ex pectoribus suis, ut ederent pascha in azimis sinceritatis & ueritatis: hancq; sanctimoniam Christus maxime requirit. Illi autem contenti externis ceremonijs, internam iustitiam omnino negligebant: quamuis satis apparet quā polluti fuerint in tradendo Christo. Ceterum tanta erat cęcitas Iudeorum, ut putarent se oba

sequium præstare Deo, si hominem impiissimum suo iudicio ad occidendum traderent. Verum ipse agnus paschalis occidendus in hunc diem.

Exiuit ergo Pilatus ad illos foras, & dixit: Quam accusationē afferitis aduersus hominem hunc? Responderunt, & dixerunt illi: Nisi esset iste malefactor, non tibi tradidissemus illum. Dicit ergo illis Pilatus: Vos accipite illum, et secundum legem uestram iudicate illum.

Hæc erat malitia Iudæorum, ut sua importunitate impellerent iudicem, ut causa nondum audita, Christum condemnaret, credens sanctitati illorum, qui tam sancti, ut non ad prætorium irent. O cæcitas.

Exiuit.) Dedit illis hunc honorem &c.

Quam accusat.) Principio non accusarunt, sed simpliciter postularunt ad mortem Iesum, quasi indignum accusatione, & qui mereatur mori turpissima morte.

Nisi.) Dicunt: Tam manifestarium est crimen illius, ut non opus sit accusatione. Putas nos tam mala conscientia præditos, ut quem temere accusemus? Urget autem Pilatus, cum iam antea condemnauerant Christum ad mortē. Sed ut dixi, hoc ideo fit, quo mors Christi fieret contemptibilior. Etsi non sine singulari mysterio

mysterio id factum sit, & diuina dispensatione, ut innocentia Christi magis innotesceret. Dicit Pilatus: Si licet causa non audita quempiam iudicare, iudicate uos si habetis aliquam legem: quid opus meo iudicio? Vel dicite causam, quare ego debeam illum iudicare. Quamuis hisce uerbis hypocrisim eorum tangit, qui innocentem sanguinem non formidant tradere, tamen nihil curant. Item dicit illam admonitionem: Quamuis ego ethnicus sim, & à uobis contemnor tanquam pollutus, tamen absit à me, ut uelim aliquem causa non audita tradere morti.

LECTIO XCI.

PRincipio Iudæi Christum apud Pilatum noluerunt accusare, sed sola importunitate interturbare iudicem, ut condemnaret Christum. Freti enim autoritate & sanctimonia Iudæi, nihil non se persuadere posse iudici censebant. Sed diuina dispensatione longe secus accidit, quam ipsi rebantur. Manifestata impudentia Iudæorum est & innocentia Christi, quia Pilatus non contentus simplici accusatione, uoluit audire speciem & ipsum facinus, propter quod condemnandus esset Christus. Vnde obijcit illis: Accipite uos illi, nobis non est ea lex, ut aliquem condemnemus causa non audita. Si uobis talis lex, potestis pergere. Verum dominus ita uoluit indicare Iudæorum malitiam.

Dixerunt ergo illi Iudæi: Nobis non

licet interficere quenquam. Vt sermo Iesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus.

Videmus inuidorum uerba uana & mendacia esse. Dicunt, non est nobis potestas quempiam occidendi. Quis postea dedit potestatem in Stephanum & alios multos? Atqui hoc perpetuò faciunt mendaces: renuntiant priuilegijs suis, quando non in suum commodum cedunt: mordicus autem uindicant, ut suis desiderijs satisfaciant. Copiam facit Pilatus. Si Christus fuisset blasphemus, qualem dicebant, utique iuxta legem lapidare potuissent: sed crucifigere & traducere coram populo, non permittebatur eis, nisi assentiente magistratu Romano, qui tunc presidebat. Pilatus infra permittit eis seruare consuetudinem, quemuis noxium in pascha liberare. Vtique in morte uel occisione Christi, Iudeos non puniisset tanquam inimicos Cæsaris: siquidem solum contra legem suam peccatum esset. Inuidia autem Iudeorum eousque tendebat, ut Christus cõdemnaretur tanquam inimicus Cæsaris.

Vt sermo.) Hoc cõtigit, non quod non esset tanta potestas Iudeis, uel quod defuit eis tantum audacie & temeritatis: omnino si potuissent dentibus contriuisent totum. Verum Christus antea prædixit se crucifigi à gentibus, quo magis esset ridiculo &c.

Introiuit ergo iterum in prætorium

Pilatus,

Pilatus, & uocauit Iesum, & dixit illi: Tu es rex ille Iudæorum?

Lucas dicit, Christum accusatum esse de tribus, deinde adductum esse ad Herodem: nam ubi audiuit Pilatus mentionem fieri Galilæi, quod seduxisset populū, quia Herodes præerat Galilæe, transmiserat illic Christum. Commouit populum à Galilæa usque huc. Deinde quæ acciderunt apud Herodem hic prætereuntur. Vbi igitur reductus fuit ab Herode, qui nullam causam mortis etiam in Christo inuenit, iterum ingressus Pilatus, melius percontaturus omnia.

Tues.) Hæc una causa plurimum ualebāt apud Pilatum: nam ideo datus erat Iudææ, ad tollendas seditiones, ne quis ut tyrannus regnum Iudææ inuaderet. Alia uero sciebat non admodum curæ esse Romanis, quidnam Iudæi crederēt: quamuis ex historijs patet Pilatum ualde iniquum Iudæis fuisse. Etiam Iosephus narrat, Pilatum multa mala illis intulisse. Inter cætera accusatus tanquam reus, qui affectaret regnum. quasi dicat: Es ne natus rex? Nescit Pilatus regnum, nisi carnale & terrenum, & de hoc regno interrogat. Christus autem pulchre respondet, admonens eum officij sui, ut causam perquam diligenter disquirat. Nam dicit:

Respōdet Iesus, A temetipso tu hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me?

Verba illa non simpliciter prætereunda sunt, sed quid sibi uelint, summa diligentia perspicienda. Dicit: Quid uides in me, quod me regem pronuncias? non uides milites neque exercitus. Vide qua ratione me dicas regem, quidnam ostendere possis, unde uerisimile sit quod obijcis. Vel alij tibi dixerunt? Iterum tuum est o iudex, rem melius perpendere, quare me accusent.

Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi.

Sic accusatus es à tuis pontificibus, & à gente tua: ego de hoc crimine non contendo tecum: planè ignarus sum rerum Iudaicarum: necesse est ut hoc ex alijs habeam, & ex tuis, qui sanctissimi habentur. Gens Iudæorum, quia etiam tu Iudæus es, tradiderunt te mihi sic uinctum. Quid igitur fecisti? necesse est quod subsit magna causa, quare te sic accusarint. Iudæi ex prophetis Christum recte regē uocabant. Zacharias dicit: Ecce rex tuus uenit tibi. Iesus dicebat se esse Christum, eam ob rem dicebatur rex. Iudæi qui Christū expectabant, quia terrenum regnum cupierunt, talia non animaduertebant: ideo hoc potissimum nomine agebant apud Pilatum, ut sequenti capite patebit.

Pontifices.) Non simplici morte occidendum uolunt, sed cum hac contumelia pereas. Quid igitur fecisti in parando regno?

Respondit

Respondit Iesus: Regnū meum non est ex hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ne traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc.

Verū erat, Christum esse regem, & propterea nō omnino illud negabat, sed ostendebat etiam qualenam regnum suum: nolebat suam doctrinam infamare, quasi doctrina Christiana magistratum amoveat, uel ordinationi diuinæ contradicat, uel quod Christus ipse afficiet tale regnum.

Regnum.) Propter quod ego rex appellor, non est huius mundi regnum. Unde imperator non habet quod formidet, quasi sim ego illum perditurus, uel eieciurus è regno suo: nihil mihi est cum apparatu huius mundi, nihilq; tale specto: nam si esset mihi regnū mundanum, angeli mei certassent pro me. Potuissim comparare exercitum magnum & resistere. Ministri Christi, angeli sunt. Regnum Christi in spiritu est per tempus istius uitæ dum dominatur in cordibus fidelium per uerbum suum: sicq; agit, & agit regem. Vbi ueritas innotescit, & locum inuenit apud mortales, regnum Christi uidetur. Quod si Christus uoluisset aduenire ut imperator quispiam, potuisset etiam suos ministros incitasse, ut certarent pro regno suo. Etiam unus angelus

poterat defendere Christum, contra Iudeos, qui iam imbelles erant. quasi dicat: Paucis ut dixerim tibi o Pilate, me nihil talium querere. Dicimus regnum Christi non situm esse in exterioribus, & in nullo dominatus uel potentatu: item neque in cibo & potu, uel externis ceremonijs. Rom. 14.

Dixit itaq; illi Pilatus: Ergo rex es tu?
Igitur non negas te esse regem? Satis plana uerba.

Respondit Iesus: Tu dicis, quod rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc ueni in mundum, ut testimonium perhibeam ueritati. Omnis qui est ex ueritate, audit uocem meam. Pilatus dicit illi: Quid est ueritas?

Dicit: Assentior dictis tuis, qui me dicis esse regem: si rex: sed est mihi aliud regnū quàm hoc terrenum. Non sum rex qui usurpo mihi per tyrannidem regnū: sed à patre meo habeo hoc regnum, iam olim per prophetas promissum, ut habetis psalmo secundo.

Perhibeam.) Igitur in testimonio ueritatis situm est regnum Christi, eo quod fideles constituit, & ueraces homines reddit.

Omnis.) Si audit quispiam uocem Christi, is erit ex ueritate, & de regno Christi. Christus illam annunciauit, qui dixit se uiam, ueritatem & uitam. Et: Ne

mo uenit ad patrem, nisi per me. Mundus abhorret ab illa ueritate, Christum esse saluatorem nostrum: super illam confessionem ecclesia Dei ædificata est, aduersus quam portæ inferi nihil præualebunt. Hoc est quod Christus prædicauit, & tot miraculis cõprobauit: nam oues Christi audiunt illam uocem: quos Deus prædestinauit, ut essent filij Dei, hi uocem hanc libenter suscipiunt, & aures suas omnibus alijs doctrinis, quæ contraria proponunt, occludent.

Ex ueritate.) Audiet testimonium hoc, qualiter deus uelit perpetuus esse humano generi saluator. Hoc officium meum, ut prædicem præceptum domini. Ita uisum est Deo patri, quod non uelit saluare mundum, nisi in filio. Iam maxima pars hominũ aberrat in hoc. Omnes hæretici & scismatici deficiunt ab ecclesia, quia hoc ueritatis testimonium non amplectuntur synccero animo.

Quid est.) Querit Pilatus, quænam sit illa ueritas, cui ut testimonium perhiberet uenit in mundum. Non querit de definitione ueritatis, ut quidam putant &c. Sed indignus erat qui edoceretur, qui etiam alias sanas doctrinas Christi non magnificabat. Vnde benedicit: Omnis qui est ex uerita. &c. Hypocritæ etiam se ueritatem audierint, & simulauerint aliquod studiũ ueritatis, tamen nõ audiunt uocem Christi, quia non sunt oues. Quamuis dicant se multa credere, tamen opcria

bus ostendunt sibi illa non satis esse persuasa. Talis erat etiam Pilatus. Hoc planè multos terrere deberet, qui quotidie queruntur de euangelijs plurimum, & summam euangelij paucis uerbis sumere uolunt, dum docemur per fidem Christi iustificandos, quæ fides summa est nostre salutis. Alius fiduciam suam ponit in operibus proprijs, alius in intercessionibus sanctorum, alius in sacrificijs &c. sed nos scimus unicam ueritatem esse. Pilatus idololatra, unde non toto corde querebat: nam sua culpa obtectum fuit ei mysterium Euangelij & lux ueritatis.

Et cum hoc dixisset, iterum prodijt ad Iudæos, & dicit illis: Ego nullam causam inuenio in illo.

Nihilominus quum Christus nondum edocuisset Pilatum, tamen satis animaduertit, non esse periculum tale in Christo, quale putabant ij qui Christum accusabant.

Exiit.) Per quod iterum innocentiam eius conspicuam facit.

Ego nullam.) Vos Iudæi etsi strenue accusetis, ut regem, uel seditiosum, uel prohibentem tributa, nihil ego inuenio, quod meretur tantam accusationem.

LECTIO XCII.

Actio Iudæorū coram iudice Pilato potissimè uersabatur in crimine affectati regni, id quod terrenus

terrenus magistratus grauisime punire solet: nam licet etiam alia obijcerentur, ea tamen nõ tanti fiebant. Ita etiam quotidie adhuc satan aduersus ministros uerbi meditari solet, quasi terrenam quampiam potestatem querant, & magistratum nihili facere uelint. Cæterum Pilatus non semel ab hoc & alijs rumoribus alienum esse testatus est Christum: dixit: Ego nullam causam & c. neq; hanc quam uos tot modis exaggeratis, neque ulla aliam. Certum, Pilatum multo plura locutum fuisse cū Christo, quàm Euangelista describat: neque operæ precium erat omnem narrationem inferre. Quia autem cognoscebat Pilatus innocentem Christum, sui officij erat Christum liberare, nec pati ut tanta perfidia Iudeorum grauaretur. Et quia deses initio fuit, ultro quoque prolapsus est, & magis atq; magis à iustitia deflectere incepit. Ita enim fieri solet, ut si paululum respicias, uel minimum quiddam cesses, mox magis & magis præcipiteris. Vnde etiam Christum confert latroni Barrabæ: & latronem dimittit, Christum uero innocentē ad flagella rapit, & corona spinea coronat, atque coram populo non sine ludibrijs traducit, id quod iustum iudicem nequaquam decebat. Tametsi nondum eò progrediebatur, ut totum perditum uellet Christum, nihilominus iustitiam neglexit.

Est aut̄ consuetudo uobis, ut unum dimittam uobis in pascha. Vultis ne er-

go dimittam uobis illum regem Iudæorum & Clamauerunt rursus omnes dicentes: Non hunc, sed Barrabam. Erat autem Barrabas latro.

Cum posset Christum eripere & dimittere potestate iudiciaria, condonare tamen uult Iudæis, quasi per misericordiam liberet Christum, & non per iustitiam absoluat: quod per se non caret magna culpa.

Vobis.) Dat Iudæis electionem. Sunt qui consuetudinem istam iniquam putent, eo quod iuxta legem diuinam nocens iubeatur perdi, quasi humana traditio aliquid diuine legi addiderit, & ita pepercit nocenti. Attamen mihi uidetur tolerabilis, quatenus publicæ iustitiæ non sit detrimentosa. Nam licet iudici unum & alterum absoluere, sic tamen ut nō det occasionem alijs peccatoribus amplius peccandi: nam & Deus ipse ad misericordiam promior est quàm ad uindictam. Lex enim illa, qua nocentes iubentur occidi, quales fuisse homicidæ &c. data est in utilitatem populi. Vbi igitur ea utilitas populi non incommodatur iam legi, neque fit uis. Potest enim iudex per *ἰνδίκην* suam dispensare, & legem temperare, manet tamen nihilominus mens legis, ut populus à peccatis coherceatur, & constet pax publica. Ita consuetudo illa utcumque introducta, nequaquam uidetur inutilis fuisse. Sic alio-

qui

qui si rigor legis non tam seueriter teneatur, nihil præiudicabit iustitiæ. Ideo relinquamus consuetudinem illam, ut tolerabilem & bonam. Iudex interim iustitiam suam seruare potest. Si populus postea minus recessisset à peccatis, spe huiusmodi liberationis, tunc neque nos poterimus approbare consuetudinem istam. Inuenimus in ciuilibus legibus, aliquando reges dispensasse rigorem legis. Et uidetur consuetudo illa, non sine mysterio esse introducta. Agnoscebant Iudæi tanquam se obnoxios morti in Aegypto, diuina misericordia liberati, in cuius memoriam solennem illam consuetudinem habebant, ut noxius quispiam morti, dimittatur. Sanè totum humanum genus condemnatum erat, & in uero paschate, quando Christus mortuus pro nobis, liberatum est. Id mysterij hoc loco uidetur insinuari: nam alioqui Iudæi solum liberati erant ex seruitute grauissima: præterea primogeniti Aegyptiorum occidebantur, & ipsorum filij manebant intacti & c. Igitur ex patrum traditionibus, qui agnoscebant in pascha humanum genus liberandum esse, à uero & immaculato agno, dimittebant noxium quendam. Ita quibusdam regibus mos fuit in præcipuis festis, ut in natali Christi & c. omnes captiuos liberari, ut testentur diuinum beneficium. Nihilominus eam clementiam sic seruare decei uacem, ut rigor legis seruetur.

Vultis.) τοῦ βασιλέως, per cōtemptum loquitur;

tur illum miserum regem. Apparet satis quàm misera gens sint Iudæi, qui non alium regem nacti sunt: dimittam uobis illum. Dabat eis electionem, ut alij Euangelistæ dicunt, inter Christum & Barrabam. Connumerabat Christum homini pessimo, & putabat Iudæos nequaquam liberaturos Barrabam, sed potius innocentem Christum.

Nō hunc.) Vnanimis cōsensus in peccato. Quanta ignominia hæc fuerit Christo innocentissimo, & filio Dei, quisq; secum expendat. Nonnunquam præteriri in officijs, maxime dolet generosis pectoribus, cum præferuntur indigni, dignis: quanto maior ignominia est, si innocentissimus condemnetur, & præferatur illi sceleratissimus? Etiam alij captiui, ut duo latrones cum Christo crucifixi, sed ille præferbatur in nequitia: latronem illum seditiosum petunt. Licet etiam hic uidere ingenium mundi, qui semper filios Dei condemnat, & pessimos quosq; suo fauore prosequatur: facilius impetraret etiam Turca hodie ueniam ab hostibus ueritatis, quàm qui ueritatē annunciant, adeò despectum est uerbum crucis in hoc mundo. Non sit igitur uobis nouum, si principes huius mundi innocentes condemnent, quandoquidem ista prius acciderunt magistro.



Vnc ergo apprehendit Pilatus Iesum & flagellauit. Et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt illius capiti, & circundederunt illum amiculo purpureo, ac dicebant: Salue rex Iudæorum. Et dabant illi alapas.

Quoniam igitur Christus potissimum accusabatur affectati regni, eam ob causam ipse ludibrijs etiam subiectus est. Et iterum uidete quomodo à iustitia declinet Pilatus. Quid meruit Christus, quem dixit absq; omni crimine esse, ut flagellaretur, coronaretur, & traduceretur coram omnibus? Atqui iniustitia Pilati, per hoc ob oculos ponitur. Non decet cum iniuria alterius, satiare malitiam alterius. Ea est ciuilis illa prudentia, quæ expers charitatis est, neque magnificat, si cum alterius periculo salutem quærat.

Apprehendit.) Iniuste, absq; omni causa satisfacturus hac ratione populo: sed nequaquam inuidis & malis satisfieri potest: flagellare fecit & permisit. Non uerisimile, ut suis manibus flagellauerit, sed sui milites. Et non solum flagellarunt, sed coronam imposuerunt, quasi manifeste irridentes: Ecce, quia dixisti te esse regem, dignus es qui coroneris: coronabimus autem co-

rona, quam meruisti, spinea scilicet. Ita etiam alia quæ fiebant ibi, symbola erant regni: purpureū amiculum & harundo, quæ erat sceptri loco, alapæq; quæ erant loco donariorum, & salutationes. Potuissent alijs Iudæijs etiam Christum prosequi, sed nolebant. Hæc autem potissimum delegerunt, ut agnosceretur esse tyrannus: unde postea titulus scriptus est. Nā terrenos principes hoc unum solum male habet, si à loco suo moueantur: potius se uindicant, quàm iniuriam factam deo. Alij Euangelistæ scribunt genuflexiones coram sacerdotibus. Verum quemadmodum Christus coronatus est, ita adhuc electi ministri Dei coronantur, ne quærant in hac uita delicias, gloriam & uoluptatem, sed post Christum ferant crucem, spineam coronam &c. Nam ignominiam ferre pro ueritate & irrideri, solenne est pijs discipulis Christi. Summam piorum gloriam irridet mundus, putatq; esse spinas.

Purpureo.) Quod amiculum ipsum etiam sanguinem significat, quem pij effundunt. Omnia uidentur esse ridicula, ut sciant pij se expositos ignominie. Salue rex, uiuat rex: sed per antithesim illi & per ironiam dicebant, quasi dicant, qui minime dignus aliquo es regno. Alij munera regibus offerunt, illi alapas. Suprà dixi symbolum esse impudentis sermonis, ut comprimantur ora eorum, quæ laxata sunt in uaniloquiū, uel in blasphemias. Ita ipsi alapas inferebant Christo, testantes

testantes quod impudenter se regem dixisset. Quomodo autem milites tractarunt Christum, alij latius describunt, quot uulnera &c. sed cum Euangelistæ omiserint, periculo non caret illa uelle scire.

Exiuit iterum Pilatus foras, & dixit illis: Ecce adduco uobis illum foras, ut cognoscatis, quod nullam in illo causam inuenio.

Eductio ista ex prætorio ad populū, addebat Christo nonnihil doloris: nam sicut uoluit pro nobis pati, & sumpsit in se sponte etiam dolores, ita & pudorem. Quamuis Christus caruerit omni crimine, tamen infirmitatem nostram etiam gustare uoluit. Ita cum sic traduceretur coram populo, & appareret in tanto cōtempu uestium, non ignarus sue dignitatis, utique non paruum dolorem sensit.

Ecce duco.) Iterum habemus excusationem pro Christo, & condemnationem iudicis. Quare flagellauit illum, si nullam causam inuenit? quasi dicat: Ut uideatis eum nequaquam esse regem: nihil uidebitis regium in illo: nam accusatus erat ut rex. Quis putaret hominem sic flagellis discerptum, & frè homini non parem, referentem faciem potius leprosi, quis inquam putaret illum esse regem? Non est uerisimile aliquid metuendum de illo, qui sic humiliatus est.

Exiuit ergo Iesus foras, ferens spinam coronam, & purpureum amiculum, & dicit illis: Ecce homo.

Moturus ad misericordiam populum, dicit: Videte, homo est: nonne satis misere tractatus? Videte miserum, plane nihil regium in illo apparet: sed quia se regem dixit, emendauit illum: satis punitus pro nugis suis quas temere effutyt. Potissimum his uerbis uult indicare contemptum Christi & Herodes etiam, quamuis interim cuperet etiam Iudaeos misericordes esse, ut liberaretur ab hoc iudicio. Ita contemptibilis est Christus & populus dei coram hoc mundo, ut ferre non sint similes hominibus. Psalmus dicit, Vermem & opprobrium plebis &c.

Cum ergo audissent illum summi sacerdotes & ministri, clamabant, dicentes: crucifige, crucifige. Dicit illis Pilatus: Accipite uos illum & crucifigite, ego enim non inuenio in ipso crimen.

Iam uidet Pilatus, quam stultum sit consilium suum, quod implacabiles bestiae sint inuidi homines, qui nullis poenis miserorum satari possunt. Oportebat sacerdotes & ministros illorum in primis placabiles esse, uisa tam misera facie Christi, sed illi magis uertuntur in furorem & insaniam. Et non simpliciter postulant ut Christus crucifigatur, sed cum quodam clamore & indignatione.

Quod

Quod non poterant iustis accusationibus impetrare, hoc clamoribus conantur extorquere, & dicunt:

Crucifige.) Quasi dicant: Pessimus est mortaliū: longe grauiorem pœnam meritus est, nempe ut adigatur cruci. Erat enim ignominiosissimum genus mortis apud Iudæos, adigi in crucem. Vnde subinde eandem uocem repetunt, ut affectus illorum agnoscat, adeo siticulosi erant sanguinis Christi. Excusatur nunc iterum Christus à iudice Pilato.

Accipite.) Quamuis flagellarim eum, cogor tamen dicere eum hominem esse innoxium: hucq; tendit Euangelista. quasi dicat: Nullam causam inuenio, taceam quod uelit inuadere regnum.

LECTIO XCIII.

INter cœtera, quæ præcipue decet commemorare in memoria dominicæ passionis, est innocentia domini, testimonium ferente ipso iudice contra seipsum. Nam subinde dicit Iudæis, se nullam causam inuenire in illo. Incusabatur, quod regem se dixisset: sed non contentus hac incusatione Pilatus, ideo aliam adferunt.

Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, quia fecit seipsum filiū Dei.

Blasphemiam nunc intendunt Christo, quasi iniueque fecisset se filiū Dei. Iam satis apparet contra Arianos & alios qui nolunt Christum parem esse Deo pæ-

tri, & faciunt filium quasi adoptiuum, quemadmodum ceteri sancti dicti filij Dei, ut in psalmo 81. Ego dixi, dii estis, & filij excelsi omnes. Quod si non ob aliam causam dixisset Christus se filium Dei, nequaquam Iudaei occasionem accusandi accepissent: sed satis apparet ex hac accusatione, quod uerum Dei filium se dixerit. Hoc est scandalum Iudaeis, atque omnibus arrogantibus ingenijs, qui diuina solent aestimare iuxta rationem eorum, quasi eadem filiatio in diuinitate, ut in humanitate. Erat tamen filius Dei, & non seipsum fecit. Deut. 13. & alijs locis legem habent aduersus falsos prophetas, ut lapidentur. Lex quidem iusta, etiã hodie non est iniqua, ut lapidentur falsi prophetae, qui populum seducunt, si quidem desistere nolunt à sua seductione. Est autem hoc magistratus secularis, non eorum qui uerbo & scripturae regunt. Dicunt: Reus est mortis: ne igitur putes illum omnino esse innoxium: non attendis tu quantum crimen sit, ita blasphemare?

Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus praetorium iterum.

Pilatus audito hoc sermone, timuit, nimirum opinione quadam gentili, quia iuxta ethnicorum fabulas audiuerat saepe deos uersatos in terris, Iouem & Mercurium &c. Quia Christus mira fecerat opera, putabat Christum ex numero illorum esse, propterea timuit,

muñt, quod tanta iniuria filium Dei affecisset. Videte quàm stultus sit timor ille: nam quamuis timeant de poena, non tamen cessant male facere: unde non est sanctus ille timor, quo homo magis timet peccare, quàm propter peccata puniri.

Et dicit Iesu: Vnde es tu? Iesus autem responsum non dedit illi.

Quia nimium deflexerat à iustitia, & innocentem Christum flagellauerat, indignus erat cui Christus tanta arcana reuelaret. Ita etiam docuit nos Christus, tempus esse loquendi, & tacendi tempus. Ne margaritas porcis obijciamus, & sanctum canibus. Iam antea edoctus erat Christi regnum non esse ex hoc mundo, & ad quanta missus esset: sed non expendit hoc responsum. Itaq; non dignus ut nunc respondeatur illi, quamuis postea responsum sit, potius tamen factum est, ut vindicaretur diuina gloria.

Dicit ergo illi Pilatus: Non loqueris mihi? Non uides quod habeam potestatem crucifigendi te, & potestatem habeam dimittendi te?

Antea audiuiſtis correptũ timore iudicẽ, sed uerba illius nullam sapiunt modestiam: adhuc intumescit, sibi tribuit suam potestatem, facit se superiorem Deo: & non attendit, quod audierat ipsum esse filium Dei, sed quod

uinctus ante se staret &c. quasi diceret: Possum te liberare, situm est in arbitrio meo. Plus attendebat Cæsarem Romanū, quàm deum cœlorum. Vnde quia dictis illis blasphemabat nonnihil, reprehenditur à Christo.

Respondit Iesus: Non haberes potestatem aduersum me ullam, nisi tibi datum esset à supernis. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet.

Reprimitur superbia iudicis. Quantumuis, inquit, tu gloriaris, quia ego innocens sum, nullam haberes potestatem: permittam tamen tibi hic, quod constitutus sis iudex à Romanis, sed autoritas illa data est, non contra innocentes, uerum in seditiosos & noxios.

E supernis.) Ita deo uisum est, ut ego in manus tuas traderer & accuser innoxius. Singulari dispensatione hoc cōtigat, ut ego filius dei ab homine ethnico diiudicer

Qui me.) Idest, me innocentem. Videmus hic etiam discrimen esse in peccatis: non omnia, ut quidam dixerunt, equalia: Stoicos secuti & Iouinianos. Licet ex eadem radice ueniant, tamen est alia amaritudo in alijs: propterea nō paria sunt peccata. Grauius qui per malitiam peccat, quàm qui per ignorantiam: hic ueniam meretur, ille non. Iudæi nouerant miracula, uitam iustam & innocentem, ideo magis peccarunt. Pilatus ut ethnicus neq; sciebat legem, neq; quid promissum in ille

la, excusatur à tanto peccato, sed non ab omni. Oportebat iuste iudicare, & non gratificare parti aduersariae cum damno alterius. Obseruare hic licet etiam, nullam potestatem esse principibus huius seculi aduersus filios Dei: neq; enim principes, neq; reges, neq; omnes diaboli, uel pilum possent de capite iustorum auferre, nisi superne illis concederetur. Et hinc potissimum consolationem accipiunt sancti & ministri dei, quia sciunt citra uoluntatem dei nihil contingere. Suam uoluntatem Deo consecrarunt & subiecerunt, eam ob causam magis constantes, & patientia ampliori praediti sunt.

Et ex eo quærebat Pilatus dimittere illum. Iudæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimiseris, non es amicus Cæsaris. Quicumq; se regem facit, contradicit Cæsari.

Ex hoc tempore, quo audiuerat Pilatus Christum habitum esse pro filio dei, & quia etiam maiorem culpam reieciisset in Iudæos, quod per inuidiam illum tradidissent, quærebat dimittere illum. Verum non tanto studio, quanto oportebat, sed quantum licebat per gratiam Iudæorum, adhibebat aliquid operæ, laborans pro innocentia illius: sed frustra laborabat. Iterum apparet innocentia Christi. Videmus quod hæc accusatio non recipiatur à Pilato, qui non curabat hoc, quod se fecisset

filiū Dei, neq; putabat dignam causam ut occideretur. Quamuis non hic habeamus talia, declarauit tamen Iudæis hæc, ut illi primā causam iterum assumāt.

Si hunc.) Minantur nunc, & quod non poterant rationibus impetrare, minis extorquere uolunt. quasi dicant: Quamuis excuset se, quod non sit rex huius mundi, & regnum suum non sit ex mundo, nihilominus dixit se regem.

Quicumque.) Hoc omnino Romano Imperatori graue erat, quod quis sua autoritate diceret se regem. Cæsar solus regnare cupit toti mundo, proinde uide tu quid sis facturus: nequaquam poteris dimittere illum. Minantur illi quod seditiosos permittat uiuere: sed apparet quā uacuis omni iustitia, qui tam leuibus minis à iustitiæ tramite depellebatur.

Pilatus autem cum audiuisset sermonem illum, produxit foras Iesum, & sedidit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha. Erat autem præparatio paschæ, hora autem ferme sexta.

Vt primum Pilatus audiuit memoriam Cæsaris, eduxit Christum foras, iam paratus ad condemnandum, plus timens hominem mortalem, quā Deum immortalem: quamuis non esset iussus ab Imperatore,
ut

ut quenquam iniuste iudicaret.

Foras.) In conspectum Iudæorum: ubi etiam irrisiombus uolebat deterrere, ne temere peterent Christum innocentem.

Tribunali.) Apparet quod non amplius inquisiturus sit causam: quod indicium est iniustitiæ. Locus liberior, aptus iudicio frædo. Decet ut iudex sedeat, quo utranque partem audire possit. Oportebat autem illam sententiã summo loco promulgare, ut appareret quantaniustitia Christus opprimeretur.

Pascha.) Adiungit hoc tanquam rem plenam mysterij. Vult dicere: Aderat iam tempus illud à Deo destinatum, ut uerus agnus paschalis, nõ typicus, occideretur pro peccato mundi.

Hora.) Numerus iste non caret mysterio. Adam sexto die conditus est, ita etiam sexto die Christus mortuus est. Neque sic ætates numeramus, ut plerique, sed plenitudinẽ mundi per sex dies, ut tempora etiam Christi plena sint, intelligimus. Alij alia adferunt, sed tamen non discordant.

Et dicit Iudæis: Ecce rex uester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige illum. Pilatus dicit illis: Regem uestrum crucifigam?

Videtis iterum hanc potissimum causam uentilare.

quod Christus condemnaretur tanquã rex. Obiurgat & impropertat Iudeis. quasi dicat: Videtis qualis rex uester? Nonne pudet talem hominem, tam misere tractatum, regem esse uestrum? Irridetur regnũ Christi ab ethnicis, qui ignorant quale sit regnum in spiritu: & quicquid illis dixeris de ueris uirtutibus, ridiculũ erit: apud superstitiosos autem alios & Iudeos erit offendiculum maximum. Et qui operibus laborant, quomodo possent ferre Christum esse salutem nostram? quoniam quæ oportet fidei tribuere, id operibus tribuunt.

Tolle.) Magnam dignitatem indicant illa uerba. quasi dicant: Inuisus est oculis nostris: ne diu patiaris portentum istud uiuere: dignus est turpissima morte, & non uulgari.

Crucifigam.) Cum sic instanter peterent Iudei, demum iterum irridet illos. Regem ne uestrum &c. Irrisionem hæc uerba habent. quasi dicat: Nonne hoc pariet uobis ignominiam coram gentibus omnibus, si crucifigam regem uestrum, qui in scripturis uestris uobis promissus est? Ita factum est diuina dispensatione, ut præses maneret in irrisione, ut ipsi sententiam contra se ferrent. Foueam fodiunt, & cadunt in illam.

Responderunt principes sacerdotum: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit illum eis, ut crucifigeretur.

Tamen

Tamen scriptura promisit eis regem Christum, sic iam palam renunciant Christo. Indigni igitur regno Christi, & digni qui Caesaribus seruiant, et in libertatem etiam illam externam nunquam redeant, quia uerum regem negauerunt. Sicut prius Barrabam praeferebant Christo, ita nunc Caesarem regi summo deo.

LECTIO XCIII.

Ostenſa eſt nobis per Euangeliftam mira innocentia Chriſti, etiã ipſo iudice teſte, qui ſepties Chriſtum excuſauit, quod nihil criminis in ipſo inueniret. Declaratus eſt autẽ & furor Iudaeorum, qui implacabiles conſtanter Chriſtum accuſarunt, donec impetu magis iudicem peruincerent, quã iuſta accuſatione. Vbi igitur ſententiã Iudaeorum Chriſtus traditus eſt, conſequenter nunc ipſam mortẽ & crucifixionem Chriſti, in qua patri nos reconciliauit, ſpiritus ſanctus narrat.

Acceperunt autẽ Ieſum, & abduxerunt, & geſtans crucem ſuam egreſſus eſt in locum, qui dicitur Caluarix, hebraice autẽ Golgatha, ubi crucifixerunt illũ, et cum illo alios duos hinc & hinc, medium autem Ieſum.

Admodũ paucis uerbis crucifixionẽ Chriſti Euangelifta proponit: Crucifixerunt, dicit. Verum penitus

hæc consideranda sunt. Scitote igitur hic potissimum considerari debere mortem Christi ut satisfactoriam, qua cœlestis pater nobis reconciliatur: non quod non elegerit nos pater ab æterno, sed quia sic decreuit, ut spem nostram confirmaret: nam hæc potissima causa mortis Christi. Planè ante elegit nos deus, aliàs nequaquam misisset filium suum. In Christo electi sumus, quæ oportebat ita humiliari, ne spei nostræ aliquid deesset. Qui hoc cogitat, non dubitat de beneuolentia cœlestis patris. Interim tamen sua morte multa commoda nobis attulit, nempe & contemptum humanæ gloriæ & huius uitæ. Duo enim illa potissimum nos impugnare solent, & à diuinis abducere. Alij cupiditate gloriæ perierunt, alij deficiunt nimia auuiditate huius uitæ: hiq; duo maximi hostes sunt. Christus igitur moriturus pro nobis, morte sua omnium ignominiosissima docuit nos ut humanam gloriam calcaremus, & uitam præsentem nõ tanti faccremus, sed obedientes essemus deo usque in mortem. Illa ueniunt in hac lectione expendenda: principio cum quanta ignominia Christus passus sit: secundo, quanta constantia mortem subierit. Hoc indicare Euangelista uoluit, relictis multis alijs, quæ non ita necessaria erant.

Accep.) Nimirũ cū crudelitate magna, & cū gratulatione, quod seductor iste incidisset in manus suas.

Et gestans.) Hoc pertinebat ad contumeliã Christi.

sti, non solum quod moriendum erat illi in cruce, sed quod ipse suam crucem cogebatur gestare: Nemo enim maledictam illam crucem attingere uolebat: quamuis ut alij dicunt, crux ea imposita Simoni cuidam fuit. Petrus in prima epistola sua dicit Christum portasse nostrum peccatum super lignum. Inde satis apparet, quam molesta illa crux fuerit. Non leue onus crux, sed longe grauius peccatum. Fert Christus, ne nos feramus. Est alia benedicta crux, quam feremus libenter cum Christo.

Caluarie.) Interpretatus est hunc locum Apostolus in epistola ad Hebræos, adducto ex Mose testimonio et figura quadam, dicens: Animalium enim quorum sanguis infertur pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Quas propter & Iesus, ut sanctificaret per proprium sanguinem populum, extra portam passus est. Et quid sibi ista figura uult? Nimirum indicatur nobis, Christum fuisse habitum peripsema, reiectum ab omnibus, quemadmodum cinis iste ex castris, maledictus cinis uidebatur. Prophanum est, quod non permittebatur intra castra. Ea igitur quæ eiciebantur ex castris, habebantur pro immundis. Ita etiam Christum oportebat maxime contemni: unde extra portam passus est.

Egressus.) Ex ciuitate scilicet: ubi indicatur quasi si Christus indignus sit ciuitate Hierusalem, cum tamē

ipse sit rex uere cœlestis ciuitatis Hierusalem. Cætera maiorem contumeliam indicant. Non secessit in locum aliquem amœnum, sed infamatisimum, ubi facinorosi puniebantur: ad sarcas missus est Christus.

Golgotha.) Non est uox hebraica, nisi generali nomine, & nisi sub hebraicis syriaca comprehendas. Ibi à ueteribus, quos tamen nollem in hac re contemni, annotatum fuit, in hoc loco fuisse Adam sepultum, propterea oportuisse Christum hoc in loco pati: satis tamen quantum ad historiam attinet, à Hieronymo resselluntur. Sed quid si illi non historiam cõmendare uoluerint, sed potius subindicare dominicam passionem, quasi nos omnes qui ex primo Adam processimus, assimilamur cranio propter seruitutem, mortemq;? Erat enim summa nostri desperatio absque Christo, is propter nos pati debebat. Vnde uidentur ueteres allusisse nonnihil ad nostram redemptionem, qui haecenus in nobis ueterem Adam circumferimus, & propter illum, quia sumus mortales, recte assimilamur Caluariæ. Caluaria osibus plena, nihil decoris, nihil uitæ, nihilq; sensus habet. Sic in homine omnia diuina perierant, facti filij iræ & mortis. Sed relinquamus illa, sufficit agnoscere summam ignominiam qua affectus est Christus. Egressus igitur Christus in locum infamissimum, in quo puniebantur flagitiosi.

Vbi crucifix.) Paucis illud subiungit. Quanti autē

autem fuerint cruciatus, non ostendit, neq; admodum ad rem pertinet. Considerandum hic quàm humiliter Christus pati uoluerit, ut discamus nos humiliare.

Alios.) Alij indicant latrones fuisse. Hoc iterum ad opprobrium Christi pertinet, quasi princeps latronum esset, & facinorosorum.

Medium.) Medius locus tunc magis principalis, quasi Christus caput omnis malitiei. Iam apud nos non ita sese res habet, & longe aliter facinorosi suspenduntur. Armatur igitur nos Christus aduersus superbos, ne ita pendeamus ab opinione hominũ: sufficit nobis placere deo. Quis unquã peius audiuit quàm magister noster? Habebimus etiam eundem scopum in ceteris quæ gesta sunt. Adiungit Euangelista:

Scriptum autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum: Iesus Nazarenus rex Iudeorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorũ legerunt, quia prope ciuitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum hebraice & græce & latine.

Pilatus etiã ipse ludibrio habebat Christũ, quem admodum ex superioribus coniectare possumus, quàm fuerit dicax. Igitur ridiculum, ut sibi uidebatur, titulũ imponebat cruci, notans tum Iudæos, tum Christum

ipsum. Illos, ut malignos homines, qui tam miserū putarent usurpasse regnū: deinde quoq; & Christum accusatum regem Iudæorum, sic irridebat. Suprà, Ecce rex uester. Ita etiam titulum in opprobrium Christi scriptum arbitratur. Quamuis spiritus sanctus longe aliud quippiam spiritualibus commendare uoluerit, sicut suprà auditum est in Caiapha, qui etiam ipse maligno nimirum animo, Expedit, dixerat, ut unus moriatur, ne tota gens pereat: nihilominus spiritus sanctus per illum locutus esse dicitur. Ita hic quoq; diuina dispensatione scribit Pilatus titulum, quem ipse ignorabat, quid præfiguraret: & cum infamare studet Christum, magnam illius gloriam prædicat.

Titulum.) Inscriptionem. Neq; hoc sine causa factum est. Voluit enim deus manifestissimam esse mortem Christi.

Iesus Nazar.) Circunferuntur hi tituli, & nescio quibus præstigijs dementent quidam simplicem populum. Verum satis nobis fuerit scire, his tribus linguis titulum hunc esse scriptum. Voluit deus hoc mysterium toti orbi commendatum. Pilatus & Iudæi cupiebant Christum traduci coram toto mundo, quasi miser rex esset. Quamuis Pilatus antè audisset, quale nam Christi regnum esset. Sed scripto titulo iterum ostenditur, Pilatum non locutum esse ex animo, neque satis diligenter expendisse ueritatem.

Rex.) Rex ille quem Iudæi expectant, qui Iudæis promissus per prophetas. Pleni sunt omnes prophete promissionibus de Messia. Cū igitur regē dicit, Messia dicit. Vtique nihil uerius isto titulo, ipse enim est rex Iudæorum. Sed hoc non erat dare crimini, quia natus in hoc, ut ueritati testimonium ferret. Sententia uera, siue loquaris secundum spiritum de Iudæis qui deum confitentur, siue iuxta carnem loquaris: nam uelint nolint, imperium Christi experiuntur. Ita spiritus sanctus multa mira disponit nonnunquam per malos homines, utens illis pro organis suis. Lecto isto titulo, Iudæi ægre tulerunt: intelligebant enim quid sibi uellet. Cæterum ad contumeliam Christi facit locus prope ciuitatem, ut essent multi spectatores: et si etiam ad gloriam Christi, quo uirtus eius magis innotesceret.

Quid an dicunt hic consecratas esse linguas, sed tenue admodū argumentū est. Scimus tres linguas illas fuisse præcipuas. Iudæi cultu dei, Græci sapientia, & Romani potentia & imperio clarebant. Gentes istæ tres, nobilissimæ erant per totum mundum. Romani autem illic potestatem, proinde causam illam omnibus Pilatus uoluit esse cognitā, cum tres illæ lingue præcipue tunc temporis Hierosolymis essent. Græci enim uicini, Romani uero summum imperium habebant &c.

Dicebant ergo Pilato pontifices Iu-

dæorum: Noli scribere rex Iudæorum,
sed quod ille dixerit, rex sum Iudæorū.
Respōdit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.

Intelligebant sacerdotes Iudæorum pertinere hoc ad suam ignominiam, unde præfidi locuti sunt, ut scripturam istam aboleret, & aliam apponeret. Iterū indignos se Christo ostendunt, sicut & suprā, cum eligerent Barrabam liberandum & Christum crucifigendum: & deinde reiecerunt Christum regem, dicentes se non regem, sed Cæsarem habere. Ita nunc quoque titulum hunc agnoscere nolunt, quia Christum uerum Messiam nolunt regnare super se: quamuis hoc potissimum nomine coram præfide accusauerant.

Sed quod.) Nolebant Christum habere pro rege, uerum pro seditioso, & qui tyrannidem inuadere uoluerit.

Rex sum.) Erat tyrannidis illorū indicium. Talia etiam hodie multi dicunt, quo euangelium exosum faciant principibus. quasi dicāt: Hoc non est tolerabile, non rex est, sed seditiosus fuit homo. Aduertenda est hoc loco ingratitude Iudæorum, qui perpetuò Christum abijciunt: atqui iudicio occulto Pilatus scripserat. Respondit Iudæis: Bene res se habet, non mutabo titulum. Sic quæ diuinitus eueniunt, non mutantur. Et uere insinuat spiritus sanctus, Christi regnum æternū fore. Ab illo enim tempore, quo crucifixus est, incipiebat

bat regnum Christi, propterea nō abolendus titulus.

Milites ergo cū crucifixissent Iesum, acceperunt uestimenta illius, & fecerūt quatuor partes, unicuique militi partem, & tunicam. Erat autem tunica incōsutilis, à summo contexta per totum.

Videtur aliud genus ignominie. Vbi que irridetur ab omnibus, ut discamus etiam nos aliquanto leuius ferre irrisiones & sannas malorum hominum. Nam diuisio uestimentorū, etiam ad contumeliam spectat, quasi iridentes regē. Egregius rex, participemus de libertate istius regis. Verum proxime copiosius de hac re.

LECTIO XCIII

Circa passionem dominicam admonui inter alia, obseruandā esse summam ignominiam, qua affectus est Christus: deinde etiam acerbissimum dolorem, ut illorum cogitatione infirmitatibus nostris medeamur, & sic repellamus huius mundi gloriam uanam, & nimiam huius uitæ cupiditatē. Magis enim describere solent euangelistæ duo illa: principio ignominias quas intulerunt Christo, tanetsi hic noster plerasque transeat: deinde maximos dolores. Audiuius quomodo Pilatus spreuerit eum, imposito cruci titulo, quantum ad Pilatum quidem attinet ridiculoso & probroso, sed re ipsa gloriosissimo. Sicut igitur præses derise

rat Christum, ita & ministri illius qui Christum crucifixerunt. Varie etiam Christus accusatus fuit apud Iudaeos, & ethnicum praesidem. Apud Iudaeos, ut blasphemus, quod dixerat se filium dei: apud praesidem, ut affectatorē regni. Milites igitur cum diuiderent uestimenta Christi, ut est natura dicax hominum genus, & amans scommata, quasi egregium ministerium obuissent crucifixo tali rege, diuidunt uestes, tanquam regis cuiusdam spolia. Cum igitur illa non essent tam sumptuosa, non carebant amaritudine quaecumque; per illos fiebant: quamuis etiam sic propheta implebatur.

Milites.) Vestis superior Christi, diuisa est in quatuor partes, & residua adhuc tunica, uel interior interiorula, ea erat inconsutilis, proque illa ludebat. Siue autem habuerit pileolum, siue aliud quidpiam, incertum est: tamen uestitus in quatuor partes diuisus est. Et uestes quae non sunt inconsutiles, facile diuiduntur. Non opus ut facias quatuor uestes, quasi Christus se onerauerit uestibus, qui alioqui praecipit discipulis, ne sint sumptuosiores in uestitu. Siue igitur indusum illud linteum, siue qualecunque, non refert, textum supernè fuit per totum. Volunt autem hanc uestem, figuram esse Christianae unitatis, quam docet per omnia esse integram, nullaque ratione soluendam. Vnionem seruare debent per totum, & omnium una concordia est, qui uere Christi sunt: tamen si allegoria haec parum huc pertineat. Euangelista

gelista hoc potius uoluit indicare, ut ostenderet prophetiam impletam esse.

Dixerūt ergo inter se: Ne scindamus illam, sed sortiamur de illa cuius sit. Ut scriptura impleretur, dicēs: Partiti sunt uestimenta mea sibi, & super uestem meam miserunt sortem. Et milites quidam hæc fecerunt.

Varijs modis præluserunt prophetae passioni Christi, ut cum ueniret, ex his quæ prædicta erant, agnosceretur. Erat & hoc indicium ex psalmo 21. unde illa uerba & alia quædam desumpta sunt. Et psalmus iste potissimum ad Christum pertinet: etsi quædã quæ regi David aliquo modo congruunt, contineat, implentur tamen in Christo. Non deerat militibus animus diuidendi interulam, sed diuino instinctu adhortati sunt, ne diuiderent. Causam uis? ut scriptura impleatur. Et talia signa prædixerunt prophetae, ut certi essemus de Christo.

Vestem.) Tunicam inconsutilem. Ludus ille absque dubio opprobrosissimus erat, ludebant ut pro re admodum uili & contempta: ita quæ Christi erant, uidebantur illis contemptissima. Quomodo autem contemptus à sacerdotibus, apud alios euangelistas habetis: quæ uero nunc sequuntur, dolorem Christi grauius

rem reddūt. Pati enim coram amicissimis, quos scimus nobis optime uelle & nobiscum dolere, aliquid tristitiæ addit cæteris. Ita hoc loco contigit. Nam quis dolorem, quem mater Christi hauserat ex aspectu filij contempti & uarijs modis cruciati, exprimet satis? Is inquam dolor, cruciat etiam Christi pectus. Habet tamen & hoc suum mysterium, ut sciamus Christum nõ solum in se pati, sed in dilectis suis qui stant iuxta crucem, et participes sunt crucis Christi, ut mereatur cum illo triumphare & regnare.

Stabant autem iuxta crucẽ Iesu mater eius, & soror matris eius Maria uxor Cleopæ, & Maria Magdalenæ.

Satis apparet ex hisce uerbis, quosdã matri luctum nimium & indignum constantiæ uirginis ascribere, facientes illam desperabundæ similem, cum manifestum sit, eam stetisse apud crucem. Confortabatur per Christum, spiritu sancto pectus eius confirmante.

Mater.) Res non parui miraculi est, uidere filium dei sic contemni & puniri, à matre, tanta constantia. Aliàs propheta dicit, notos à longe stetisse: hæc autem iuxta crucem. Non omnino proxime, sed ita ut possent uideri & audiri à Christo. Per matrem & sororem intellige per mysterium fidelem populum, tametsi aliqua parte inferiorem, astare tamen cruci dominicæ, & fieri participem dolorum Christi.

Cum uidisset ergo Iesus matrē ac discipulū astantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus: deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eā discipulus in sua.

In nostris afflictionibus Christus, qui patitur in nobis, maxime charitatem mutuam cōmendat, dum moriens dilectio discipulo matri, & discipulū matri uicissim commendat. Hoc discimus hic, ut mutuū nos commendemus, alter alterius curam gerat, inferioris potens curam non abiciat. Discipulus Christi amici sui patrocínio destituebatur: attamen tam mater quā discipulus iuxta crucem, uicissim ambo audiunt, ut se mutuò habeant cōmendatos. Hoc malo hic disci, quā inutiliter in allegorijs uersari.

Mulier.) Non uocat eam matrem, sed generali nomine. Quidam dicunt, quod noluerit nomine matris appellare eam, quasi hinc magis offensa fuisset. Verum cum dicit se filium, non minus officiosus habet, quā si dixisset matrem. Vult dicere: Ne putes te esse desolata tam: iste discipulus iuuabit te in omnibus, quē & meo loco habebis, qui tui curam gerat.

Ecce mater.) Putas ablatum esse à te amicū, habes matrem meam, illa non minus officiosa erit in te, quā ego fui. Absq̄ dubio si Christi spiritus in nobis

fuerit, semper ille excitabit aliquos qui nostri gerent curam. Ecclesia commendatos habebit, qui Christo dilecti sunt: & qui præ alijs Christum diligunt, illi etiam ecclesie maximam habituri sunt curam, quæ mater dicitur. Obiter licet hic animaduertere, quod Christus præceptum olim datum de colendis parentibus, etiam in articulo ferè mortis suæ se obseruare ostendit, cum in tam grauibus & acerbis doloribus illa sic benigniter alloquitur, & eius curam gerit.

Postea sciens Iesus, quod omnia iam consummata essent, ut perficiatur scriptura, dicit: Sitio. Vas igitur positum erat aceto plenum. Illi uero impleuerunt spongiam aceto & hyssopo, & impositam ad mouerunt ori illius. Cum ergo accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est.

Multa alia commemorantur à cæteris euangelistis, quæ Christus locutus est cum latronibus, & quomodo orauerit pro transgressoribus, deinde ut clamaret se de relictum à patre: sed hic noster Euangelista inter cætera hoc commemorat, quod non paruum dolorem Christo infixit. Cum enim in summa sui esset &c. Ita fieri solet ubi exhaustus sanguis plurimus, ut inde oriatur maior sitis: & cum Christus tota ferè nocte fuisset pessime ab illis tractatus, & uarijs modis afflictus, uerisimile

mile est ipsum naturali siti quadam laborasse. Vide igitur quæso ingratitude[m] & malitiã Iudæorũ, qui ne potum aquæ administrabant, quiq; pro refocillamento acetum obtulerunt, ita ut etiam linguam eius uulnerarent, quo nihil esset cruciatuũ à Christo alienum.

Sitio.) Ut pleraq; alia Christus quæ passus est, fortiter dissimulauit: ita etiam sitim illam potuisset silentio transire: sed Euangelista dicit, ut impleatur scriptura. Omnia quæ in scriptura habentur de passione domini, illa impleta erant: reliquum erat, ut etiam uulneraretur lingua eius. Igitur manifestum fit, quod in propheta est: Dederunt in escam meam fel: ad Christũ pertinere. Vide igitur ingratitude[m] Iudæorũ: qui enim infirmos ipsorum curauerat, ex uase acetoso cum sponta potant. Alij uinum mirrhatum fuisse dicunt.

Consummatũ.) Hoc opus quod pater mihi iniurixit, iam consummatum est: iam nihil reliquum est, nihilq; omisi eorum, quæ oportebat fieri pro redemptione humani generis. Sacrificium Christi, sacrificiũ perfectissimum est: non est ut denuò mactetur: semel satisfecit, & cõsummauit sacrificium semel: unica illa oblatione reddidit sanctificatos in perpetuum eos, qui ei fiunt ex corde. Cognoscebat secum Christus ingratitude[m] Iudæorum: hanc & tu ne prætereas.

Et inclinato capite tradidit spiritum.
Vides Christum uere fuisse hominem: neq; aliam

passum quàm ipsum Christum, multis modis declarauit, adieclis uerbis: In manus tuas pater commendo spiritum meum: ubi spiritum suum commendauit patri: quem etiam omnes fideles deo patri commendant, qui sunt unius spiritus cum Christo. Et hisce uerbis mortem domini nobis significatur fuisse admodum uoluntariam. Oblatus, qui uoluit. Non solum dicit expirauit, sed tradidit spiritum: in quibus uoluntarium sacrificium ostendit. Unde licet uidere, quanta charitas erga nos fuerit, ut non solum cogitemus, quod pro nobis mortuus fuerit, sed uoluntarie. Ipse bonus pastor, qui animam suam posuit pro ouibus suis. Maiorem charitatem nemo inueniet, quàm ut quis pro amico moriatur. Nos inimici & aduersarij, & nihilominus ipse dignatus est mori pro nobis. Sic & nos spem erga deum firmare debemus in omnibus aduersitatibus, certissimi nos deo patri gratissimos esse.

LECTIO XCVI.

Avdiumus mortem domini nostri Iesus Christi: deinceps declarabit quàm uere mortuus fuerit. Secuturi enim erant heretici, in quorum sententia etiã hodie Mahometistæ, qui negaturi erant Christum uere esse passum, sed alium pro illo mortuum esse: unde manifeste docet nunc hoc. Similiter citantur quedam testimonia ex scripturis, quibus colligitur Christum oportuisse

oportuisse pati, sic & mori: & mortem eius sic comprobendam esse, quod crura eius non confracta sint, & de latere eius fluxerit sanguis et aqua: quæ duo prædicta antea sunt, ut certiores redderemur, uere Christum esse passum.

Iudei ergo, quoniam parasceue erat, ut non remanerent in cruce corpora sababato (erat enim magnus dies ille sababari) rogauerunt Pilatum, ut frangerentur illorum crura, ac tollerentur.

Ordo historiae sic habet, ut indicetur superstitio Iudeorum, qui admodum solliciti erant, ne quid offendiæculi esset in die paschæ, in quo memores erant redemptionis Aegyptiacæ: sed non curabant, ut animæ impollutæ essent propter sanguinem Christi. Idem hypocritæ faciunt: sectantur minima, et derelinquunt maxima.

Magnus.) Id est, præcipua sollemnitas Iudeorum, neque minor quam pascha. Diligenter Euangelista commemorat illud, ut interim memores reddat, quanta nos bona per Christum, uerum agnum paschalem accepimus: quia omnia ista quæ Christus passus est, debebant impleri. Nimirum magnus dies, in quo deus cessaturus erat ab operibus, & Christus quietem habiturus in sepulchro: unde etiam propter hoc dies iste bene conueniebat quieti & morti Christi. Sexto die hoc

mo conditus: etiam Christus illo die passus est. Septimo die deus quieuit ab operibus suis: ita & Christum resquiescere decebat in sepulchro, septimo die. Vnde autē octauus dies, qui est resurrectionis, celebrior sit, scitis contigisse propter gaudium resurrectionis. Iudaei externum cultum solum curabant, ne uel factore, uel spectaculo foedo offenderentur transeuntes.

Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum illo. Ad Iesum autē cum uenissent, ut uiderūt eum iam mortuū, non fregerūt illius crura, sed unus militum lancea latus illius fodit, & continuo exiuit sanguis & aqua.

Christus crucifixus, à patre cœpit glorificari. Esaias dicit: Quies eius gloriosa est. etsi alij sepulchrum legant. Iam omnes conatus Iudæorum irritabantur. Sicut titulus quem cogitabant immutare, immutatus non est, ita etiam alia illorū consilia non successerunt. Inuidia & odij illorum erat, ut etiam confringerentur crura Christo, sed diuino consilio hoc impeditum est. Sicq; Iudæi cupiebāt fieri omnia ignominiosissime cū Christo, & nihil illorum satiabat inuidiam.

Sed unus.) γυυξ. aperuit uel pupugit: utraq; leuatio uera. Illa omnia mysterium habent, ut mox patebit.

bit, ubi Euangelista profert testimoniū scripturæ. Nō carebat miraculo, puram aquam cum sanguine sic de fluere: sed sic comprobatum est Christum uere fuisse mortuum. Neesse est hoc scire, quia difficillimū est resurrectionem credere: unde admodum diligens in horum cōmemoratione fuit Euangelista. Nam hoc etiam in articulos fidei insertum est, Mortuus est & sepultus.

Aqua.) Non sine miraculo hoc prædictum fuit per Zachariam prophetam.

Et qui uidit, testimonium perhibuit, & uerum est testimoniū illius. Et ille scit quod uera dicit, ut & uos credatis.

Ioannes de seipso loquitur. Erant qui ibi finxerunt miraculum de cæco milite, cum tamen hæc manifeste ad Ioannem pertineant. Ita etiam Moses, & alij prophætæ de seipsis loquuntur, sicq; modestius solent loqui. Verum quia isto loco hæc subiiciuntur, euangelista uoluit omnino arduum nobis quid commendare: unde præmissa bene expendenda sunt, quia allegat suum testimonium: & collatis testibus, plus credimus, si in unū consentiunt. Habet inquam certissimum testimonium, ne quis cogitet nugas esse, et quasi alius fuerit mortuus, uel illa non acta uere.

Vt uos cred.) Christum uerum filium dei passum esse & mortuum.

Facta enim sunt hæc, ut scriptura im-
pleretur.

Nam illa utcumq; uidebantur fortuito esse facta, ta-
men præscripta ita erant prius, ut certum esset Christi
uerum agnum esse paschalem, ut in Exodo habetur.

Os non comminuetis de illo.

Illud huc adducit Ioannes, quod congruat agno ue-
ro paschali: hincq; licet uidere, quare tam diligentem
memoriam faciat magni diei illius sabbati. Quia sicut
Iudei immolabant agnum, ita Christus agnus sine mas-
cula perfectus immolatus est. Hoc autem inter cæte-
ra clarum indicium esse potest agni illius, quod os non
erat conterendum. Ideo non frustra hæc acciderunt,
sed ut credamus.

**Et iterum alia scriptura dicit: Vide-
bunt in quem compunxerunt.**

Quod latus Christi confodiendum, Zachariæ pro-
phetæ scriptura habet, cap. 12. Illud testimonium qui-
dam exposuerunt contra Iudæos, quasi uisuri essent im-
pij Iudæi, quātum peccatum perpetrassent: sed si pro-
pheta recte introspiciatur, de pijs dicit, qui luxerunt
Christum, quiq; aliquando resipuerunt. Ecce unico uer-
bo apud prophetam licet uidere, qua morte Christus
debebat mori, et quid illi euenturū erat in cruce. Adeo
sunt in uerbis minimis apud prophetas, maxima mys-
teria

steria abscondita. Et Euāgelista uidit huc spectasse prophetam. Ego non fingo ex meo capite. Idem propheta, etsi Euangelista hic non ponat, etiam hoc mysterium ponit, quod effluxerit aqua etc. Sanguis et aqua, symbola fuerunt peccatorum remissionis: symbola etiā nostrorum sacramentorum, & quod abluimur in remissionem peccatorum, ut designentur nobis peccata esse dimissa. Pleriq; ex scriptoribus, in primis Augustinus, dicūt ecclesiam desumptam ex latere Christi. Si cut dormiente Adam, ex latere eius Eua: ita mortuo Christo, ex latere illius sumpta est ecclesia, quæ per aquam & sanguinem suum initium sumpsit. Illa duo præcipua sunt Christianorum sacramenta: etsi maxime ueritas humanæ naturæ nobis declarata per hoc fuerit. Sanguis quem nos merebamur effundere, Christus effudit. Quod admixta fuit aqua sanguini, illam uirtutem ablutiuam nobis commendat, quod sanguis ille non coinquinat ut sanguis hircorū. Christus quoq; in cœna prædixerat, quod calix noui pacti esset, qui pro multis effunderetur: unde latus Christi aperiendum erat. Non caret etiam honestis cogitationibus, si quis expendat Christum aperuisse suum latus, ut penetremus usq; ad cor illius, sicq; summam charitatem agnoscamus. Ecce uides pectus illud diuinum & plenū amoris: unde ista quæ alijs tunc uidebantur fortuito euenisse, multa in se continebant mysteria, quæ Christia

nus magna cum gratitudine secum expendet.

Posthæc rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa, qui erat discipulus Iesu, sed occultus, propter metum Iudæorum, ut tolleretur corpus Iesu: idq; pmisit Pilatus.

Multa alia apud alios euangelistas habetis, neque opus ut illa omnia huc trahamus: sed hoc spectemus, mortuo Christo, gloriã eius incipere manifestari: nã & multa alia miracula contigerunt. Aperiebantur monumenta, uelũ templi scissum est etc. Qui antea occultati propter metum Iudæorum, illi iam magno cum sumptu publice Christum mortuum sepeliunt, ut uideamus mortem Christi uirtutem dare timidis, quo certa fiducia eum confiteantur.

Ioseph.) Erat enim nobilis decurio, homo insignis: & sic omnia nunc magnifice uides geri. Esaias dicit: Dies eius gloriosa. In concilio Iudæorũ prius non audebat ille mutire contra eorum decreta impia, iam accedit Pilatum reiecto omni timore.

Venit autem & Nicodemus, qui uenerat ad Iesum nocte primũ, afferens mixturam myrrhę & aloës ad libras ferme centum.

Eadẽ uirtute excitatur etiam Nicodemus, qui contempto Iudæorum furore, nunc libere Christum accedit,

dit, antea uix noctu: unde Euangelista hoc signanter addit de utroq; non enim obiter illa legenda sunt. Occultus Ioseph, & Nicodemus noctu accessit: sed iam indicat eorum fiduciam in exhibendo honore Christo, qui utiq; Iud. eos omnes condemnant. Hæc potissimum hic cogitanda sunt.

LECTIO XCVII.

Quanta uirtutis fuerit mors domini, testificata sunt coelum & terra, & multa alia miracula quæ contigerunt. Grano siquidem illo iam emortuo, fructus magnus apparere incipit. Nam & centurio & alij testimonium præbebant Christo. Ioseph quoque & Nicodemus, qui antea occulti discipuli erant, sumpta fiducia, etiam inuitis Iud. eis, mortuo Christo testimonium perhibuerunt, quem tantis sumptibus magnifice sepelierunt. Hoc non nisi diuina uirtute accidit. Si enim quidam ex plebeio ordine tale quiddam attentassent, nemo magnificisset. Vnde excitati sunt à deo duo præcipui isti uiri, qui Christum sepelirent.

Myrrhæ.) Ex pondere ipso apparet, quàm nihil pepercerint sumptibus. Quamuis in ea regione myrrhæ & aloë minori in precio sint quàm apud nos, nihilominus apparet illorum pius animi affectus. Myrrhæ & aloë plurimum prosunt corporibus conseruandis, ne statim putrescant.

Acceperunt ergo corpus Iesu, & obui-
uinxerunt illud linteis cum aromatibus,
sicut mos est Iudæis sepelire.

Mos Iudæorum condere corpora cum aromatibus. Veteremq; hunc morem à patribus acceperunt, contestantes fidem resurrectionis. Vnde etiã mortuis corporibus suus honor debetur. Neq; opus ut iam tantum sumptus impendamus ut olim, sed corpus ita demandetur terræ, ut recipiendum speretur. Viri autem illi planè bonum opus tunc operati sunt: quamuis hodie, si quis sumptum immodicum impenderet, non admodum prudenter ageret, cum posset in uiuos impendere maiori fructu & gloria. Illis quidem gloriosum fuit, propter periculum imminens. Volebat item deus hæc sic fieri, ut magis innotesceret ueritas resurrectionis, utq; essent multi testes Christum esse mortuum. Mattheus præterea de custodia adhibita scribit, quæ multum profuit ad fidem resurrectionis, ne credatur Christus ablati, ut postea finxerunt.

Erat autem in illo loco ubi crucifixus est, hortus, et in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquã positus erat. Ibi ergo propter parasceuen Iudæorum, quod in propinquo esset monumentum, posuerunt Iesum.

Hoc etiam ad resurrectionis ueritatē attinet. Si in uetus sepulchrum posuissent, Iudæi dicere potuissent, alium surrexisse: unde nouum electum est, quod uicinum fuit illi loco, ubi Christus crucifixus est.

Parascuen.) Quasi magis honorificam sepulturam Christo impendissent, nisi parascue impediti: fortassis posthac maiori cura honorificaturi. Et hæc de sepultura Christi, quæ nobis plurimum commendatur. Verum hoc sepe cogitandum, ut moriamur cum Christo & sepeliatur, & ut cum eo resurgamus. Multi magnum discrimen in spiritali sepelitione adducunt, sed parum ad rem. Videamus nos, ut non solum moriamur mundo, & ne adhuc uiuat mundus, uel peccatum in nobis, sed etiam sepeliatur mundo, ut elucescat tertius dies resurrectionis. Ad Col. & Ro. quomodo per baptismum consepulti sumus, habemus: & quomodo uetus Adam mortificandus sit, ut resurgamus in nouitate uitæ. Illud præterea obseruare conuenit, quod in plerisque locis scripturæ sepulchrum nominat infernum, quando legimus in psal. & alijs locis iuxta proprietatem hebraici sermonis, Scheid, quod sepulchrū significat, & foueam corruptionis, ut de Chore & Dathan qui uiui in infernum sepulti sunt. Non est ut imaginemur cum quibusdam, quod corpora illorum mancipata sint ergastulis, quibus mancipantur spiritus. Quidam uolunt esse approbationem mortis Christi, quod

שֵׂחַר

uere mortuus sit. Nihilominus non oportet inficias ire animam Christi separatam fuisse à corpore, & etiam uenisse in paradysum, apparuisseq; patribus &c.

CAPVT XX.



Primo uero die sabbatorum Maria Magdalene uenit mane, quum adhuc tenebræ essent, ad monumentum, uidetq; lapidem sublatum à monumēto. Currit ergo, & uenit ad Simonem Petrum, & ad alterum illum discipulum, quem amabat Iesus.

Vltimo loco Euangelista resurrectionē Christi nobis commendaturus, maxime hoc enititur, ut discamus ad quantam gloriam Christus ascenderit: facit & illud quadam progressionē, quemadmodum nostra infirmitas perfici solet. Initio fides nostra imperfecta est &c. Scitis etiam quā ægre capiat nostra ratio resurrectionem, ideo perquā diligenter illam describit: imò qui uere credit resurrectionem, nihil non est paratus credere, quod ad Christum attinet: & nihil magis letificare posset, cum credimus nos quoque resurrecturos post Christum, & gloriosa corpora sumpturos, quando dominus uenturus est. Quid graue igitur erit fidei homini, cum tanta præmia nobis proposita fuerint?

In Mar

In Marco et Luca quedam quæ hic omiffa sunt, habentis: hicq; solum de una Maria, in Marco de tribus legitur. Summo diluculo diei primi sabbatorum, ueniunt ad monumentum, exorto sole, loquebantur inter se, Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et cum circumspicerent, uident lapidem amotum. Vnde apparet eandem esse historiam, licet hic de sola Magdalena loquatur. Erat admodum officiosa et alacris, quæ etiam diem ipsum præuenit officio suo, curatura funus Christi, & deploratura magistrum suum.

Primo die.) Die magno sabbati nõ licebat exire, sed quamprimum licuit præuenerunt diem.

Ad monu.) Erant admodum sollicitæ, & præter spem uident lapidem sublatum. Alij euangelistæ de terræ motu habent factum, & quomodo angelus lapidem reuoluerit de sepulchro. Magdalena uidit angelos, sed non admodum hoc secum retinuit, neq; facta est credula, quia postea redit ad sepulchrum. Etsi benignitas dei sic prouehat nostram infirmitatem.

Currit.) Præceperat ei angelus, ut hoc annũciaret discipulis & Petro, quod Christus præcessurus esset illos in Galilæam, ut Marcus habet.

Alterum.) Hic erat Ioannes euangelista. Currebat confusa quodammodo secum, incerta, & nondum confirmata satis in fide.

Et dicit illis: Sustulerunt dominum

è monumento, et nescimus ubi posuerunt illum.

Videte, præceptum acceperat, ut annūciaret Christum à mortuis resurrexisse: similiter uidete, quæ illa annunciet: certe nihil minus credebat adhuc quàm resurrectionem, et si iam admonita erat, uerum illa exciderant ex animo. Sed singulari dispositione dei facta illa sunt, ut discipuli certiores fierent omnium quæ acta erant, ut cum fiducia prædicarent illa postea, quando emitterentur in totum mundum. Poterat Christus illam certam reddere, et etiam Thomam, sed noluit, quo maior fides esset in illis. Vox enim illa, Nescimus, quid aliud sonat, quàm imperfectam fidem? Vtiq; non Iudæi sustulerant, qui apposuerant custodiam: amici uero honoratum optabant dominum. Proinde inconsiderata uox erat, nescimus.

Exiuit ergo Petrus & ille alius discipulus, & uenerunt ad monumentum. Currebant autē duo simul, & ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, uenitq; prior ad monumentum.

Initio confirmandi erant præcipui apostoli. Præminebant enim alijs Petrus & Ioannes. Videmus etiã quod & multis alijs prærogatiuis duo discipuli isti honorati fuerint à Christo: admissi cum transfiguraretur

tur in monte: cum curaret filiam archisynagoge: in Olueto cum oraret fuerunt. Ita etiam hoc loco duo illi: Petrus, qui habitus princeps apostolorum propter insignem confessionem: deinde alius discipulus Ioānes, cuius laus quod familiarius dilectus Christo: illis igitur hoc gaudium præ alijs annunciandum erat. Illi primi & præcipui testes, quia etiam isti magis Christum secuti patientem præ alijs, etsi Petrus negarit.

Ad monu.) Satis fuisset dicere, ad sepulchrum, nisi etiam hoc prodesset nobis quod cursu cōtenderūt. Signum igitur erat, quod amor Christi nequaquā extinctus esset.

Duo simul.) Ioannes, qui natu etiam minor fuisse creditur Petro, iste quidem prior præcucurrit, & uenit ad sepulchrum, sed nō ingressus est propterea, quia erat adhuc trepidus.

Et cum se inclinasset, uidit posita linteamina, non tamē introiuit. Venit igitur Simon Petrus, sequens illum, & introiuit in monumentū. Et uidet linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput illius, non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutū in unum locum.

Certitudo resurrectionis nobis uarie indicatur, ut

desit omnis suspicio. Nam quod discipulus non ingreditur, sed uidet lintea illa adhuc superesse, & Simon qui postea ingressus est uidet separatam sudarium, certum resurrectionis indicium dant: quia si quis sustulisset corpus Christi, plane in sudario & linteo sustulisset, neque uacasset illi, ut sic resoluisset funes & lintea. Præterea corpus unguentatum, & aliquo modo lintea illa cohercebant corpori mortuo, neque sic facile fuissent illa seposita. Sunt alij qui hoc loco per Petrum & Ioannem uitam contemplatiuam & practicam commendare uolunt, quod hi qui contemplatiue uacant, priores ueniunt & discunt, sed non ingrediuntur. Qui autem operibus insudant, illi ingrediuntur. Verum ociosæ disputationes sunt, quas relinquamus alijs. Scopus euangelistæ est, uere nobis commendare Christum resurrexisse ex mortuis.

LECTIO XCVIII.

Tunc ergo introiuit & ille alius discipulus, qui uenerat prior ad monumentum, uiditque & credidit.

Resurrectionem uti rem admodum necessariam atque iucundam credentibus, perquam diligenter Euangelista nobis commendat: quia uidemus in illa quantum exaltetur Christus, & quid nobis spei supersit: & sic illam docet, ut humano captui maxime tradi poterat.

Nam

Nam si se subito manifestasset discipulis, & non præcessissent aliæ admonitiones, pro phantasmate habuissent: ut in repentina uisione super aquã, tale quid passi sunt discipuli. Ita uidetis quàm diligenter describat, qua sollicitudine scrutati sint discipuli sepulchrũ. Principio tamen permittuntur esse increduli, & non omnino cedetur illis, propter nos.

Nondũ enim nouerant scripturam, quod oportuisset illũ à mortuis resurgere.

Christus etiam ante mortem suam sæpius prædixit discipulis, se moriturum & resurrecturũ: sed mens eorum tenebatur, ne cognoscerent tantum mysteriũ, cum ipsi semper aliquid aliud intelligebant, ita ut illam resurrectionem corporum nequaquã caperent. quasi dicat: Non est mirum, si ille iam incipiat credere: antea non credidit illa, quæ tamen tam clara in scripturis leguntur. Nam in psalmo de Christo prædictũ est, quod caro illius non esset uisura corruptionem. Etiam in Iona præfiguratum, qui tribus diebus in uentre ceti iacuit. Has & similes scripturas non capiebant discipuli: quamuis etiam Christus alia ratione discipulos suos assuesceret resurrectionis, ut quando Lazarum resuscitauit & alios mortuos. Insuper etiam in omni sua prædicatione id ostendit, quod nihil tale sibi impossibile esset, ob diuinam uim in se. Quamuis uero multa talia præcesserant, tamen carnales discipuli, non po-

terant uerba Christi portare.

Abierunt ergo rursus discipuli ad semetipsos, Maria autē stabat ad monumentum foris plorans.

Non inuento corpore Christi, & iam aliqua ex parte facti creduli, opus maiori confirmatione habebant: id est, redierunt ad alios suos discipulos, & iterum iam coeperunt congregari, & qui prius sicut oues dispersi, iam adunantur.

Maria.) Perculsa secum, & confusa mente stabat foras. Venerat enim ad sepulchrum hoc nomine, ut ungeret corpus domini, ac ut sic consolationem de mortuo acciperet: ita utraq; spe amissa, iam nesciebat uiuum, & amiserat mortuum: nam quamuis aliquid audisset ab angelis, tamen nondum poterat credere. Ceterum quod discipuli congregati fuerint, ex Luca palàm est.

Plorans.) Sicut etiam aliàs inuenimus non in uno loco, quod deus gaudet excitare desiderium nostrum, & differt consolationem, ut uberius gratia detur. Et sicut Cananæam non audit, ita & aliquandiu sinit istā Mariam plorare, quo dulcior postea illi sit consolatio. Habebat autem uarias rationes plorandi, cogitans quàm miserè tractarint Christum, quasi Iudæi nondum satiatum persecutione, & denuò scirent in corpus ipsius. Fortasse tale quid in mente ei fuit, ut sequentia indicat.

Dum

Dum ergo fleret, inclinavit se in monumentum, & uidet duos angelos albos, sedentes unū ad caput, et alterum ad pedes (illic) ubi posuerant corpus Iesu. Et dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit illis: Quia sustulerunt dominum meū, & nescio ubi posuerunt illū.

Plena desideriorum mulier, quasi prius rem male intellexisset, & quasi quid sollicitudinis omisisset, iterū prospicit in sepulchrum, ut uideat quomodo se res habeat, an prius fortè decepta fuisset.

Angelos.) Scimus angelorum officium esse, ut ministrent electis. Christo nato annūciauerūt ingens gaudium: iam etiam renato, & immortalitati donato, iterum comparent angeli & denuò annunciant maximū illud gaudium, ut Lucas habet.

Albis.) Nimirū congratulantes humano generi, neq; solum Christo, sed nobis quoq; propter Christum. Est uestitus ille candens, conueniens cōgratulantibus.

Pedes.) Ut inde cognoscatur Christus ille, ut dominus angelorum, cū angeli iam obseruent illius sepulchrum, & uestigia quietis illius adorent. Iam uidebat planè corpus abesse, & angelos adesse, sed mulier ita mente confusa, rem minus attendebat. Dicunt illi:

Mulier.) Videte hic, quā bene uolunt humano

generi boni angeli: sicut mali nihil adeo querunt atque nostram perditionem. Volunt à muliere expiscari causam fletus, ut inde occasione sumant annuncians di Christum, ut alij Euangelistæ clarè indicant.

Hæc cum dixisset, cōuersa est retrorsum, & uidet Iesum stantem, nec sciebat quod Iesus esset. Dicit illi Iesus: Mulier, quid ploras? quæ quæris? Illa existimans quod hortulanus esset, dicit illi: Domine, si tu asportasti illū, dicito mihi quorsum posueris illum, & ego illum tollam.

Adhuc nō statim Christus se quantus erat, et quam gloriōsus, mulieri ostendit, simulans se hortulanū esse, specie illa assumpta: nihil tamen medetur doloribus mulieris. Maria circumspeciebat, ut faciunt homines solliciti, an extra sepulchrum positū corpus sit, neque agnoscebat Christū. Sicut autem angeli locuti sunt mulieri, ita & Christus, affectum illius excitans, & cupiens audire uocem illam plenam desideriorum. Dicit: Quam ob causam ades mulier &c.

Si tu asportasti.) Nō nominat Christū: quasi omnibus affectus sui essent cogniti. Dicit, illū, mortuū scilicet: propter illū adsum, qui hic positus: si tu baiulasti in alium locum, fortassis offensus, quod uicinus horto tuo, uel aliam ob causam: ne offendaris ob uiciniā, ego tollam

Iam corpus illius, & huius gratia adsum, modo non fraudar hoc meo desiderio. Ita submisit loquitur, & blande, parata redimere corpus domini, non sine magno sumptu. Hucusq; Christus locutus fuit & ignotus, nunc tandem se manifestat, quia satis desideriorum excitat in illa.

Dicit illi Iesus: Maria. Conuersa illa, dicit illi: Rabboni, quod dicitur magister. Dicit illi Iesus: Noli me tangere. Nondum enim ascendi ad patrem meum. Sed uade ad fratres meos, & dic illis: Ascendo ad patrem meum & patrem uestrum, & deum meum & deum uestrum.

Mulier non agnoscebat Christum à facie, sed statim ipsa uoce solita, quamprimum allocutus est illam, suo nomine incipiebat agnoscere. Christus reuelat se quando uult, & quibus. Nam licet multa miracula uideantur, nihilominus tamen cor nostrum manet inscium & alienum à doctrina, donec Christus aperiat illud, & donec ipse sit doctor interior.

Rabboni.) Statim agnoscit Christum quadam alacritate mentis. quasi dicat: Tu es is quem diu quaesui &c. quia se Christus illi reuelarat. Rabboni Syriacum nomen, & idem quod praceptor.

Noli me.) Ex hoc apparet iam propensam ad

adorandum, uel ut inungeret corpus dominicum ar-
 matis, quæ attulerat, & ita uolebat quasi cum mortali
 homine agere: uerum hoc Christus prohibebat. In-
 fra hortatur discipulos, ut se contingant: exhibet ma-
 nus & pedes, ut Thomæ: sicq; tam mulierem prohiben-
 do quàm apostolos tangendo ab incredulitate liberat.
 Vult dicere: Ne carnali affectu me tangas, seponendus
 est ille, non opus ut inungar, neq; ita resurrexi. Ita nos
 quoq; licet nouerimus Christum, non tamen secundum
 carnem iam, neq; corruptibilem. Discimus etiam hic,
 postquam cognouimus mysterium passionis & resur-
 rectionis, quo nobis seruitum est; ut excitemus men-
 tem nostram ad cognoscendam diuinitatem, qua æqua-
 lis est patri. Dicit: Non hac ratione carnem suscep-
 iam cognosces me æqualem suscepisse potestatem cum
 patre: ego in pectore tuo nondum ascendi ad patrem,
 propterea non digne me tanges. Nam non loquitur de
 illa ascensione, qua postea ascensurus in cælum erat.
 Videbat Christus mulierẽ illam de se humiliter loqui,
 quasi unctioe illa gauderet, ideo reprehenditur. Sic
 etiam officium illud nostrum, quod non proficitur
 ex uera fide, meritò reprehendendum est.

Fratribus.) Videte prophetiam in psalmis. Vere
 frater noster iuxta carnem: nihilominus deus dicit,
 illi fratres mei, quos non relinquam. Verum autor epi-
 stole ad Hebræos hoc satis diligenter expendit.

Ascendo.

Ascendo.) Iam incipit gloria mea illa summa, qua
 æqualis habebor cum patre meo. Est per me pater uester:
 ego natura filius dei, uos gratia & adoptione. Hoc
 secundum patrem uestrum commode refertur ad hoc:
 Vade ad fratres. Si igitur eius fratres sumus, eundem
 & patrem habemus. Ascendo, inquit, ad illum, ut se-
 deam à dextris illius, & ita nunc erit deus uester, & ut
 sit foedus uestrum æternum cum deo. Neq; simpliciter
 annuncies illis, ut Lazarus resurrexit: ego sic surrexi,
 ut nulli corruptioni posthac futurus sim obnoxius. Dic
 igitur fratribus iam præcessisse tēpus humilitatis meæ:
 iam non seruiam ut antea, consummatum est opus. Ita
 magnifice uult prædicari suam resurrectionē, neq; ita
 humiliter, quamuis nunquam absuerit à patre, ad diuini-
 tatem quantum attinet &c.

**Venit Maria Magdalene, annūcians
 discipulis, quod uidisset dominū, et ea
 dixisset sibi.**

Vbi edocti fuerimus diuina mysteria, reliquam est
 ut alios faciamus participes gaudiorum nostrorum:
 hocq; etiam est charitatis proprium. Quamuis in Ma-
 gdalena hic uideamus obedientiam, cui certe nihil fuis-
 set gratius, quàm adherere domino, sed amandatur ab
 illo ad opus charitatis. Non est enim nunc tempus quo
 sola ista contemplatione fruamur, quod post seculum
 hoc futurū est, ubi facie ad faciē contemplantur Chri-

stum: nunc seruiendum est proximo. Principio quamuis Maria audiisset ab angelis, non dicebat se uidisse dominum, neque resurrexisse, sed dicebat, sustulerunt dominum meum. Iam autem satis confirmata, nihil amplius dubitat se oculis uidisse dominum, et certum testimonium, et mandata etiam habere perferenda, quae commissa à Christo dicit, nempe: Ascendo ad patrem meum &c. Sic etiam discipuli erant instituendi, et aliquo modo assuefaciendi, ut desiderium illorum in singulas horas excitetur. Sic etiam Christus discipulis loquitur in itinere proficiscentibus Emaus, sed non apparet illis quo agnosceretur, nisi ad uesperam in fractione panis.

LECTIO XCIX.

Quando Euangelistae nobis describunt resurrectionem ueram Christi, interim etiam insinuant, quibus detur cognoscere tantum mysterium. Nam cum legimus qualiter affecti fuerint discipuli, discimus quid et nos facere deceat, quo et ipsi recte credamus Christum resurrexisse: neque solum ore id confitentes, sed gustu spiritus periculum facientes. Audistis quantum profuerint desideria Magdalene, et ingens studium Petri et Ioannis: illud etiam ipsum nunc quoque cum pluribus se manifestat, uidebimus.

Cum ergo uespera esset die illo, qui
erat

erat unus sabbatorum, & fores essent clausæ, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudeorum, uenit Iesus, stetitq; in medio.

Vt heri audistis, plurimum gaudet deus in suscitandis nostris desiderijs, quibus se tandem reuelat. Vnde factum est, ut permitterentur discipuli toto serè die huiusmodi nouis nuncijs perfundi, ut desiderio uidendi Christum accenderentur: sicq; eo potissimum tempore Christus succurrebat, cum melius esset. Alij suas allegorias habent. Vespertinum tempus dicunt, quando feruor uitiorum cessat: sed huc non quadrat.

Fores essent.) Textus non habet, uuit per clausas ianuas, sed ἡ θύρῳ κλεισμένῳ: ut ex illis uerbis nihil habeant subsidij Papiæ cū reliquis de presentia Christi in pane. Duo hic consideranda sunt, nempe charitatem & congregationem discipulorum qua coniuncti erant: illis enim se Christus reuelat, qui manent in charitate. Vbi charitas est, ibi & deus est.

Congregati.) Congregatio illa charitatem nobis cōmendat: unde si nobis non fuerit fratrum cura, actum erit de fide. Deinde obseruandum est, discipulos fuisse periclitatos propter Christum. Iudæi cum non possent ultra seuire in Christum, seuerunt in discipulos. Qui participes crucis, illi agnoscent uere resurrectionis in

steriū. Nec dubitandum est, quin deus uisitet suis consolationibus omnes, qui pro nomine ipsius periclitentur: hocq; supra in Magdalena & discipulis audistis. Verum nunc dicit modum, quomodo apparuerit illis.

In medio.) Simpliciter dicit Euangelista, Venit: non ingressum per ianuas dicit. Vt cunq; uero apparuerit corpus Christi, nostrum non est scrutari. Promisit dominus, ubi duo uel tres fuerint congregati, se uelle in medio illorum esse. Neque solum hic secundum suam gratiam & diuinitatem, sed etiam corpore suo aderat cum illis.

Et dicit illis: Pax uobis. Et cum hæc dixisset, ostēdit illis manus ac latus suum. Gauisi sunt ergo discipuli, uiso domino.

Salutat more suo Christus discipulos, precando illis pacem: per quod indicat illis, fore omnia pacata ac tuta, nihilq; periculi esse timendum. Neq; est ut ualde argutemur de pace cordium: nam mos ille salutandi frequens est apud Hebræos, qui cum salua precarentur esse omnia, pax tibi, dicebant. Ita Christus etiā discipulis suis præcepit dicere, cū emitterentur ad prædicandum: Pax huic domui. Vult dicere: Iam nihil timeate, omnia erunt uobis pacifica: licet sæuiant Iudæi, omnia tamen in tuto sunt.

Latus.) Probaturus ueritatem resurrectionis, se non esse phantasma, neq; esse æreum corpus, quod nō
circumscri

circūscribatur suis differentijs localibus: nam propriū corporis est, ut aliquo modo circūscribatur, & habeat membra organica, manus, latus &c. Qui tale corpus fingunt, ut omnino non habeat aliquod discrimen, hi non asserunt uerum corpus Christo fuisse, sed phantasticum. Si corporaliter adest corpus, adsunt differentiæ positionum: unde consecutaneum est, non deesse locum circūscribentem, nisi uelint alia corpora fingere, quæ non eiusdem generis sunt nostris corporibus. Hi cum putant gloriam Christo uelle ascribere, potius detrahunt, & ueritatem humane nature dissipant, cum non corpus sinunt nostro corpori conforme. Christi corpus nunc immortale, nostrum uero mortale. Nō de similitudine, sed de proprietate loquimur. Absit enim ut dicamus, quod Christus indicando manus & latus, aliquid uelit simulare coram discipulis, quasi non uere habuerit manus & latus. Vnde Christus diligenter inculcauit eis hoc, & ostendit manus. Etiam postea Thomas inuitatur, ut contrectet omnia, ne quis putet corpus esse spirituale.

Gausti.) Magno gaudio perfusi sunt. Imò hoc perpetuum est in resurrectione, ut qui credunt illā, exhilarentur: nam gaudio resurrectionis habitō, omnia incommoda humane nature parua fiunt.

Dixit ergo illis Iesus iterum: Pax uobis. Sicut me misit pater, ita et ego mitto

uos. Et hoc cū dixisset, sufflauit in illos,
& dicit illis: Accipite spiritum sanctum.
Quorūcūq; remiseritis peccata, remit-
tuntur illis: quorumcūq; retinueritis,
retenta sunt.

Bene obseruate singula dicta, quæ Christus locutus
est cum discipulis suis, ubi à mortuis resurrexit, quia
semper singulare aliquid nobis commendat. Iterum
salutat, cum iam instituturus esset illos in magistros or-
bis: precatur eis salutem, ut sciant se fore in tutela dei
pacifica.

Sicut misit.) Iam non erit tempus, ut ego uerser
in hoc mūdo, sed faciā uos aliquo modo uicarios meos,
spiritu scilicet meo locupletabo, ut id quod antea feci
ministrans mundo, id quoq; uos faciatis. Quare misit
pater filium? nisi ut gloriam patris manifestaret mūdo:
id ipsum etiam discipulis commendat. Nō igitur mittit
illos ad honores huius mundi uanas, uel diuitias con-
quirendas, sed ut imitentur Christum in legatione sua.
Quæsiuit Christus ouem perditā: erit & apostolorum
illam querere, & reducere ad agnitionē unius & ueri
dei, uiuereq; uitam sanctam & iustam.

Mittam.) Vnde satis apparet non esse successo-
res apostolorum qui sua querunt, delicias, opes &c.
Officium est prædicatorum & uerorum episcoporū,
ut gloriā

ut gloriam dei ante omnia quærant, & ut quamplurimos possunt, ad deum ducant. Hoc ut efficere possint (nō enim humanis uiribus efficitur. Quid illiterati & indocti illi præstitissent, qui contemptibiles erant coram mundo?) promittit illis spiritum sanctum, cuius robore efficere hoc possint, ad quod electi à deo. Christus uero missus à patre, habens plenitudinem spiritus sancti, communicat de sua plenitudine etiam discipulis, ut per spiritum sanctum populum doceant, & ita fortiter se gerant in suo negocio.

Sufflauit.) Flatus ille quo afflati sunt discipuli, signum erat interni cuiusdam flatus spiritualis. Et sicut anhelitu suo illos aspirabat, ita beneuolentia sua donum spiritus sancti concedebat, ut iam haberent cor docile, fortè & illustratum cæteris donis, ut digne possent fungi suo munere. Iam non halitus ille substantialiter spiritus sanctus fuit, neq; se spiritus sanctus immiscuerat huic halitui, quasi spiritus, qui non est aëreus, fuerit corpori iunctus. Sed halitus iste indicium erat maximi illius doni, quod Christus daturus erat apostolis suis, sicut & postea ecclesie sue. Adhibuit externum signum, ut in cœna ultima, in qua panem & uinum dedit, & præterea gratiam spiritualem pijs & credulis impartiebatur. Videte uos, ut etiam capaces sitis istius spiritus sancti. Atqui scimus deū per seipsum esse spiritum sanctum. Sunt tamen dona etiam spiritus

sancti, quæ distribuuntur, ut agamur nos pijs motibus
 & affectionibus, quo promptiores sumus ad uoluntatem
 dei faciendam. Et cum sic animus noster illustratur,
 ut feramur ad ea quæ Christi sunt, ille motus non
 aliunde est, quàm ab actore spiritus diuini.

Quorum remi.) Antea dominus dederat apostolis
 clauas ecclesie, easdem quoq; nunc illis concedit:
 non quod apostoli ipsi proprie remittant peccata, sed
 annunciât remissa esse. Sic neq; apostolorum propriè
 damnare, sed certò possunt per uerbum annüciare con-
 demnationem aliorum. Vbi certa promissio annuncia-
 tur, ibi remittuntur peccata. Iam si apostoli annunciât
 peccata dimissa, annunciarunt utiq; ex spiritu sancto,
 et neutiquam fallentur. Prædicabunt enim peccata no-
 stra esse remissa per Christum, qui satisfecit pro no-
 bis, si fides illa in Christum in nobis uiuat, ut abhorrea-
 mus à peccatis, & desideremus illa cœlestia. Vtiq; per
 spiritum sanctum remissa sunt peccata, quia nemo po-
 terit dicere Iesus Christus, nisi in spiritu sancto. Vide-
 te, bene obseruatũ est ab alijs, hic dari clauas: per quas
 indicat, qui ad ecclesiam pertineant, & qui non. Inter-
 na deo committimus, qui nouit cor hominis, aliàs in-
 scrutabile. Qui in ecclesia sunt, illis promittitur re-
 missio peccatorum: & qui charitatem contempserint,
 illi utiq; alieni sunt ab omni fide, & illis peccata reti-
 nentur. Apostolicũ igitur officium hic uidetis. Sequitur:

Thomas

Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur gemellus, non erat cum illis quando uenit Iesus. Dixerunt ergo illi alij discipuli, Vidimus dominum.

Proprium est fidei, ut alios quoque per charitatem suorum gaudiorum faciant participes, ut gloria dei apud omnes prouehatur. Igitur huius gaudij Thomam socium participant: is ualde incredulus erat, neque simpliciter recipiebat dicta apostolorum. Hocque non sine diuino consilio factum est, ut Thomas maneret incredulus, et ut sua incredulitas nobis quoque prodesset.

Vidimus.) Viuum iam, non mortuum: quod praedixit, hoc euenit.

Ille autem dixit illis: Nisi uidero in manibus illius uestigium clauorum, & mittam digitum meum in uestigium clauorum, & mittam manum meam in latus illius, non credam.

Quibus uerbis obstinata illius incredulitas appareret, qui apostolis praedicantibus credere noluit.

LECTIO C

EA quae nuper proposuimus, ab ijs quae nunc lecta sunt, confirmantur. Audistis quod illis Christus se reuelat, qui ipsius tenentur desiderio, qui se alijs

iungunt uera charitate, & participes crucis & dolorum sunt. Thomas enim quia minus seruebat, propterea seiunctus à discipulis, & Christum resurgentem cum alijs non uidit: ubi autem & ipse desiderium uidenti Christum habuit, & discipulis se iunxit, parisi gaudij quoq; compos factus est. Vnde sic legimus:

Et post dies octo iterū erant discipuli eius intus, & Thomas cum illis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio.

Suprà uestertino tempore comparuit discipulis, postquam creuit desiderium illorum. Ita ob frequentē confabulationem per dies octo cum discipulis, & Thomæ comparuit: fieri enim non potuit, ut non accenderetur in corde suo. Quod autem discipuli sunt intus, congregatio commendatur: nam qui cæteris non fuerint iuncti in ecclesia, nequaquam coelestium gaudiorum participes erunt. Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio, quæ ad charitatem pertinet, & ad unionem ecclesiæ, extra quam nequaquam salus speranda est. Et qui dicit se credere, & non se iungit alijs Christianis, huius fides uana est: unde etiam sacramenta instituta sunt, ut populus in unam fidem coadunetur. In ecclesia tanquam in arca Noë salus conceditur. Hoc non elementorum gratia, sed potius fidei, quæ sic per charitatem operatur.

In medio.) Vt dominus et princeps et magister eorū.

Et dia

Et dixit: Pax uobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, et uide manus meas, & admoue manum tuam, & immitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed credens.

Principio salutat Christus omnes discipulos, quem admodum antea pacem precatus est, ut omnia sint tranquilla. Dicit Thomæ:

Infer.) Cum Christus uerba illa, quæ antea Thomæ, qui Christum planè non præsentem esse putabat, narrasset, satis se indicabat esse uerum deum. Etiam per hoc palam fit, cum corpus illius oculis exhiberet uidendum & manibus palpandum: unde Thomas cognoscere potuit, nihil occultum fuisse Christo, qui cogitationes suas repetiisset & uerba eius. Prius dixerat, nulli hominum se credere, sed solum quantum sensibus percipere posset. Cæterum Christus magis adhortatus est ad conspiciendas manus ac latus suum, ut memoriam passionis mentibus nostris magis insinuaret. Neque caruit magno mysterio aperiri latus Christi, ex quo latere fluxerunt sanguis & aqua: ex quibus licet cognoscere spiritualibus mentibus beneuolentiam Christi erga genus humanum. Si igitur ad manus Christi respexerimus, si latus spiritualiter tetigerimus, id est, affectibus animi nostri, & quare Christus sic passus, quas

to etiam amore, haud mirum est, si credamus resurrectionē. Si simpliciter Christus mortuus fuisset, ut alius propheta, uel purus homo, nulla esset spes resurrectionis. Qui illa credit, is statim eò perueniet, ut etiam cognoscat immortalitatē nobis concedendam. Iam si spes immortalitatis obtinendæ, utiq; & domino seruiemus.

Noli esse.) Id est, cum uides tam aperta indicia, ut omnis cōtrouersia cesset, caue ne sis incredulus. Contactu solo non factus fuisset Thomas credulus, nisi suo spiritu Christus eum illustrasset. Illa nobis huc conferunt, ut habeamus ueram fidem. Cum proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illū, quid non sperabimus? Sis tu fidelis, & quæ promissa sunt, deus utiq; præstabit. Videte quid petat Christus ab infirmis: ut desinant ab incredulitate, tunc omnia feliciter cessura sunt.

Respondit Thomas, & dixit illi: Dominus meus & deus meus.

Videte quantum ualeat illustratio: mox ad unicam uocem Christi, non ut obstinati & pertinaces, qui ob malitiam non credunt, statim alius fit Thomas. Pharisæi nullis miraculis potuerunt adduci, etsi uiderent Lazarum resuscitatum, non tamen mouebantur, præpediti liuore & inuidia. Non dixit esse phantasma uel deceptionem, sed statim plenam confessionem protulit, & quæ sufficit ad salutem consequendam: fatetur
illum

Illum quem tangit, suum dominū & Deum esse. Quisdam dominum ad humanitatem, & Deum ad diuinitatem referunt, cum Iehoua ubiq; dominū exercituum significet. Humanitatem tangebatur, & diuinitatem credebatur: ita expiauit peccatum suum confessione.

Dicit illi Iesus: Quia uidisti me Thomas, credidisti: beati qui non uiderunt & crediderunt.

Non reprobatur fidem Thomæ, sed alios præfert Thomæ, qui absque cōtactu corporis fidem recipiant. Est enim etiam ille gradus fidei non reprobandus, ut aliquid supra id quod sensu percipimus, cognoscamus. Multi sunt qui optant posse contingere corpus Christi: sed ne sequamur huiusmodi. Abducit nos dominus à sensibus nostris, ut credamus uerbis illius, & rebus olim gestis.

Non uiderūt.) Cauendum tamen est, ne hoc dicto abutamur, ut quidam. Sunt enim qui quasuis nugas sic astruere uolunt, quasi creduli esse debeamus in omnibus quæ sensu non percipimus, ut in sacramento panis miracula adstruūt, sola hac ratione, quia non uidemus. Sed multa sunt quæ non uidemus, quæ maxime uana sunt, & non subsistunt. Ratio fidei argumentum non apparentium rerum, sed harum fundamentum gustamus quodammodo in fide. Cæterum quoties scriptura de fide loquitur, serè ea respicit quæ saluti nostræ nec

cessaria sunt: unde confirmamur de beneuolentiâ Dei erga nos. Ita prædixit dominus apostolis, posthac futuros esse credentes resurrectionē, non uiso eius corpore.

Multa quidē & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorū suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autē scripta sunt, ut credatis, quod Iesus est Christus ille filius Dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen illius.

Multa, inquit, alia miracula essent scribenda, sed cum illa sufficiant fidelibus, libenter ea prætermittimus. Non est nostri instituti uelle lectorem nimietate miraculorum onerare: qui istis non credit, neque alijs uarijs testimonijs & cōiecturis, quibus se probauit uere resurrexisse, credet. Ponit tamen adhuc unam apparitionem in sequenti capite. Etiam hac scriptura quidam abutuntur: quasi multa sint prætermissa in scripturis, quæ necessaria sint nostræ saluti, & præterea oportuisse illa à pastoribus, episcopis, & concilijs adiungi & scribi. Quæ autem quàm uanè obijciantur, nemo ex uobis est qui non refellat. Cæterum ponit hic summam fidei, quæ in hoc est, quod Iesus est filius dei.

1. Ioan. 1. Confessio etiam Petri, Matth. 16. Item Ioan.

6. & ubique his paucis uerbis cōprehensam fidei summam, Euangelistæ ostendunt. Iesus humanitatis no-

men est, nempe filius ille Mariæ, is est Christus Messias, qui promissus est per prophetas, unctus in regem, quiq; successurus erat David, & regnaturus in æternum. Ille igitur rex liberator est humani generis: quo etiam dicto Ariana impietas repellitur. Vere filius dei est. Si credimus in Christum, Deo credimus, & in uerum Deum. Vnum Deum adoramus: quoniam enim Christum adoramus, deum adoramus, quia solus Deus adorandus est. Cum autem non minus honorificamus filium quàm patrem, certum est Christum eiusdem esse naturæ cum patre. Sed non illa simpliciter sunt credenda, quia & satan credit quod filius sit Dei, ut in Marco habemus: neque illa nuda confessio saluaret nos, nisi indubitabilem fiduciam & firmam habeamus.

Vt credens.) Scilicet per magnam illius celebritatem & dignitatem. Dedit illi nomen super omne nomen, ut in nomine Iesu, omne genu flectatur, cœlestiũ & terrestriũ. Certe parum fuisset, si Thomas solum dixisset: Dominus angelorum & totius mundi, deus unus & uerus. Hoc aut̃ illi plurimũ proderat, quod agnoscebat suum deum & dominũ: nam hoc requirit à nobis deus, ut colamus eum ut uerum deum, & nostrum deum.



Postea manifestauit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis. Manifestauit autē sic. Erant simul Simon Petrus & Thomas qui dicitur gemellus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, alijq; ex discipulis eius duo.

Adhuc unam apparitionem Christi ponit Euangelista, in qua discimus, quantum admoneat apostolos sui officij. Ferè inter prima miracula legimus, quando apostoli uocati sunt, præsertim Petrus & alij, quod à piscatura uenerunt ad Christum: & prædicebat illis, quod futuri essent piscatores hominum. Ita iam dimissurus illos, simile miraculū facit cum illis: in quo maxima mysteria pijs cõmittit, & prætere a quomodo curã gregis habere debeant: nam Petro dicitur, Pasce oues meas.

LECTIO CI.

Iterum probat suam resurrectionem Christus, & interim apostolis officium suum commendat, quia ascensurus erat in cœlos, uicarium suum spiritum sanctum apostolis daturus, per quem fingerentur digne officio suo: hocq; indicat miraculo multitudinis piscium captorum. Manifestat autem se, iuxta ciuitatem Tiberiadem, que à Tiberio nomen habet. Verum præcipuis

p̄uis apostolis se manifestat, discipulis septem qui inter ceteros dignitate excellabant.

Dicit illi Simon Petrus: Vado piscatum, Dicunt illi: Venimus & nos tecū.

Postquā uenerunt in Galileam discipuli à festo paschæ, quod egerant Hierosolymis, & cum nondum datus spiritus sanctus esset, nolebant ocio suo onerosi esse cuiquam, sed suo artificio, quod olim exercuerant, parant sibi uictum, sicut in initio euangelij auditum est. Discimus interim uitandum esse ocium, ne cui simus onerosi.

Vado pesca.) Hoc cum principio proposuit Petrus, placuit & alijs, qui honestum institutum secuti sunt. Interim illud ipsum artificio piscandi, figuram gerit spiritualis piscationis. Sicut in piscatione non est piscatorum, si plures pisces capiant, sed potius diuini numinis: ipsi uocant fortunam: & non iubente Christo frustra laborant, & iubente deinde Christo mittunt retia, & multitudinem piscium extrahunt: Sic quando laboramus in uerbo, nullum fructum facimus, quandiu non cooperatur spiritus sanctus. Vbi autem Christus iusserit rete mittere, id est, quando dederit spiritum sanctum, tunc plurimos poterimus lucrificare.

Exierūt & ascenderunt in nauim statim, & illa nocte nihil ceperūt. Mane au

tem iam facto, stetit Iesus in littore, non tamē cognouerūt discipuli, quod Iesus esset. Dicit illis Iesus: Puelli, num quid obsonij habetis? Responderūt illi: Nō.

Ita ut dixi, pulchre apparet mysteriū istud. In illa nocte nihil ceperunt, quia nondum assistebat illis Christus. Item antequā spiritus sanctus daretur, nihil profecissent suis concionibus, etiam si fuissent concionati.

Facto.) Hoc loco si quis uoluerit, potest arcanum istud intelligere, nempe hanc uitam esse comparatam mari fluctuoso & procelloso: æternam autem uitam & beatitudinem recte littori in quo Iesus stat.

Puelli.) Benigna illa interrogatione excitat animos illorum, si fortē se agnoscant: illi autem responderunt se nihil habere. Planē Christus est, qui esurit nostram salutem, ut in 4. cap. audistis, se alium cibum habere, quem cupiat. Hunc cibum uult sibi adferri ab apostolis, id est, sua doctrina adducere fideles. Vnde nō sine causa hoc quæsiuit à discipulis suis: Itis piscatum, habetis ne aliquod pulmentarium? πρὸς φαρισ, obsonium est, quod simul editur ad panem, siue carnes siue pisces. Neq; erat Christo curæ de piscibus, sed alludebat ad prædicationem, quia Christus cibus fidelium.

Non.) Nondum accepto spiritu sancto, nihil profecerant.

Ipse autem dixit illis: Mittite in dextera
ram nauigij partem rete, & inuenietis.
Miserunt ergo, & iam non ualebant illud
trahere præ multitudine piscium.

Cum antea nihil ualebant comprehendere discipuli per totam noctem, iam autem Christo uocante & iubente, ut mittant rete in dexteram partem nauigij, capiunt multitudinem piscium. Hæc igitur erit melior pars, quando omnia in gloriam Dei aguntur, & dum non spectantur quæ huius uitæ sunt. Discipuli ubi acceperunt spiritum sanctum, tantam multitudinem credentium ceperunt, ut uix ualuerint trahere rete. Magna messis, & labor plurimus, ut opus sit cooperarijs alijs qui adiuuarent illos. Ita uidetis quàm belle consonet allegoria.

Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat Iesus, Petro: Dominus est. Simon ergo Petrus, cum audisset quod dominus esset, tunica succinxit se, erat enim nudus, & misit in mare. Alij uero discipuli nauicula uenerunt.

Vbi piscatura fidelium successerit, diuina utiq; uirtus agnoscitur: sed ab his discipulis, qui Christum diligunt, & quos ipse uicissim diligit: unde postea maius desiderium oritur uiuendi cum Christo, præcipue patet.

Storibus istis, quales Petrus & Paulus fuerunt. Apostolorum igitur officium erit, ubi obtemperauerint Christo, ut iterum se conuertant ad Christum, illi suum honorem impendentibus. Vnde Petrus quamprimū agnouit Christum adesse in littore, non dedignatur erudiri ab alio discipulo. Item strenue laborabat, etsi nudus esset. Ita qui uere discipuli sunt, ut perueniant ad Christum, non magnificiunt uitam presentem. Similiter inuenimus hic uarietatem fidei, cum alij alijs præstantiores sint.

Non enim longe aberat à terra, sed circiter cubitis ducentis, trahentes rete piscium.

Ita ueniunt cum nauis, & non soli, sed cum piscibus: pastores cum gregibus suis: trahunt rete cum magnis piscibus, ut etiam ipsi assequantur illam felicitatem. Felicitas autem nostra est, fieri cibus Christi. Neque solum pro se solliciti sunt, sed pro his quos ceperant, ut secum trahant in littus æternæ quietis.

Vt ergo descenderunt in terram, uident prunam iacentem, & assaturam superiacentem & panem. Dicit illis Iesus: Afferte de piscibus quos nunc comprehendistis. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus

scibus centum quinquaginta tribus. Et cum tot essent, non est scissum rete.

Videte iterum miracula noua, quæ operatur Christus: subito creat et prunam ardentem et piscem uel assaturam, cum nihil tale appareret, solum diuino iussu: quod ipsum magni miraculi res erat, unde diuinitas Christi agnosci poterat. Neque hoc caret suo mysterio. Magnus utique fructus eorum qui laborauerunt in mari huius uitæ. Ostendit etiam Christus interim exemplo suo, quid alios oporteat facere, nempe ut pascant sibi plebem concreditam.

Afferte.) Magna utique gloria adducere multos fideles: et etiam Paulus de fructu tali gloriatur multum. Et magna laus et gaudium erit doctoribus, his qui laborauerunt in uerbo domini.

Ascendit.) Tunc apparebit in extremo die qualem quisque fructum fecerit. Apostoli certe plurimos pisces traxerunt: si fuissent pauci pisciculi, non tantum miraculum extitisset. Per illos pisces multitudo fidelium, quæ ex omnibus gentibus erat congreganda, insinuatur, quæ in unitate fidei in toto orbe terrarum uiuit. Quamuis multa schismata et hæreses, tamen nemo ex prædestinatis ad uitam, ex hoc rete labitur. Non uit Deus qui sui sint, et isti audient uocem pastoris sui. Ita semper est una quedam ecclesia, quæ manebit indiffusa, etsi hæretici multum laborent. Adherent ca

piti Christo principio, deinde membris, id est, omnibus
 credentibus. Est enim perpetua concordia uere priorū.
 Quod si hodie quidam discordes fuerint, si ex numero
 electorum, redibunt cum alijs in gratiam, antequam
 inde uocentur, ut maneat in ecclesia fidelium.

Dicit illis Iesus: Venite, prandete. Et
 nemo discipulorum audebat interroga
 re illum, tu quis es? cum scirent, quod
 dominus esset.

Post magnos illos labores in mari, remunerat Chri
 stus suos, & egregie reficit prandio illo opiparo, quod
 paratum est omnibus uocatis. quasi dicat: Venite, esto
 te participes regni mei. Quamuis hæc Christus ita
 gesserit super terram, figurā tamen gerunt aliarum re
 rum: alioqui admodum friuola lectio, quasi Christus
 fecisset magnā rem in pastione illa. Voluit interim cō
 mēdare æternum prandium. Igitur manifeste agnosce
 bant Christum in resurrectione, id est, certissimi erant
 sibi adesse Christum, & uidebant quasi facie ad faciem.
 Etiam hic diuina gaudia præfigurantur. Quanto sua
 uius in cœlis refocillabimur, quā in hac uita? Iam pa
 lām loquitur, & nemo interrogat quis esset. Iam hoc
 impleuit, ut ne dubitaret esse alium, quā ipsum Chri
 stum: præsertim hi discipuli confirmati iam erant ex
 frequenti conuersatione Christi. Quāquā res ita ge
 ste

stæ sint, præfigurant tamen æternæ vitæ gaudium.

Venit itaq; Iesus, & accepit panem,
& dat illis, & piscem similiter assum.

Vocarat primum discipulos ad hoc conuiuium, & dat panem eis apud mare. Verum panem: sed ille panis significat panem cœlestem, quo Christus seipsum dat in æternum cibum, quo cibo pascuntur etiam angeli, nempe uerbo æternæ sapientiæ, quod cognouisse gaudium est omnibus, & beatitudo spirituum. Suprà monui, dum suos pascit familiariter discipulos, admonet, ut ad quos missi sint, eos erudiant: nam paulò post Petro commendat, ut pascat gregem suum. Christus iam uerbo suo pascit & spiritu, sed post hanc uitam longe felicius pascendi sumus.

Hac iam tertia uice manifestatus est Iesus discipulis suis, cum resurrexisset à mortuis.

Certum est quod Christus etiam alijs discipulis apparuit, sed collectim. Verum tres illas apparitiones Ioannes posuit, quibus etiam ipse fuit præsens, non negans interim, quod alijs apparuerit minime.

Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis, diligis me plus his? Dicit illi: Etiam domine, tu scis quod amem te.

Iam declarat palam, quidnam uelit à discipulis, nempe si Christum recte ament, ut pascant gregem, & diligenter pascant.

LECTIO CII.

Sirecte obseruastis in alijs, quæ ab hoc Euangelista scripta sunt, quomodo Christus præcipuis doctrinis præmiserit rara miracula: facile etiam quo consilio hæc superioribus subiungantur, licebit cognoscere. Cum pauisset Christus multitudinem paucis panibus, postea docuit, quomodo pane, cœlesti scilicet, pascendi sumus. Ita cum hoc loco discipuli piscati essent magnam multitudinem piscium, ad solum uerbum Dei, deinde à Christo cibati fuissent, didicerunt quodnam esset ipsorum officium, nempe quod & ipsi debeant sibi concreditos alere & pascere. Nam quod Petro dicitur, non solum Petro putetis esse dictum, sed omnibus qui alijs præsumt. Videbimus autem quinam digni sint, ut uocentur ad curam populi: deinde quantam curam gerere debeant: & postremum de perseuerantia. Ita cognoscite officia pastorum ex hac lectione: nemo enim dignus erit hoc munere, nisi antea Christum dilexerit toto corde, & illius gloriam quærat.

Simon.) Videtis examen Christi, quid requirat in his, qui alijs præficiendi sunt, nempe insignem charitatem, citra quam utiq; nihil proficient pastores: nam si suis ipsius curam gesserint magis quam concreditorum,
 que

quæ speranda erit ex eis utilitas? Hodie quia refriguit charitas Christi, inde est quod quidam tepide Christum docent. Non exardescunt in uitia, non strenue uirtutes inculcant plebi, quia non est amor in illis diuini nominis: & quia non firuntur hoc zelo, non mirum sermonem eorum frigidum esse. ἀγαπᾶω, effluam diligo, & cum magna beneuolentia. φιλέω autem diligo, ut sim etiam amicus. Ideo dicit dominus: Nunquid illam eximiā charitatem habes, & maiorem quā cæteri? Verum modeste respondit Petrus, bene sibi conscius.

Tu scis.) Inde satis apparet, uanum esse, quod nesciamus nos habere fidem uel charitatem. Manifeste se indicat diligere, & Christum testem uocat. Hactenus omnia egi, quæ amicum decent: si quid decreuit gloriæ tuæ, hoc dolet tanquam amico singulari.

Dicit illi: Pasce agnos meos.

Nimirum pabulo uerbi Dei. Curam habe pastoris, cuius est, ut gregem ducat in bona pascua. Ad pastorem etiam pertinet, ut defendat gregem à lupis: si oues morbidae, ut illas curet: sicut Ezechiel multis describit, quæ sint negligentiae malorum pastorum, cap. 24. Et quia Petrus dicit se amare Christum, ideo commendat illi oues. Stulte colligunt quidam, quasi Christus uoluerit instituere monarchiam in mundo, ut Pater solus princeps principum suam autoritatem uel potius tyrannidem cum Petro acceperit. Diliget ille Chri

stum, fortasse dignabitur eum dominus ut pascat oves: sed cum appareat planè amor mundanus, non est ut de hac dignitate glorientur. Videmus quomodo non possint pascere, qui nunquam edocti uel fidem uel doctrinam, potius arma, uel uentrem, uel alias delicias curant. Grex domini pascendus pabulo uerbo fidei, ut gloria Christi & promissiones illius annuncientur, deinde ut honesta quoque uita agatur. Pabula nostra cõmunia sunt cum pabulis angelorum.

Dicit illi rursus iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam domine, tu scis, quod amem te. Dicit illi: Pasce oves meas.

Quia hanc rem serio commendat Christus, nõ contentus semel dicere, sed tertio rogat, uultq; eximiam illam charitatem præcedere, deinde committit oves, ut sciat quantus sibi thesaurus commendetur. Prius Βόσκει ad pabulum, hic ποιμαίνε. Sis pastor ouium mearum, & pastor qui à lupis defendat.

Dicit ei tertio: Simon Ioannis amas me? Indoluit Petrus, quod dixisset sibi tertio, amas me, dixitq; illi: Domine, tu omnia nosti, tu scis quod amem te. Dicit illi Iesus: Pasce oves meas.

Videtur nunc tertio eadem Christum à Petro requirere,

vere, & eadem Petrum fateri: ut uideamus cum iam Christus abfuturus esset, quomodo gregem suum discipulis commendarit. Licet Petrus sibi conscius bene, tamen territus, ne fortassis lateret quippiam in ipso aduersum Deo, & fortassis quod non esset perseueraturus in hac insigni beneuolentia erga Deum, nihilominus dixit: Domine, tu scrutator es cordium &c. Tercio illo loco non dicit ἀγαπήσ με, sed φίλεις. Cum igitur talis sis, dignam est ut pascas gregem meum, si uis amici officium facere. Ego abiturus sum: non est ut mihi seruias in carne, seruias ouibus meis qui audituri sunt uocem meam: si harum curam gesseris, officium amici facies, & mihi ipsi seruias. Ita diligenter commendat hoc officium. Profecto pastori multa ferenda sunt, uigiliae, pericula &c. propter greges. Non manet oves, sed pascat: non perdat, sed uiuificet. Nunc autem de perseuerantia subiungit. Non satis est bene coepisse, nisi & perseueres: periculosum enim est, curam ouium harum gerere. Plerique animam suam ponere coguntur pro ouibus: unde etiam periculum praedicat futurum Petro, quod esset moriturus, & qua morte. Prius cum iunior esset, quaesierat quae carnis erant, formidans crucem: iam accepto spiritu sancto, datum est ei mori pro Christo, & pro ipso grege.

Vere uere dico tibi, cū esses iunior, cingebas te, & ambulabas quō uolebas:

cum autem senueris, extends manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò nō uis. Hoc autem dixit, significans qua morte glorificaturus esset Deum. Et cū hoc dixisset, dicit illi: Sequere me.

Fortitudine & constantia opus habent pastores ouium, quæ duo potissimum ab illis requiruntur: aliàs frustra laborabunt, & tempore periculi fugient. Vult dicere: Ecce olim cum esses iunior, & antequam datus spiritus superne esset, utique mollior eras (quia Petrus metu carnis Christum negauit, uoce mulierculæ territus) ibas quò te carnis infirmitas trahebat, eras quodammodo liber: sed ubi seruieris mihi, & ministerio meo ascriptus fueris, ita eris seruus, ut aliò ducaris. Extendes manus, nempe in crucem & ad uincula, & alius ducet te ad crucem, à qua infirmitas naturæ tuæ alioqui abhorret. Iam uero seipsum exponit.

Qua morte.) Nempe quod crucifigendus erat, extensione manuum in cruce. Dicunt Petrum Romæ crucifixum esse &c. addunt quod orarit, caput suum demitti humū uersus, ne capite erecto, ut Christus, crucifigeretur. quasi diceret: Nimirum eodem genere mortis tibi moriendum est, quo ego mortuus sum. Et nō simpliciter dicit, Sequeris me: nam & suprā dixerat, Quò ego uado, uos uon potestis uenire. Nunc dicit, Sequere me:

me: id est, consumes cursum tuum gloriosissimū. Hoc oportebat omnes in animum sumere, qui docent Christum, si periclitandum sit pro ouibus. Prius expendant quid pro ueritate patiendum sit, ne destruant, quod doctuerint longo tempore.

Conuersus Petrus, uidet illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentē, qui & recubuit in cœna super pectus illius, & dixit, Domine, quis est ille qui tradit: hunc ergo cum uidisset Petrus, dicit Iesu: Domine, hic autem quid? Dicit illi Iesus: Si uolo illum manere donec ueniam, quid ad te: tu me sequere.

Confirmat Christus id quod dixerat. Omnino Petre, ne respicias in ullos homines, tu paratus esto, ut me sequaris. Videmus uarios esse exitus discipulorum: nam alij quiescunt in domino felicius, & absque graui tormento, alij uero duriora ad tormenta rapiuntur: sicq; Petro dicitur, quod crucifigi debeat: Ioanni non item. Cæterum qui assumuntur, ut pascant gregem domino, animum instituunt suum, ut parati sint, ne diuinae uoluntati reluctentur. Obseruandum hic, non ignominiosum mori pro Christo & ueritate: neque potest homo honestius mori, modo qui patitur, sincero animo patiatur: non ut quidam temerarij, qui absque cau-

sa se inuoluunt periculo.

Hic autem.) Ille, quem tam familiariter diligis, tua morte succumbet: si mihi hunc honorem concedis, ut sciam quo genere mortis moriar. Hanc curiositatem Christus non probauit. Quæ non ad ædificationem faciunt, ne petamus à Christo. Petrus & quisque profuit sollicitus.

Si uolo.) Hoc tuum est officium, ut perseueres & sequaris me, crucemq; tuam subeas. Iam uero Ioannes concludens librum suum, noluit quid sublimius de se sentire, & corrigit opinionem quorundam. quasi diceret: Scio me esse moriturum, & illud ego expecto, quando sim uocandus à domino meo.

Exiit ergo sermo iste inter fratres, quod discipulus ille non moreretur. Et non dixerat illi Iesus, non moritur, sed, si uolo illum manere donec ueniam, quid ad te?

Inoleuit in quibusdam libris mendum, unde non paruus error irrepfit. Sed hic ponitur *εὐὸν αὐτῶν θεῶν*, & doctiores facile uident, unde libri deprauati sunt. Quidam hic argumentum sumunt, & Ioannem dicunt esse in paradiso cum Enoch: cum tamen Ioannes sub finem indicet se mortalem esse. Insuper non describit ascensionem Christi, quam Lucas præ alijs abunde docuit,

docuit, & auferendum à nobis Christum ostendit.

Hic est discipulus ille, qui testimoniū perhibet de his, & scripsit hæc. Et scimus quod uerum testimonium eius.

Quasi dicat: Ego ille sum, qui hunc librum scripsi, & testimonium do, quod nemo poterit reprobare, omnesq; pij testimonium dant, quod uera scripserim.

Sunt autem & alia multa quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec ipse, opinor, mundus caperet eos, qui scriberentur libros.

Ita concludit diuus Ioannes suum Euangelium, multa esse adhuc miracula quæ Iesus fecit: & hyperbolice, id est magnifice hoc indicat, quæ non scripserit: & certe mundus non posset ea capere mysteria, adeò Christus dignitate, miraculis, & omnibus modis excellit, per quæ se uerum Deum esse declarauit: cui sit gloria in æuum. Amen.

ANNOTATIONVM IO.

Oecolampadij in Ioanis
nem finis.

INDEX EORVM

QVAE HISCE ANNOTATIO
nibus praecipua habentur: in quo
a litera prior, b altera pagel
la designatur.



Bire Christi	fol. 137. b
Abraham uidit diem Christi	188. a. b
Adae & Christi comparatio	202. a
Adulteri poena	164. b
Aduocatus noster Christus	305. b
Agni paschalis symbolum Christus	28. a
Alapa symbolum impudentiae	333. a
Ambitio quantum malum	250. a
Amen	40. b
Angelorum ministerium	91. b
Anima	243. a
Animae pedes abluere	257. b
Animam Christus habuit	221. b
Anima templum Dei	81. b
Animum hominis aduertit Deus	33. a
Apollinaristae	242. b. 243. a
Apollinaristarum error	15. b. 16. a
Apostoli rudes homines cur fuerint	40. a
Apostolorum ministerium non cōtemnendum	318. a
Aqua symbolum	30. a
Aqua uiua Christus	77. b
Aqua	Aqua

INDEX:

Aqua peccata non abluat	28.a
Arbitrij uires	11.b.37.a
Arbitrium liberũ nullum.	98.b.127.b.215.b.269.b
Ariani reprehenduntur	97.b.134.b
Aries in carecto quid significet	188.a
Audire uerbum Dei maligne quid incommodet	131.b
Auditorum raritas negligentiam non addat	32.a

B

B aptismus	256.a.b
Baptismi institutio	66.b
Baptismus symbolum congregationis	26.a
Baptismus ante resurrectionẽ Christi institutus	32.a
Bethabara.	27.a
Beneficia Christi	111.a.109.b
Bethania	211.b
Bethsaida ciuitas	36.b
Bibere sanguinem	141.a
Bohemorum error in Eucharistia	132.b
Bona facere quomodo intelligendum	101.b.102.a
Buccellam porrigere	263.b

C

C Adere ad pedes	221.a
Calcancum tollere	261.a.b
Carmelus	163.a
Caro quid	14.a.16.a
Carnem dare quid	131.a

I N D E X.

Carnem comedere spiritualiter	132.b
Carnales carnalia querunt	54.b
Carnales regnum Dei non uident	54.b
Carnalis manducatio pugnat cum uerbo dei	297.a.b
Carpocratis error	2.b
Catabaptistæ taxantur	180.a
Catabaptistarum error	65.b.66.a
Catabaptistarum error de iudicibus	165.a
Cedron	322.a
Cerimoniæ quare datæ	80.a
Cerimoniæ abrogatæ	80.b
Cerinthi error	2.b
Chan seruus quare	178.b
χάρις quid	19.b
Charitas dispensatrix in omnibus	96.a
Charitas exercenda	259.a.b
Charitas interpretandi regula	368.b
Chiliastarum error	101.b
Christi nomen etiam apud Saracenos floret	291.a
Christi & Mosis comparatio	20.a
Christi duo aduentus	115.b
Christus Deus natura	208.a
De Christo uarij errores	14.b.15.a
Christi gratia ubiq;	88.b
Christus quot annis prædicarit	46.b.90.b
Christus dominus exercituum	240.b
	Christus

I N D E X.

Christus agnus Dei	28.a
Christus de se quid dicerent discipuli, quare interrogasset nerit. 13.b	
Christum qui recte sciant	46.a
Christus exemplar nostrum in orando	322.b
Christus loculos habuit	265.a
Christus quibus incognitus	194.a
Christi mater & soror qui	353.b
Christus inspector certaminis	119.a
Christus tarde se reuelat	82.a.b
Christum qui accipiant	153.a
Christus quare infremuerit	222.b
Christus in quo maneat	134.a
Christum baptizasse quomodo intelligendum	71.b
Christus quare non sit passus se tangi à Maria	220.a
Christum qui agnoscant	279.b
Christus septies excusatus	348.a
Christus proprietates humanæ naturæ seruat	216.a
Christus Deus	3.b.4.a
Christus uerbum quare	4.a.b.5.a
Christi & Ioannis comparatio	42.b
Christus frequens in oratione	323.a
Christi regnum quale	42.a
Christi uirtus in omnibus	7.a
Christianæ religio quæ requirat	158.a
Christus æqualis patri	219.a

I N D E X.

Christi & Ioannis discrimen in docendo	70.a
A Christo sanati quid agant	92.a
Christi spiritus efficacia	20.b
Christus uere mortuus est	357.a
Christus quomodo in scripturis querendus	106.a.b
Christi diuinitas	17.b.18.b.21.b.36.a.39.a.52.a. 75.a.80.b.88.b.90.a.93.a.96.b.97.a.b.100. b.103.a.119.b.167.a.168.b.172.a.186.a.187. a.189.a.205.b.206.a.209.a.245.b.249.b. 261.a.304.a.318.b.324.b.344.b
Christianorum sollicitudo	35.a
Cibus Christi	84.a
Cibus qui perit	120.b
Cibi duo	120.a
Circumcisio affectuum	24.b
Cognoscere quid	200.a.205.a
Columbæ officium	30.b
Concionatores seditiosi non missi à Deo	107.b
Confessio peccatorum bona	79.b
Consilium nullum contra dominum	226.b
Constantia sæpe non probatur	257.a
Contentiosi uitandi	53.b
Contradicere Deo peccatum	223.a
Conuersionis modus	44.b
Conuiuia diuitem qualia sint	232.b
Cophini cum pambus quid significant	114.b
	Corporaliter

INDEX.

Corporaliter quid	15.a
Corrigiam solvere quid	77.a
Cranio omnes assimilamur	349.b
Creaturae quare factae	6.a
Credere qui debeant	62.a
Credere non posse, quomodo intelligendum	248.b
Crimen quid	184.a
Crux ferenda	214.a
Cypriani tempore pueris Eucharistia data est	152.b

D

D amnare facile neminem debemus	132.b
Denarius numerus	73.a
Desperatio maximum peccatum	172.a
Deus non est autor mali	183.a
Deus quare in igne apparuit	105.a.b
Deus per peccata nostra glorificatur	212.b.213.a
Deus quare auxilium suum differt	117.b
Deus quare differt consolationem	303.b
Deus in tempore succurrit	191.a
Deus quomodo colatur	190.b
Deum loqui	105.b
Dei proprium	121.b
Diabolus qui	143.a
Diabolus quomodo malas cogitationes immittat	253.b.254.a
Diabolus quare superbia peccasse dicatur	183.a

INDEX.

Dies solennes quomodo instituendæ	96.b
Dioscoridis error	244.a
Discendi modi uarij	105.a
Discipuli Christi quales	33.a
Discipuli etiam in Christo offensi sunt	135.b.136.a
Discipulorum consolatio	85.b
Diuinitas Dei quæ	249.b
Diuinitatis indicium	191.b
Diuitiæ spirituales querendæ	48.b
Docendi modus	128.a
Docendi opportunitas est spectanda	147.b
Doctore constantia opus	132.a
Doctrina Christi	9.a
Doctrinarum discrimen	148.b
Doctrina Dei	128.b
Doctrinæ dijudicandæ quomodo	150.b
Domus Mariæ quid	211.b
Dona spiritus	129.a
Dona Dei uaria	40.a.b
E	
Ecclesiæ modus	180.a
Ecclesia commendatos habet fideles	354.a
Ecclesia Dei quare affligatur	213.b
Edere carnem	141.a
Electio Dei	39.b
Electi sumus in Christo	100.b.205.b
	Electi

I N D E X I

Electi in libro uitæ conſcripti	12. b
Eleemoſinæ uirtus	234. a
Epiphaniꝝ pietas	235. b
Epifcoporum humilitas	67. b
Epifcopi impij iudices de doct̃rina Chriſti	161. a
Error de Helia & Enoch	23. b
Error qui omnibus ſalutem promittit indicatur	201. a
Error quorundam de corpore domini	15. b
Errores conſutantur	63. b
Eſaias typus Chriſti	249. a
Effeni	25. a
Eſurire quid	84. a
Euangelicæ hiſtoriæ ueritas	233. b
Euangelium quid	1. a. b
Euangeliorum ſcopus	207. b
Euangelistarum fides	142. b
Euangelistæ ſalutis myſteria tradunt	1. a
Ὀυχαγιſίας nomen unde	113. b
Euchariftiam ſumentes quid ſpectent	130. b
Euchariftiæ participes qui	132. b
Exhortatione opus habemus	289. b
Excommunicatio	186. a. 296. a
F	
Faſi fratres	261. a
Faſi fratres impioſ nequitijs excellunt	325. a
Fame fideles non pereunt	114. b

INDEX.

Famulorum suorum uires dominus nouit	326.b
Fermentum malitiæ expurgandum	335.a
Fides quid	122.a.b
Fides certitudinem habet	87.a
Fidei uocabulum æquiuocum	52.b
Fidem crux manet	303.a
Fidei augmentum	181.b
Fidei conditiones	220.b
Fidei incrementum	52.a
Fidem sequitur confessio	87.a
Fides facit filios Dei	11.a
Fidei utilitas	82.b.83.a.134.a
Fides à spiritu sancto	77.b
Fides in cruce exercenda	62.a
Fides uera	250.a
Fidelibus adiuncti sumus	370.b
Filius hominis	60.a
Filij Dei qui	181.b
Filij Dei quomodo nascantur	11.b
Filij diaboli qui	182.a
Filius lux patris	97.b
Filij Dei etiam diij	208.a
Filius Dei & Mariæ unus	62.b
Fratres Christi qui	144.a
Fratres in scriptura qui	46.b
Fratres lapsi qui assumendi sunt	331.a
	Fugiendum

INDEX.

Fugiendum quando 143.b.209.b.210.a

G

Garissim mons	78.b
Gazophylacium	171.b
Generatio duplex	12.a
Generationis signa	12.a
Gladio uti populus quando debeat	328.a
Gloria Dei	17.a
Gloria uana uitanda	144.b
Glorificare Deum quid	312.a
Gratia Christi ubiq; est	116.a
Gratum populum requirit dominus	182.a
Gratitudo Christo probatur	95.a

H

HAereticorum morbi	187.a
Hebionitarum hæresis	2.b
Hebræorum sententia de resurrectione	101.b
Hierusalem quare in edito loco	47.b
Hierusalem typus	238.a
Holocausta symbola	81.a
Homo mendax	316.b
Homo omnia à Deo accipit	7.b
Homo terrenus	69.a
Homo quomodo se ad passionem parare debeat	322.a
Homo sibi ipsi autor mali	141.b
Horæ duodecim quomodo intelligendæ	214.a

I N D E X.

Hos antia quid	237.a
Hydræ symbola corporis nostri	83.a
Hypocrisim ueritas detegit	20.b
I	
Ignominie quando ferendæ	185.a
Imaginatio in morbis quid noceat	61.a
Imagines tollendæ	149.a.b
Impiorum ingenium	177.b.178.a
Impij aliquando prophetant	227.b
Impiorum arma	190.b
Impiorum cohabitatio periculosa	334.a
Incredulitas radix omnium peccatorum	298.b
Incrementum à domino	111.b
Infirmorum consolatio	191.a
Ingenium humanum quale	75.b
Ingratitudo hominum	9.b
Ingratitudo Iudeorum	209.b
Inimicis benefaciendum	213.b
In iudicium non uenire quid	100.a
Inobedientia Deo displicet	256.b
In tenebris esse	71.a
Interpretandi regula charitas	268.b
Inuestigandi modus	132.a
In uia non salutare	165.a
Inuidia impedit fructum Euangelij	50.a
Inuidia homicidio comparatur	182.b
Inuidie	

I N D E X.

Inuidiæ fructus	239.a
Inuidiæ incommoda	127.b
Inuidus indignus ueritate	71.b
Ioannes quare baptizariis	27.b
Ioannis eloquentia	3.a
Ioannes quare non propheta	24.a
Ioannis laus	1.a
Ioannis interpretatio	2.a
Ioannes quare nesciuit Christum	28.b
Ioannes quare miraculis non claruerit	210.b
Ioannes cur suum Euangelium scripserit	3.a
Ioannis humilitas.	67.b
Ioseph custos Mariæ	127.a
Ira duplex	94.a
Israëlita Nathanaël	38.b
Iudas quare uocetur diabolus	342.b
Iudas figura pseudoministrorum	233.b
Iudæ & Petri comparatio	330.b
Iudæi Arianis doctiores	207.a
Iudæorum morbus	106.b
Iudex iniquus	342.a
Iudex cordium Christus	165.b
Iudices recte iudicent	162.a.b
Iudices quomodo dispensare debeant cum rigore legis.	
340.b.341.a	
Iudices dii uocantur	207.b

I N D E X.

<i>Iudicium officium in negotio Euangelico</i>	161.b
<i>Iudicare quomodo intelligendum</i>	99.a
<i>Iudicare alios periculosum</i>	39.a
<i>Iudicandum pio affectu</i>	149.a
<i>Iudicandum non iuxta faciem</i>	152.a
L	
L <i>Apides blasphemiarum</i>	18.a.b
<i>Latus Christi quare apertum sit</i>	358.a
<i>Laus propria quæ</i>	169.a
<i>Lazarus typus peccantium</i>	211.a
<i>Lex noua</i>	2.a
<i>Lex uetus</i>	2.a
<i>Lex à Christo comprobata</i>	90.b
<i>Lex implenda spiritu</i>	108.a
<i>Lex non sola prædicanda</i>	112.b
<i>Lex Mosi quò tendat</i>	94.b
<i>Lex uim non dat</i>	20.a
<i>Legis uocabulum</i>	1.b.246.a
<i>Legem scire</i>	161.a
<i>Legis mens attendenda</i>	32.b
<i>Legem quomodo perficiamus</i>	288.a
<i>Legis nomen generale</i>	207.b
<i>Liberari à dæmonibus quid</i>	45.b
<i>Liberũ arbitrium nullum</i>	98.b.127.b.215.b.269.b
<i>Lotio prima</i>	257.b
<i>Lotio pedum quid</i>	259.a
	Lucerna

I N D E X.

Lucerna Ioannes	104.a
Lugere quantum debeamus	217.b
Lux & discipuli	9.b.10.a

M

Magistratus officium	327.b
Magistratus sit ex fidelibus	162.a
Magistratu opus habemus	166.a
Mahometistarum error de Christo	2.b.355.b
Malis Christus non est resurrectio	219.b
Malorum autores nos ipsi	204.a
Malum ex nobis	261.a
Mancipia hominum qui	144.a
Mandata Dei seruare quid	312.a
Mandatum nouum quare	267.b
Mandata Dei quomodo impleamus	278.b
Manducatio carnalis uerbo Dei aduersatur	297.a.b
Manichæorum error	13.a.14.a.97.a.282.b
Marcionite	14.a
Mare symbolum huius mundi	117.a
Marthe & Mariæ domus, ecclesiã præfiguratur	211.b
Maria theotokos	136.b
Matrimonij laus	42.b
Mendicantium mendacium	265.a
Meritum nostrum in filio	125.b
Ministri ecclesiæ uim non dant	26.b

INDEX.

Ministri Christi angeli	338.a
Miracula quæ	45.b
Miracula propter infideles	154.a.b
Miscricordiam uult	150.a
Modestiam concionatores uerbi habeant	23.a
Morbi unde	95.a
Morbi externi quare	92.b
Mors somnus	215.b
Mors Christi satisfactoria	148.b
Mortem non gustare quid	186.a
Mortis Christi commoda	348.b
Moses dedit circumcisionem, quomodo intelligendum.	
151.a.b	
Moses quomodo accuset	108.b
Mosi sepulchrum absconditum quare	210.b
Mosem uirũ occidisse, quomodo intelligendum	327.b
Mosis & Christi comparatio	189.a
Moses abstrusa habet de Christo multa	249.b
Mundus	10.b
Mundi graue iudicium	299.b
Mundum arguet de peccato, quomodo intelligendum.	
298.a	
Mundani qui	173.b
Mundi odium	291.b
Myrrhæ usus	359.a
Natatorium	

I N D E X.

N

Natatorium quid significet	180.a
Natiuitas duplex	55.a.185.a
Natura gemina in Christo	277.b
Natura inclinati ad malum	254.a
Nescio uos, quomodo intelligendum	29.a.b
Nescire Dei quid	200.a.272.a
Nestoriani	15.a.16.a
Nestorianorum error	136.b
Nomina mutare quid significet	35.b.36.a
Nomotetarum error	209.a
Ocium uitandum	374.a
Non satis bene coepisse, nisi & perseueres	379.a

O

Oculos tollit Christus	224.b
Officium apostolorum	327.b
Omnes traham, quomodo intelligendum	245.b
Opera spectanda quo tempore fiant	234.a
Opera Dei qualia	96.b
Opera maiora quæ	274.a.b
De operibus bonis	260.a.b
Opus Dei facere quid	151.b
Opus diuinum, uiuificatio animorum.	98.a
Opus seruale	93.b
Orandum quid præcipue	275.b

INDEX.

Orandum pro beneficijs	213. b
Oratio	300. a
Oratio Christi quibus non proffit	314. b
Oratio piorum qualis	287. a
Oratio sine fide	306. a
Orare quid proprie	304. b
Oratio Christi quid uelit	163. b
Origenistarum error	70. b. 71. a
Ostium Christus	196. b
Oues Christi qui sint	200. b
Ouis morbida separanda	266. a
P	
P almes aridus qui sit	284. a
Panis quid	123. b
Parabolarum causa	216. a
Parentes colendi	43. a
Parua negligenda non sunt	109. a
Pascha	111. a. 252. b
Paschæ institutio	356. b
Pascimus bifariam	114. a
Passionis fructus	329. a
Passionem domini utiliter legere uolentes, quid potissimum obseruent	328. b
Pastor uerus	198. a
Pastori multa pericula sunt ferenda	379. b
	Pastores

INDEX

Pastores mali fures	198.a
Pastores mali	104.b
Pastoris boni conditiones	195.a
Pastorum cura	111.b.378.a
Pastorum officium	199.b.266.a
Patientia non omnis laudanda	142.b
Patientiae exemplum	142.b.150.b
Patres non imitandi	79.b
Patres non alieni à Christo	20.b
Patris uoluntas	102.b
Patriæ quisque primum consulat suæ	46.b
Pauperum cura	235.a
Pauperes membra Christi	235.b
Pax uobis, quomodo intelligendum	367.b
Peccata quomodo apostoli remittant	369.b
Peccatum lapis grauis	223.a
Peccatis resistendum	264.a
Peccatores etiam audiuntur, sed sibi in ruinam	190.a
Peccatores sumus omnes	166.a
Peccatores qui	190.a
Peccatoribus dulce refugium Christus	167.b
Peccatorum remissio ubi querenda	125.a
Peccata quaedam non imputantur	191.a
Peccatorum discrimen	193.a
Peccati cognitio ad quid utilis	78.a.79.a

INDEX.

Peccata quotidiana quomodo delenda	257.b
Peccata non sunt equalia	345.b
Peccatum impœnitentiæ non dimittitur	193.a
Peccare in legem	94.a
Peccare nemo cogitur	313.a.b
Perditio ex nobis	63.a
Periclitandum non temere	143.b.229.b
Persecutio duplex	292.a
Personarum respectus apud Ioannem nullus	22.b
Petrus os discipulorum	140.a
Petri & Iudæ collatio	330.b
Pharisæi	25.a
Pharisæorum duritia	184.b
Pilatus afflixit Iudæos	337.a
Pilatus titulum cruci Christi affixum diuina dispensatione scripsit, ignorans quid præfiguraret	350.b
Pij non seducuntur	197.a.b
Pios fouet dominus	125.a
Piscatio spiritualis	374.a
Platoniorum error	6.b
Pœna persequentium pios	262.a
πρωγὸς quid	316.a
Populus Dei	10.b
Prædestinatio præcedit	312.a
Prædicandus Christus quomodo	301.a
Preces	

I N D E X.

Preces exaudire Dei est	275.a
Precibus nostris salus non ascribenda	93.a
Preces fidelium quid ualeant	218.a
Principes mali sepe bona constituunt	228.b
Prophanum quid	349.a
Propheta falsus & hodie lapidetur	344.b
Prophetas impij non ferunt	8.b
Prophetiæ donum etiam impijs datur	229.a
Prophetarum mos	357.b
προσφάσιον quid	374.b
Pudor agnatus	64.b
Puniendi qui	333.b
Purgatorium nullum	63.b.100.a

Q

QVies domini qualis	96.a
Quid Deus à nobis requirat	373.a

R

RAbbi quid proprie	33.b
Radix omnium peccatorum est incredulitas	298.b
Rebaptizati in Actis quare	31.b
Regnum Christi quale	338.a
Regnum Dei carnales non uident	54.b
Religio duplex	79.b
Religio Christiana quæ requirat	158.a
Respondere quid	50.a.54.a.119.b

INDEX.

Resurrectio duplex	219. b
Resurrectio etiam à Iudæis credita	218. b
Resurrectionis uia	242. b
Resuscitatio duplex	98. b
Retrorsum cadere	325. b

S

Sabbatum obseruare	94. a
Sacerdotum auaritia	47. a. b
Sacramenta impijs signa pura	31. a
Sacramentorum uirtus ex sanguine Christi	32. a
Sacramenta externa	201. a
Sacramentorum usus	81. b
Sacrificium Christi	64. a
Sacrificium Christi perfectissimum	318. a. 355. a
Sadducei carnales	25. a
Saliua Christi	192. a
Salus ex Dei gratia	73. b
Salus ex Iudæis, quomodo intelligendum	80. b
Salutis nostræ summa	66. a
Samaritani	86. a
Samaritani Iudæis insensi semper	72. a. b
Samaritani quo animo erga Iudæos	184. b
Sanctificare quid	208. b. 230. b
Sanguis Christi peccata delet	28. a
Sanguis Christi quibus profit	229. a
	Sanguis

I N D E X.

Sanguis & aqua symbola	358.a
Satan qui	143.a
Satan quid	142.a
Satana est malefacere	203.a
Satan quos uexet	117.a
Satan quibus eiectus	245.a
Satan nihil in hominem potest	316.a
Satan quomodo scripturis utatur	194.b
Satanae opus	185.a
Satanae dolus	182.b
A satana dominus in totum nos non liberat	316.a
Satisfactiones auaritia excogitauit	110.a
Scala Iacob	41.a
Schismata quare orientur	202.b
Scripturis credimus	37.b
Scripturarum usus	107.a.109.a
Scriptura quidam abutuntur	372.b
Scripturae Christum ostendunt si penitus introspectantur. 52.a	
Scripturam ignorantibus quid agendum	38.a
Scripturae Dei legenda	106.a
Scriptura duplici uia docet	286.b
Scripturae de passione Christi impletae sunt	355.a
Sectarum autores	199.b
Septenarius numerus	73.a.90.a

I N D E X I

Sepultura sit honesta propter resurrectionem	101.b.
359.b	
Sepultura honor	359.b
Seruus qui uere dicatur	178.b
Seruus domino felicior non est	292.d
Signa impiorum sunt	89.a
Siloë aquæ quid significant	180.b
Simplicitas cordis	38.b
Solitudo totus mundus	24.b
Spirituales diuitiæ querendæ	48.b
Spiritus quid	97.b.98.a
Spiritus dare quid	70.a
Spiritus ante baptismum datur quibusdam	31.b
Spiritus fructus qui sint	284.b
Spiritus sancti unctio	192.b
Spiritus sanctus nondum erat, quomodo intelligendū	
157.b	
Spiritus & ignis proprietates	56.a
Spiritus sanctus uarie datur	275.b
Spiritus sancti opus	28.a
Spiritus sanctus inhortator dicitur	294.b
Spiritus sanctus in specie columbæ quare	30.a
Sufflauit in illos, quomodo intelligendum	369.a
Symbola quare	124.b
Symbola docent	30.b
	Templum

INDEX.

T

T emplum symbolum est	49.a
Templum Dei fideles	86.b
Templum externum	47.a
Templi ornatus uendendus	235.b
Timor malus	345.a
In timore domini ambulandum	142.a.334.a
Tenebræ quid significant	8.a
Tentationes Christianis uariæ	181.a
Territus fuit Petrus, interrogatus à Christo an se diligeret, suæ fragilitatis memor	379.a
Testes concordēs	357.a
Trahere Dei quid	128.a
Trinitatis opera sunt indiuisa	283.b
Tribulationes bonæ sunt	118.b.284.a
Tunicã q̄ habet uendat, quomodo intelligendũ	327.a
Tunica inconsutilis Christi, Christianam utilitatem figurabat, quæ nulla ratione soluenda est	352.b
Turbæ iudicium uarium	126.b.127.a
Thomas confessione peccatum infidelitatis expiauit.	
372.a	
Thomæ fides non reprobatur	372.a
V	
V alentianorum error	136.b
Venire ad Christum	107.a
Venire	

I N D E X.

Venire & credere unum	129.b
Venti uirtutes	58.b
Verbum quid	5.b
Verbo omnia cōdidit deus, quomodo intelligendū	6.b
Verbum Dei qui capiunt	113.a
Verbum Dei seruare	185.b
Verbum domini audiendum	318.a
Verbum Dei iudicat	192.b
Verbum Dei quomodo audiendum	99.b
Veritas corporis Christi	368.a
Veritas lux	168.a
Veritas semper persecutores habebit	49.b
Veritatis qui capaces	146.b
Vestitus Christi	352.b
Vana illorum æstimatio, qui nos dicunt nescire an fide dem & charitatem habeamus	378.a
Varia est discipulorum fides, alijq; alijs præstantio- res sunt	375.b
Varij sunt exitus discipulorum	380.a
Veri discipuli Christi non magnificiunt uitam præsen- tem, ut ad Christum perueniant	375.b
Verbo domini qui laborant doctoribus, magna laus & gloria manet	376.a
Verbo fidei grex domini pascendus	378.b
Verbo qui laborant nullum fructum afferunt, quandiu non	non

I N D E X.

non cooperatur spiritus sanctus	374. a
Verbum æternæ sapientiæ est cibus, gaudium & beatitudo	377. a
Verbo & spiritu suo pascit nos hic Christus	377. a
Veritatem persequentes iux ueniã consequentur	33. a
Vitam honestam agere pastoris officium	378. b
Vita præsens mari fluctuoso & procelloso, æterna autem uita littori in quo Iesus stat cõparatur	374. b
Victus fidelibus communis est cum angelis	378. b
Victum piscando apostoli post resurrectionem sibi parant, ne cuiquam ocio suo onerosi essent	374. a
Vitandum est ocium, ne cui oneri simus	374. a
Virtute diuina fit, ubi piscatura fidelium successerit.	375. a
Virtutes non inculcare plebi, non exardescere in uitia, non esse Dei zelum in pastoribus ostendit	378. a
Videre patrem	129. a. b
Viam parare	24. b. 25. a
Vincula humana	225. b
Vires nostræ nullæ	19. a. 55. b
Virtutes credentis	191. b
Vita duplex	211. b. 374. b
Vita duplex Deo placet	163. b
Viti ueræ Christus seipsum comparat	283. b
Vngi pedes Iesu	232. b


INDEX.

Vocabula uulgata quae in Euangelijs	35. a. b
Voluntas in homine qualis	128. b
Vota piorum	86. b
Vota quando rescindenda	257. a

INDICIS FINIS.

BASILEAE, PER AND.
CRATANDRVM, ET IO.
BEBELIVM, MEN
SE IVNIO, AN
NO

M. D. XXXV.







OCN 65393844

